Berliner Studien für classiche Philologie und Archaeologie

Ferdinand Ascherson, Oskar Seyffert

Digitized by Google

Digitized by Google

RBA
Berliner

Digitized by Google

Digitized by Google

Berliner Studien

für

classische Philologie u. Archaeologie

herausgegeben von

Prof. Dr. Oscar Seyffert.

Neue Folge.

Erster Band.
Erstes und zweites Heft.

C. Valeri Flacci Setini Balbi
Argonavticon

Libri Octo

enarravit

P. Langen.

Pars Prior Continens Libros I—III.

Berolini 1896.
Apud S. Calvary & Co.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI SETINI BALBI

ARGONAVTICON

LIBRI OCTO

ENARRAVIT

P. LANGEN.

PARS PRIOR CONTINENS LIBROS I—III.

BEROLINI
APVD S. CALVARY & CO.
MDCCCXCVI.

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
76246
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS.
1898.

THE ASTOR LIBRARY
NY

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Valerii Flacci Argonautica enarraturo id mihi ante omnia proposui, ut poetae et verba et sententias collatis imprimis aliorum poetarum Romanorum locis illustrarem omissis eis, quorum similitudines casui potius quam studio et consilio scriptorum tribuenda viderentur. Quoniam autem certum modum tenere inter exempla nimis multa et nimis pauca afferenda difficillimum est atque tota haec res saepe ab opinione pendet, cum alter eodem loco plura, alter pauciora exempla afferri debuisse facile iudicet, in universum malui plura quam pauciora proferre, cum quae fortasse deesse videantur, eis aegre careas, quae contra abundare, nullo negotio in legendo transiri possint. Etenim non inutile est inspicere quam arte ab altera parte et rebus et verbis Valerius cum aliis poetis coniunctus sit et cohaereat, ab altera quantopere idem studio abripiatur novandi et in locutionibus et in rerum narratione interdum vel summa audacia.

Pauca profecerunt in his studiis ei qui post Burmannum interpretes totius operis exstiterunt; nam Harles in universum satis habuit, interpretationes ab aliis iam prolatas repetere; Wagner non tam commentarium scripsit quam paraphrasim prosaicam operis poetici et quae dicit, quamquam saepe non inutilia ad verba Valerii intellegenda, magis auctoritate affirmantur quam confirmantur exemplis. Francogalli autem qui hoc saeculo poetae interpretando operam dederunt: Lemaire, Dureau de Lamalle, Huguet etsi singulis locis lucem attulerunt, tamen multa disceptanda posteris reliquerunt: atque Huguet quidem nihil ipse praestitit, Dureau artis criticae non satis peritus inter pauca utilia multa attulit, quae non ad rem faciant,

Digitized by Google

Lemaire nonnullos interpretandi errores a Wagnero commissos correxit, sed plus contulit ad Valerii verba interpretanda Caussin, cuius annotationes apud Lemairium leguntur. Multo autem magis haec studia promota sunt virorum doctorum commentationibus recentissimo tempore conscriptis, quibus aut quae exempla Valerius secutus sit tractatur aut de sermone Valeriano quaestiones instituuntur aut de singulis locis agitur. Quibus diligenter inspectis quae digna putabam, in meum usum converti quaeque ipse observasse mihi videor, addidi. Sed etiam coniuncta virorum doctorum opera versus nonnulli remanent obscuritate pleni, in quibus quid Valerius dicere voluerit, nondum satis liquet. Nam constat poetam ceteroqui multis rebus eximium et laudandum insolentiora magis amare quam simplicia et cum a consueta dicendi ratione decederet aut nimiae brevitati studeret, sententias suas non raro obscurasse magis quam aperuisse. Quare quoniam etiam in arte emendandi exercenda summam scripturis traditis adhibere cautionem consentaneum est, ego in verbis constituendis spreta plerumque Baehrentis nimis festinata opera coniectandique libidine consideratam et circumspectam Thilonis atque Schenkelii rationem secutus sum. Quamquam nonnullis locis difficillimum est ad diiudicandum, utrum Valerius praeter consuetudinem ausus sit loqui an verba corrupta sint. Velut traditur II, 448 *castra levat* et *tracto saxo,* quod utrumque servaverunt Thilo et Schenkl. Sed num unquam homo Romanus dixit vel dicere potuit *castra levare* pro eo quod est *c. locare?* neque facile intellegitur quid sit hoc loco *tractum* saxum. Num scripsit IV, 88 *quod* (carmen) *simul — pulsum* aut V, 515 *da iungere dona?* Talia, opinor, semper incertissima manebunt. Ceterum in eo a recentioribus editoribus dissentio, quod Vaticanum codicem numero 3277 signatum, quem litteris Vat. significo, non prorsus unicum traditi carminis fontem habendum puto, sed magis accedo ad sententiam Kelleri*) et Hartelii**) ita quidem ut putem, codicem Carrionis, qui periit atque ex solis Carrionis annotationibus nobis notus est, descriptum esse

*) Goetting. gel. Anzeig. 1873 p. 1927.

**) Zeitschrift für die oesterr. Gymn. XXIV, 140.

Digitized by Google

ex codice, qui ipse quidem ortus est ex Vaticano, sed correctus ex altero fonte, indeque in codicem Carrionis multis sane locis interpolatum nonnulla recepta esse ex antiquitate tradita, quae non nitantur Vaticani auctoritate, inter quae imprimis referenda sunt I, 330; 331; 420; 812; IV, 287; VII, 229; 373; 513; 533. Tum huc pertinet etiam discrepantia scripturae, quae II, 599 ex cod. Carr. affertur *celeres hic prima piacula Phrixo* e. q. s., quam aeque bonam reddere sententiam atque Vaticani scripturam neque ab interpolatore profectam videri recte dixit Meynke quaest. Valerian. p. 11; nec mira scriptura *gracia* IV, 173 aut interpolatione aut neglegentia ex Vaticani *oro* orta esse potest. Denique non praetermittendum videtur dicere, me cum Thilone et Schenkelio in eo consentire, quod affirmant, carmen a Valerio imperfectum esse relictum, quod non solum apparere videtur ex locis nondum a poeta satis perpolitis, sed etiam ex prooemio ipso. Certum enim est, Valerium opus si perfecisset, non ante Domitiani imperatoris tempora edere potuisse. Quod si re vera ita se haberet, quin prooemium quod nunc legimus, scriptum vivi Vespasiani temporibus, poeta mutaturus fuerit, non dubito; nam quae nunc ibi scripta sunt satis modesta de Domitiano, non satisfecisse ei imperanti extra omnem dubitationem positum est: conferas velim, quomodo Quintilianus vir alioquin sobrius ac severus de Domitiano iudicet instit. orat. X, 1, 91. Quae Koestlin Philol. 48, 650 seq. de prooemio dicit, argutius quam verius disputata sunt, quo autem iure contendat 'ich bin überzeugt, dass die Widmung an den Vespasian in der überlieferten Form erst nach Titus Tode vielleicht im vierten oder fuenften Jahre unter Domitians Herrschaft so umgebildet ist, wie sie jetzt in grossartigem Schwunge das Werk einleitet', equidem non assequor, de imperatore enim Domitiano in prooemio ne levissimum quidem vestigium apparet, contra non pauca, quae ad vivum Vespasianum pertinent; multo rectius iudicat Bernays ges. Abh. II, 164.

Etiam aliud argumentum operis non absoluti satis grave attulit Summers, 'a study of the Argonautica of Valerius Flaccus' p. 4 dicens Statium, diligentem Valerii lectorem, qui non paucis locis Achilleidis et Thebaidis mentionem faciat rerum ab Argo-

Digitized by Google

nautis gestarum, nullam omnino rem tangere, quae tempore excedat ea, quae apud Valerium inveniuntur, ut appareat, ne Statium quidem plura legisse quam nos nunc legimus.

Ceterum cum periculum esset, ne moles annotationum nonnullis locis nimis cresceret, statim infra tribus capitibus agere constitui de eis quae a poeta insigni cum brevitate et de eis quae contra consuetudinem dicta videntur, denique de usu transitivo passivi tamquam medii Graeci.

Digitized by Google

Caput I.

Breviloquentiae Valerianae exempla notabiliora.

Valerius saepius quam ullus alius poetarum Romanorum epicorum ei brevitati studuit, ut notionem ad sententiam complendam necessariam omitteret, quae sane ex toto contextu orationis plerumque facile et certo audiri posset. Aut substantivorum hae sunt aut verborum notiones; et substantiva quidem his locis sententiae mente addenda sunt:

I, 127 *longo moles non pervia ponto:* in longa navigatione per pontum ei non pervia; 201 *repperit — Colchos in me:* repperit in me (ad me perdendum) expeditionem in Colchos faciendam; 298 *tenentque pleni oculos:* sc. lacrimis; 332 *nostris serenis:* cum nostrae regiones serenae sunt; 346 *victorem — umeros ardentem vellere rapto accipiam:* ardentem splendore velleris rapti; 429 *Taygeton silvasque comantes struxerat:* imaginem Taygeti silvarumque struxerat; exemplum prorsus simile legitur etiam V, 433 seq. *aurea quin etiam praesaga Mulciber arte vellera venturosque olim caelarat Achivos:* imaginem velleris etc. caelarat; I, 546 *nec vellera tantum indignanda manent:* raptus velleris indignandus; 723 *sunt hic etiam tua vulnera, praedo, sunt lacrimae:* facultas vulnerum infligendorum, locus etsi videtur expressus quodammodo ex Verg. Aen. I, 461, dicendi tamen brevitas propria est Valerii; 823 seqq. *primoque rudem sub limine rerum te puer — diripiunt:* primo sub limine vitae; II, 500 seq. *ordine curva trisulco fulmineus quatit ora fragor:* ordine dentium trisulco; 521 *totaque pharetrae nube premit:* nube sagittarum, quae in pharetra inerant; 561 *noster ades iunctisque venis:* cognatione iunctis; III, 143 *exuvias et opima cadavera linquite:* cadavera opimam praedam datura; 243

Digitized by Google

diverso turbine fundunt tela viri: diversis locis turbine f. etc. 472 *aequora pectore tollunt:* remis ad pectus admotis tollunt; 604 *densa silentia montis videt:* silentia montis densis arboribus consiti; IV, 62 seq. *in quem alium Alciden — differs Caucaseum senem*: liberationem Caucasei senis (Promethei); 89 *dulces cedunt e pectore nati:* memoria dulcium natorum; 450 *Harpyiae semper mea pabula servant:* tempus servant pabulorum appositorum; 532 *ad oblitae Cereris suspirat honores:* cfr. commentarium; V, 132 *aegro corde silens audit currus:* audit narrationem de curribus prolatam; VI, 200 *mixta perit virtus:* viri fortes mixti viris fortibus pereunt.

Verborum notiones ad sententiam supplendam addendae sunt his locis: I, 87 *da Scythiam Phasimque mihi:* da contingere; 167 *Tyndareusque puer mihi vellere dignior:* dignior qui vellus mecum petat; 270 *nostram festinet ad hastam:* festinet ad id robur adipiscendum, ut valeat hastam meam contorquere; 344 *nunc ille dies — super:* superest ut illum diem videam; 408 *ut socius caro pariter meditetur Achilli fila lyrae:* meditetur fila lyrae pulsanda; 417 *e clausis quem destinet Aeolus antris:* quem destinet emittere; 418 *cui tradere caelum* (non metuat)*:* caelum observandum tradere; 419 *adsidua — vultum lassatus ab Arcto*: lassatus ab Arcto assiduo observata; 433 *solvit iam fibula vestes ostenditque umeros:* remota fibula vestes solvit e. q. s.; 459 *multum famulis pia iusta moratis, si venias:* famulis exspectantibus si venias; 608 *aequora venti poscere:* turbanda poscere; 689 *sedent ad iussa ministri:* ad iussa exsequenda parati; II, 216 *unde ego tot scelerum facies — exsequar:* exsequi incipiam; 280 *conscius ausi — pavor:* pavor exortus ex conscientia ausi; 375 *invidisse deos tantum maris aequor adortis:* aequor navibus pervehi adortis; III, 185 *celeri per pectora telo:* telo per pectora adacto; 229 *tardum a moenibus agmen:* appropinquans; 312 *socios lustrate rogos:* rogos lustrandi causa exstruite; 391 *invito maduerunt sanguine dextra:* caede non voluntate facta; 398 *ad Stygiae devexa silentia noctis Cimmerium domus:* devexa via ad silentia ducens domus; 620 *hunc Iovis imperio fatoque teneri ante procellosum scopulis errantibus aequor:* antequam ad aequor per-

Digitized by Google

venissemus; IV, 266 *huc alternus et huc:* huc se movens; 281 *fixaque silet Gradivus in hasta:* hastae innixus; 297 *avidusque viri irruit:* avidus viri feriendi; 673 *rediere viris animique manusque:* animi manuum movendarum sive remorum manibus impellendorum; 682 *praecepsque ex aethere Pallas:* ex aethere delapsa; 750 *aequoreo similem per littora monstro:* monstro per littora prostrato; V, 37 *talia voce gemit:* talia cum gemitu dicit; 175 *mirantur — ingentem moribundae desuper umbram alitis:* moribundae desuper cadentis — alitis; 225 *fata laborati Phrixus compleverat aevi:* aevi cum laboribus transacti; 429 *flebant populeae iuvenem Phaethonta sorores:* sorores in populos conversae; 675 *quolibet ista modo, quacunque impellite pugna:* pugnando et vi agendo efficite; VI, 455 *recentia sertis tecta:* tecta recens sertis ornata; 487 *tales quando tibi cernere reges?:* sc. continget (sive erit); VII, 72 *praedicti venies in rura laboris:* in rura ubi laborem exsecuturus es; 267 *quem non meritis videas occurrere monstris:* occurrere monstris quibus occurrere non meritus est; 539 *regem spes vana sub ortu extulerat, quantis nox una diremerit undis Aesoniden:* considerantem quantis nox e. q. s.; VIII, 215 seq. *totiensque gementem fallit ad Haemonios hortatus surgere montes:* surgere ad montes conspiciendos.

Ex eodem breviloquentiae studio id repetendum, quod permulta exempla figurae, quae zeugma nominatur, apud Valerium reperiuntur et ex parte quidem satis audacia; non inutile erit ad cognoscendam poetae scribendi rationem haec uno loco collecta afferre.

I, 385 *palla imos ferit alba pedes vittataque frontem cassis:* sc. tegit; 566 *sic orbe peracto Liber et expertus terras remeavit Apollo:* remeavit in Olympum solus Apollo; Liber receptus est; 681 *oritur clamor dextraeque sequentum verba ducis:* sc. tolluntur; II, 398 *thalamos excussaque vincla quod ausae induere:* thalamos inire; III, 262 *neque adhuc gemitus neque conscia facti ora levant:* gemitus tollunt; 278 *pars tenuis flatus et adhuc stridentia prensant volnera:* flatus excipiunt; 400 *quo flammea nunquam Sol iuga sidereos nec mittit Iuppiter annos:* iuga flectit; IV, 66 *sat tibi furtum ignis et*

aetheriae defensa silentia mensae: furtum punitum; 167 *fulminea frontem dextra disiectaque fudit lumina:* frontem icit; 172 (Mariandynum — urbes) *unde genus fraterque viro:* ubi frater viro est; 762 *votis pariter praedaque fruuntur:* vota laeti nuncupant; V, 431 *Tethys — recolligit axem et formidantem patrios Pyroenta dolores:* Pyroenta mulcet; 616 *quisque suis tum vota deis et pocula fundit:* vota nuncupat; 475 *hi tibi tot casus horrenda tot avia mensi cernimur:* tot casus passi; VI, 699 *viridem gemmis et eoae stamine silvae subligat — tiaran:* stamine ornatam; VII, 29 *quem passus Iason vota prius captasque deis accendere praedas:* vota nuncupare; 62 *Martius ante urbem — iacet — campus et — tauri:* stant in stabulis; 373 *dat dextram vocemque Venus:* vocem emittit; VIII, 117 *corripit optatum decus extremumque laborem:* laborem exhaurit; 254 *pars veribus* (carnem) *pars undanti despumat aeno:* veribus assat.

His exemplis ea addenda sunt, quae attuli ad I, 489, ubi praedicatum deest ea figura, quae ellipsis vocatur; cfr. etiam ad III, 264; II, 495; III, 313.

Non alienum videtur ab hac disputatione, nonnullos locos afferre, in quibus non singulae voces, sed tota sententia desideratur ex contextu sermonis addenda, ita ut narrationi ipsi aliquid deesse iure dicere liceat, quod deesse aliis locis statim intellegitur, aliis concludendum est ex eis, quae Valerio in narrando progrediente demum cognoscimus.

I, 341 seqq. *sed patriae valuere preces auditaque magnis vota deis, video nostro tot in aequore reges teque ducem:* ex his verbis apparet, id quod antea poeta tacuit, Aesonem a deis petivisse, ut heroes frequentes expeditioni interessent; II, 198 seqq. docemur Venerem de caelo desiluisse in Lemnum, supra autem v. 174 seqq. legimus Venerem Lemni morantem 'in imagine Dryopes' mulieres in viros stimulavisse, statuendum igitur est, post ea quae v. 185 dicta sunt, deam ex insula decessisse; I, 700 seq. *saevit atrox Pelias inimicaque vertice ab alto vela videt:* ad persequendum igitur Iasonem Pelias domo profectus erat; II, 235 seqq. poeta narrat mulieres Lemnias domos incendisse, ut viri conflagrarent: partem virorum fugam

Digitized by Google

frustra temptasse, quid altera parte factum sit, tacetur, sed sane sua sponte apparet; II, 253 *tunc excipit artus* (patris Hypsipyle)*:* animus enim patrem reliquerat auditis horridis filiae verbis; IV, 338 *perfusique sacro placati gurgitis amne:* placaverant Argonautae Neptunum sine dubio propter occisum Amycum, verum id antea non narratum est; 390 *et celerem mediis in cantibus exigit* (Mercurius) *harpen* eaque, quod tacetur, Argum interficit; 716 *geminis et desint Syrtibus undae:* sc. si aequentur vel comparentur cum undis Ponti Euxini; 755 seqq. *excipit Aesonides 'tuus ergo in montibus ignis ille? tuas acies medio de gurgite vidi':* haec verba sunt Iasonis cum Lyco rege Mariandynorum colloquentis: tacuit autem de hac re poeta cum navigationem ipsam describeret; VI, 566 seqq. *natumque vocavit* (genetrix) *iam non per ripas iam non per curva volantem stagna nec in medio truncantem marmore cervos:* sc. hiemis tempore, quando mare congelatum est nimio frigore; VII, 158 (Iuno) *fulvo Venerem vestigat Olympo:* ex eis, quae sequuntur, apparet etiam inventam esse Venerem a Iunone; 189 *protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit Colchida:* ut ex initio libri septimi, quamquam non aperte dicitur, concludere licet Iasonem post pugnam confectam in domum Aeetae rediisse, sic ex hoc loco, noctu eum ex domo regis ad navem se contulisse; 398 *atque hic se profugam volucri Thaumantias ala sustulit:* his verbis docemur Iasonem ab Iride, ut iussum erat, in nemus deductum esse; 467 *nunc age et has, inquit* (Medea), *cristas galeamque resume:* antea igitur Iason galeam Medeae ad incantandum tradiderat; VIII, 127 *ut vero sociis, qui tunc praedicta tenebant ostia, per longas apparuit aureus umbras* e. q. s.: Iason igitur socios iusserat navem in ostio Phasidis paratam habere; 211 *ipsi quoque murmura ponunt iam Minyae, iam ferre volunt* (Medeam): supra v. 132, ubi Iasonem cum virgine insiluisse in navem poeta narrat, nihil addidit, qua mente Argonautae Medeam acceperint; ex hoc demum loco discimus, eos non admodum laetatos esse.

Consulto omisi tales locos, ubi aliquid deesse videatur ideo, quod opus a poeta non perfectum neque perpolitum est.

Digitized by Google

Cap. II.

De notionibus vocabulorum et locutionibus minus usitatis.

I, 94 *demittere ferro robora:* caedere; 99 *in saecula tollere:* posteritati tradere; 108 *tela flammata veneno* dicuntur tela veneno ignem continente infecta; I, 258 *passus* substantivum adhibetur ad bracchia passa indicanda; 278 *noctem — extrahit* sc. delectando; 307 *nubila ducit aether:* nubibus obducitur; 340 *concusso — remo:* remo vehementer impulso; 359 *quos nobile contulit Argos:* misit ad expeditionem communem; 409 *incitare hastas:* torquere; 437 *cogere sagittas:* impellere, mittere; 455 *contorquens frena:* concutiens; 519 *quid Minyae meruere queri:* quam iustam habent causam querendi; 529 *vellera dono bellipotens sibi fixa videt:* ante oculos habet (mente); 535 *reges struere:* constituere; 581 *infernae undae:* quae sunt sub superficie aquarum; 606 *tantum hominum compesce minas:* modo compesce; 619 *resoni ictus:* ictus longe sonantes (non resonantes); 710 *gressus ore premit:* vestigia pedum; 752 et VIII, 172 *clamor supremus:* in extrema desperatione editus; 753 *fragor:* id quod rumor; 755 *aras vestemque nemusque sacerdos praecipitat:* celerrime aras nemusque relinquit vestemque exuit; 782 et IV, 87 *carmen agere:* recitare; II, 7 *templa obliqua mergunt:* merguntur nautis ad latus posita; 58 *Titan — in uno decidit Euro:* dum unus Eurus flat; 100 *tacitae catenae:* occultae; 142 *icere* genas de planctu dictum, *nuntius* de femina; 171 *nudis sub astris:* sub divo; 221 *dapibus vinoque soporus*: ad somnum vino adactus; 259 *trieterica aera:* aera quae ad sacra trieterica celebranda adhibentur; 311 *Lemnon tendentia remis arma notant:* i. e. viros armatos, cfr. quae in commentario ad hunc locum dicta sunt; 319 *huc rexisse vias:* direxisse cursum; 371 *nimbosque educere luxu:* luxu praetermittere occasionem ventorum secundorum; 375 et IV, 541 *aequor adoriri:* ingredi; 411 *pressit acu:* expressit; 424 *refer vela:* navi redi; 431 *tenuis Lemnos:* ex conspectu navigantium evanescens; 468 *ductor:* id quod heros; 542 *crudum saxum:* asperum; 571 *vertere fata:* avertere; 630 *terra — Pontum iacet*

Digitized by Google

inter et Hellen: inter Pontum Euxinum et Hellespontum; III, 30 *ut socias — manus — conserat:* ut socios ad bellum inter se gerendum incitet; 39 *illum — sopor luctamine tanto lenit:* leniendo tanta contentione liberat; 41 *solata puppis:* orbata (rectore); 47 *Pan iussa ferens — matris:* qui iussa exsequitur; 51 *conus:* galea; 79 *monuitque ratem rapere — arma:* monuit nautas; 82 *adfore:* adesse; 95 *impellere saxa:* conicere; 310 *miscere amplexibus artus:* arte amplecti artus; 355 *prima refellere monstra:* prima omina non accipere; 389 *quisque suos sontes — poenis implicat:* suum quisque interfectorem poenis vexat; 407 *Celaeneus insontes errore luit:* insontes purgat crimine per errorem commisso; 412 *armenta bina:* oves binae, cfr. commentarium; 426 *aras ignotaque nomina divum instituit:* aras instituit deorum, quorum nomina ignota sunt; 473 *vicissim mittitur in puppem remo mare:* certatim mittitur; 476 *intortis undis:* undis remo agitatis; sic *intorquent undam* VIII, 287 legitur; 499 *Gradivus — fundit equos:* incitat; 553 *spiracula fontis:* vapores ex fonte surgentes; 578 *pectora nautis congelat hiberni vultus Iovis:* minax tempestatis hiemalis facies pectora nautarum horrore implet; 596 *Hylan — reclamat:* iterum clamat, vocat; 600 *Herculeo sub nomine pendent:* dependent a nomine fama factis Herculis; 648 (Meleager) *inversa tueri durus:* pertinax in defendendis eis, quae perversa sunt; IV, 40 *movet frustra conamina dextrae:* frustra dextram movere conatur; 200 *gigantis* vox legitur pro homine ingenti corporis magnitudine; 258 *Tartarus* pro deo inferorum; 275 *summos* (summis?) *manibus deducere caestus:* sublatis manibus caestus (in Amycum) demittere; 306 *premit ancipitem:* in periculo versantem; 349 *vates admonita genetrice refert casus — Inachidos:* i. e. invocata genetrice; 369 *telas maculare:* variis coloribus pingere; 396 *in bovis ora recurrit* (Io) *nec qua valle memor nec quo se vertice sistat:* inops consilii atque incerta, quo se conferat; 418 (Io) *persona sistro:* sonum excitans sistro; 420 *Bosporon — veteres — vulgavere:* vulgo nominaverunt; 440 *proxima quaeque legere:* animo considerare; 455 *saevit odor:* saevus odor exoritur; 509 *montem torsit hiems:* vexavit, concussit; 655 *trahere remum:* remigare; 679 *fundere vela:* pandere; 726 *tumido riget ardua fluctu* (unda):

Digitized by Google

horret unda; 733 *Mariandynis advertit puppis harenis:* appellitur; 748 *vos — contenta ferebant vela:* passa vela; V, 6 *caelata — multa arte — velamina:* acu picta; 22 *gravidus sorte parens:* gravatus; 182 *aethere plena corusco Pallas:* circumdata; 237 *rapta soporato fuerint cum vellera luco:* soporatum lucum audaci metonymia dicit poeta pro soporato dracone; 298 *noctem egerere* et VIII, 454 *diem egerere:* transigere; V, 366 *astro — comantes Tyndaridae:* astro ut comis ornati; 381 *renodata pharetris:* soluta, liberata pharetris; 430 *Eridani trepidum globus ibat in amnem:* cadebat; 512 *accipe Taenarii chlamydem de sanguine aeni:* chlamydem purpura Taenaria tinctam; 576 *ipse — arma expetit Aesonides:* interrogat de armis; 586 *hunc quoque nomine reddit:* nominat; 631 *insidiis quid nunc fallacibus ambit:* me circumdat, irretit; 656 *matrem — secutus:* insectatus; VI, 75 *praetentans vulnera:* iterum iterumque praetendens; 97 *quos* (sc. Batarnas) *crudi mora corticis armat:* scutum ex cortice factum; 174 *quam* (aegida) *nec dea lassat habendo, nec pater:* neque dea fatigatur aegide tractanda neque pater; cfr. annotationem huius loci; 187 *barbarici glomerantur ovatus:* augentur, crescunt; 188 *mixtae virum cum pulvere vitae:* cadunt viri vitamque in pulverem labentes amittunt; 196 *incipit hastā ante Melas:* prior hastam contorquet; 244 (Campesus) *mediam moriens descendit in hastam:* corporis pondere usque ad mediam hastam qua perfossus est delabitur; 362 *membra viri miseranda meant:* huc illuc trahuntur (?); 375 *qua pelta vacat:* qua corpus pelta non tegitur; 389 (Ariasmenus) *omnes rapturus ab agmine Colchos:* celeri motu curruum falcatorum rapturus (?); 435 *videt inter regia tauros pascua:* inter regia armenta; 509 *duplices* (viri)*:* vulneribus duplicati, incurvati; 533 *inque dei latuit terrore Lycaei* (Armes)*:* in terribili, terroris efficiente figura dei; 548 *necopinus:* et non opinus; 550 *in fata Ceramni emicuit:* in Ceramnum impetum fecit; 552 *illum aperit lato per pectus hiatu:* hiante vulnere vulneravit; 554 *peditem pedes haurit:* vulnerando interficit; 558 *dat Calais — neci semper — propinquas Rhipea venali comitantem sanguine pugnas:* mercennarium bella sequentem; 561 *iam cassus:* moribundus; 591 *contra aspera Iuno reddit:* respondet; 611 *magnoque incanuit imbre Cau-*

Digitized by Google

casus: nivibus; 617 *rarescunt pugnae:* pugnatores (?); cfr. adnotationem; 710 *liquidum aurum:* purum, splendidum; 712 *ventis oleam felicibus implet:* auget, crescentem facit; VII, 6 *vertere questus:* volvere; 85 *serena arce:* arce caeli; 114 *foribusque impendit apertis:* in foribus versatur; 180 *fundere taedas:* lumen taedarum; 285 *ora — vulgata procorum:* in publico proposita; 567 *coruscus — Iuppiter:* Iuppiter fulmina corusca iaculans; 591 *iners:* frustra, nihil efficiens; 626 *vincula dissipat:* celeriter solvit; VIII, 8 *genasque ante per antiqui carpsit vestigia somni:* memor antiqui somni carpsit; 35 *mediam se misit:* pectore se proiecit; 83 *Colchis spumare venenis — perstat:* spumantia venena spargere; 102 *inque aliis senium nunc digere lucis:* senium dege; 225 *incipit Idaliae numen nec spernere divae:* et incipit non spernere; 322 *ipsa* (Iuno) *subit terras:* ad terram descendit; 407 *decretaque tristia servant:* silentio tegunt.

Cap. III.

De usu transitivo passivi tamquam medii Graecae linguae.

Notus est usus imprimis poetarum, quo saepe participiis perfecti passivi, rarius formis praesentis temporis vis transitiva medii Graeci tribuitur, velut Verg. georg. IV, 337 *caesariem effusae* (nymphae) *nitidam per candida colla:* quae suos crines effuderant vel 482 *caeruleos implexae crinibus anguis Eumenides:* quae suis crinibus angues implexerant, vel Aen. III, 65 et XI, 35 *Iliades crinem de more solutae* vel IV, 590 (regina) *flaventes abscissa comas* aliaque multa, de quibus cfr. Kuehner gramm. lat. II, § 71, 3; vel in prosa talia reperiuntur ut apud Tac. ann. II, 17 *oblitus faciem* (Arminius) *suo cruore.* Exempla Valeriana his locis simillima haec sunt: I, 412 *Phlias immissus patrios de vertice crines:* qui suos crines immiserat; 762 *effusa manus — coniux:* quae suas manus panderat; II, 104 *sidereos diffusa* (Venus) *sinus*; 150 *picta manus* (barbara); 470 *illa*

Digitized by Google

(Hesione) *tremens tristique oculos deiecta pudore* (cf. Verg. Aen. VI, 156; XI, 480; Ov. amor. II, 4, 11; III, 6, 67; Stat. silv. I, 2, 12; Ach. I, 95; Theb. III, 367); III, 315 *Clite laceras super ora mariti fusa comas:* quae suas comas fuderat; VII, 211 *Venus — mutata deam:* quae suam divinam faciem mutaverat (Stat. silv. I, 2, 14 (genetrix Aeneia) *dissimulata deam*; Verg. eclog. VIII, 4 *mutata — flumina cursus:* quae suos cursus mutaverunt); II, 206 *leti — imago truces exserta manus*; 212 *taboque — sinus perfusa* (Venus) *recenti*; VI, 563 *labitur intortos — crines — materna velatus harundine Peucon*; III, 562 *illa* (nympha) *avidas iniecta manus*; I, 762 *effusa manus — coniux:* quae suas manus panderat; II, 141 *dea icta genas.* Rarius sic scriptus indicativus reperitur: I, 659 *umeros ductor sacro velatur amictu* (Verg. Aen. III, 545); II, 103 (Venus) *crinem subnectitur auro;* IV, 94 (Sol) *loricam induitur*; VII, 355 (Medea) *cingitur inde sinus* (Verg. Aen. II, 510); cfr. Stat. Ach. I, 179 *crinem novatur fontibus*; Verg. Aen. III, 545 *caput — Phrygio velamur amictu* al. His omnibus Valerii locis obiectum participii vel verbi de quo agitur est corpus vel pars corporis atque desunt exempla, quale est supra allatum Verg. ecl. VIII, 4 vel Aen. VII, 796 *picti scuta Labici:* qui sua scuta pinxerant vel Sil. I, 407 *flumineaque urna caelatus Bagrada parmam:* qui suam parmam caelaverat; X, 174 *caelatus Gorgone parmam*; Stat. Theb. IV, 267 *parmā pictus proelia* (Parthenopaeus); Sen. Agam. 217 *picta pharetras — Amazon;* Claud. de laud. Stil. II, 229 seq. *nexa comam foliis fulvaque intexta micantem Veste Tagum* (Hispania): quae sua veste Tagum intexerat. At alia ratione contra longius progressus Valerius ausus est interdum talibus participiis uti significatione non medii Graeci, sed simplicis activi, prorsus ut deponentibus uti solent Romani, his locis: I, 491 (venator) *teneras compressus pectore tigres*; 398 *casusque tuos expressa, Phalere, arma geris*; 402 *caelata metus alios gerit arma Eribotes* 'Waffen die in erhabener Arbeit andere Schrecknisse darstellen'; II, 654 *pocula bellorum casus expressa recentum;* VI, 53 *cuncta phalanx insigne Iovis caelataque gestat tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes.* Sed ne mirere poetam Romanum talia scripsisse, cum apud Tacitum legamus haec verba

hist. III, 74 *aramque posuit casus suos in marmore expressam.* Non huc pertinet Vergilii locus ecl. III, 106 *dic quibus in terris inscripti nomina regum nascantur flores* et ipse ex more Graeco dictus, qui prorsus aliam habet explicationem: ut enim secundum legem notam Graecae linguae enuntiatum quale est ἀνθρώπῳ ἀποκόπτειν τὴν κεφαλήν, τὴν χεῖρα in passivum conversum hoc modo exprimitur ἄνθρωπος ἀποκόπτεται τὴν κεφαλήν, τὴν χεῖρα, cfr. Kuehn. gramm. graec. II § 378, 8 qui hunc usum tamen nimis angustis finibus circumscribit et Krueg. gramm. gr. 52, 4, 2, sic Romani quoque poetae saepissime locuti sunt: ut re defungar uno exemplo allato, apud Verg. Aen. II, 273 *perque pedes traiectus* (Hector) *lora tumentes* explicandum ex activa constructione 'Hectori per pedes lora traicere' Graeco more in passivum conversa atque sic etiam ecl. III, 106 pro activo 'floribus nomina inscribere' in passivo dicitur 'flores nomina (inscribuntur) inscripti sunt'.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER PRIMVS.

Prima deum magnis canimus freta pervia natis
fatidicamque ratem, Scythici quae Phasidis oras

1. *prima* pro eo quod est primum ad *pervia* refertur; cfr. VI. 686; Sil. Ital. Pun. IV, 167: *spicula prima — moriens — sanguine tinguis. freta* de mari omnino dicitur, non de Ponto Euxino solo, de quo sane dixit Claud. de bello Pollentino 1sq. *Intacti cum claustra freti coeuntibus aequor Armatum scopulis audax irrumperet Argo* e. q. s.: cfr. Phaedr. IV, 7, 10; Ov. ex Pont. III, 1,1; fortasse etiam Mart. VII, 19, 2. Sed Argo primam omnino navem fuisse longe plurimi tradunt poetae Romani: Catull. 64, 11; Ov. met. VI, 721; VIII, 302; am. I, 15, 21; II, 11, 1; trist. III, 9, 8; Prop. IV, 22, 14; Manil. I, 412; Lucan. III, 193 sqq.; VI, 400; Sen. Med. 3; 301; 363; 665; Stat. Ach. I, 64 sq.; Dracont. X, 34 ed. Baehr.; cfr. Diod. IV, 41; Eratosth. catast. p. 174 ed. Robert; Apollon. schol. I, 4. *natis* recte emendatum in Vatic. 1653, *nautis* Vat., quod si servamus. *deum* non habet quo referatur. Minor quidem pars Argonautarum filii deorum erant, sed cfr. III, 504; 667 seqq.; IV, 438; V, 504; Apollon. III, 365 qui simili modo rem auget; Catull. 64, 23; Theocr. idyll. XXII, 29; ἡμίθεοι nominantur apud Pind. Pyth. IV, 12 et 184; *semidei reges* apud Stat. Theb. III, 518 et Ach. II, 363; *semidei heroes* Theb. V, 373.

2. de fatidica rate cfr. ad v. 301. *ora* de ripa fluminis legitur apud Ov. metam. VII, 438, quamquam ibi etiam aliter explicatur, sed exstat praeterea apud Valer. ipsum II, 11; Auson. Mos. 82; 202; ut contra *ripa* dicitur maris Hor. c. II, 18, 22; III, 27, 24; Avien. orb. 1318.

Digitized by Google

ausa sequi mediosque inter iuga concita cursus
rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.
Phoebe, mone, si Cymaeae mihi conscia vatis
stat casta cortina domo, si laurea digna
fronte viret. tuque o, pelagi cui maior aperti

---

3. *sequi* i. e. petere, ut V, 481; Verg. Aen. IV, 361; 381; XII, 893; Ovid. her. 7, 10; Sil. I, 141. *cursus rumpere* cursum rumpendo efficere, Sil. VII, 568: *rupitque in proelia cursum; r. aditus* Verg. Aen. II, 494; saepius *iter* (Val. III, 241), *viam r.*

4. De Argone inter sidera a Minerva recepta cfr. Hygin. fab. 14 extr.; astron. II, 37; Man. I, 402 seqq.; V, 13; Cic. Arat. 126 seqq.; Germ. phaen. 344 seqq. cum schol.; Avien. phaen. 456 seqq.; tangit rem Val. I, 305 et V, 295; vide praeterea Eratosth. catast. p. 174 et schol. ad Aratum v. 342. Olympus est caelum, quod nos dicimus Firmament, ut II, 38; 66; V, 413; Verg. ecl. VI, 86; Ov. Met. VI, 487; Lucan. II. 398; Sil. XI, 267; XII, 665; XVI, 38; Sen. Herc. Oet. 1907 (stelliger); paneg. in Pis. 209; Avien. phaen. 78; 111 (flammiger); progn. 538. *flammifer* i. e. stellas ferens: Lucan. V, 402 *nox flammifera*; Stat. silv. I, 2, 119 *sedes flammiferae*; *flammae* dicuntur pro stellis Ovid. fast. V, 165; trist. IV, 3, 15; Lucan. IX, 494.

5. Phoebus hoc loco ideo advocatur, quia Valerius unus erat ex quindecimviris, quibus cura erat sacrorum ritu Graeco faciendorum secundum praecepta librorum Sibyllinorum; inter deos autem, qui hoc ritu colebantur, eminebat Apollo, cuius vates est Sibylla Cumana, cfr. Prelleri myth. Rom.[3] p. 146 seqq. *mone* sic absolute positum apud Verg. Aen. VII, 41: *Tu vatem, tu diva, mone*; Ov. fast. III, 261; V, 447; cfr. Valer. VI, 34. *cortina* est insigne quindecimvirorum, quod commemoratur a Servio ad Aen. III, 332 et in nummis conspicitur apud Cohen I[2] Aug. 347 seq., Nero 311 seq.; cfr. Marq. ant. Rom. VI, 359. ex hoc Valerii loco apparet, hanc cortinam quindecimviros domi habuisse; nominatur *conscia Cymaeae vatis* i. e. consors vaticinationum Sibyllae, ut II, 255 *conscia Bacchi templa*, quae partes habent venerationis Bacchi; II, 410 *servati genitoris conscia sacra*, quae partes egerunt in genitore servando; cfr. Tib. I, 8, 3 *conscia fibra deorum.*

6. *digna* ad *fronte* referendum; etiam laurea est insigne quindecimvirorum, de quo cfr. Eckhel. de doctrin. numm. VI, 316.

7. *tuque o* paullo insolentius dictum vocativo non addito, nam

Digitized by Google

fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
oceanus Phrygios prius indignatus Iulos,
eripe me populis et habenti nubila terrae,
sancte pater, veterumque fave veneranda canenti

---

aliter se habent loci, qualis est Ov. met. II, 424; similia exempla, sed vocativo post intercedentem sententiam addito sunt v. 215; II, 274; Verg. georg. I, 12. *maior fama* sc. quam Argonautarum, cfr. Bernays. ges. Abhandl. II, 163. *aperti pelagi*: cfr. Pomp. Mel. III, 6 *quippe tamdiu clausam* (Britanniam) *aperit ecce principum maximus;* Tac. Agric. 25 *aperto maris sui secreto.*

8. de rebus a Vespasiano in Britannia sub imperatore Claudio gestis cfr. Suet. Vesp. c. 4; Cass. Dion. LX, 20; 30; Sil. III, 598; Tac. Agric. 13. *Caledonius* oceanus nominatur ut apud Sil. luci Caledonii pro Britannicis more poetico; in Caledoniam enim Vespasianus non progressus est.

9. *Iulos* dicere ausus est poeta ut Sil. III, 595 propter metrum pro Iuliis nimirum memor eius rei, quod Iulia gens ab Iulo originem ducebat. Iulos autem Romanos duce Iulio militantes dixit, ut saepius Vergilius et Ovidius Aeneadas Troianos vel Romanos, atque tangit Caesaris in Britanniam expeditiones et clades, quas tempestatibus accepit, cfr. Caes. de bell. Gall. IV, 29; V, 10; Cass. Dionis XXXIX, 52; XL, 2. Expeditionis autem Caesareae, quae eventu caruit, commemoratione augetur gloria gentis Flaviae. *Indignatus* Oceanus poetice dicitur ut *undae* v. 202; *pontem indignatus Araxes* Verg. Aen. VIII, 728; *indignatum aequor* Georg. II, 162; *freta indignantia* Ov. Met. XI, 491; *miserantes undae* Val. I, 281; *aequoris irae* II, 232.

10. *eripe me populis;* cfr. Hor. carm. I, 1, 32. *habenti nubila terrae*; cfr. Verg. Georg. III, 8: *temptanda via est, qua me quoque possim Tollere humo*; Prop. III, 1, 9: *quo* (versu) *me Fama levat terra sublimis.* Ceterum etiam ab aliis poetis tanquam dei imperatores advocantur, ut operi faveant, cfr. Ov. fast. I, 6; II, 17; Manil. I, 7 seqq.; Germ. phaen. 2; Lucan. I, 63 seqq.; Stat. silv. V, 1, 15; Coripp. Ioh. II, 24.

11. *sancte pater*; Ov. fast. II, 127 alloquitur Augustum his verbis: *sancte pater patriae*; cfr. culicis v. 26 et Stat. silv. V, 1. 167; apud Silium VII, 737 *sancte o genitor* sunt verba, quibus Minucius salutat Fabium dictatorem. Inde ab hoc versu complures conspicui sunt figura, quae nunc allitteratio dicitur, de qua v. Hirschwaelderi curas criticas p. 16 et Koestlin Philol. 39, 241.

Digitized by Google

facta virum. versam proles tua pandet Idumen
(namque potest), Solymo nigrantem pulvere fratrem
spargentemque faces et in omni turre furentem.
ille tibi cultusque deum delubraque centum

---

12. *proles tua*, Domitianus, cuius poeticam facultatem nimiis laudibus extulerunt Quintil. inst. or. X, 1, 91; Sil. III, 618 seqq.; Stat. Ach. I, 14; verius iudicaverunt, quia libere poterant, Suet. Domit. 2 et Tac. hist. IV, 86.

pandit in Vat. traditur, quŏd si recte scribitur, statuendum est, tum cum Valerius hoc prooemium conficeret, Domitianum iam incohasse carmen de bello Iudaico, sed totius loci ratione emendatio Gronovii *pandet* videtur commendari; cfr. similem sententiam apud Hor. c. I, 6.

pandere i. e. explicare inde a Lucretio poetis usitatum; *Idume* a poetis ponitur pro Idumaea i. e. Palaestina, sed hoc loco Hierosolyma urbs indicatur ut apud Lucanum III, 216, ubi Idume nominatur inter Ninum Damascum Gazam Tyrum Sidonem. Quae sequuntur, continent explicationem verborum *versam-Idumen*, legitimum igitur est asyndeton neque coniectura particula *que* aut *et* aut *ac* addenda.

13. *namque potest*; de hac parenthesi cfr. II, 490; Verg. Aen. VI, 366.

nigrantem pulvere ut Hor. c. I, 6. 14 *pulvere Troico niger* Meriones dicitur, II, 1, 21 *duces non indecoro pulvere sordidi*, Claud. de III cons. Hon. 37 Honorius *grato respersus pulvere belli*. *Solymum cinerem* legimus apud Stat. silv. V, 2, 138.

14. *in omni turre furentem*; cfr. Iuv. sat. VIII, 239: (Cicero) *in omni monte laborat*.

15. Cum prooemium vivo Vespasiano scriptum esse appareat ex v. 16 et 20, *ille* necessario is est, qui proxime patri successurus erat, *Titus*, neque ullo modo sententia Schenkelii probari potest affirmantis stud. p. 276 Domitianum dictum esse. Titus cum Valerius haec scriberet, ex Palaestina Romam nondum reverterat: *ille* autem pronomen interdum ad notionem, quae collocationis ratione habita propior est, refertur, si cogitatione remotior videtur, velut apud Cic. Tusc. II, 49: *Pacuvius hoc melius quam Sophocles, apud illum enim perquam flebiliter Ulixes lamentatur in volnere: ille* est poeta graecus et aetate et patria remotior; apud Liv. XXX, 30, 19: *melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: haec* (pax) *in tua, illa in deorum manu est*; cfr.

Digitized by Google

instituet, cum iam, genitor, lucebis ab alti
parte poli. neque enim Tyriis Cynosura carinis
certior aut Grais Helice servanda magistris,
si tu signa dabis, sed te duce Graecia mittet

---

etiam Val. I, 110; IV, 75; V, 444; VI, 372. Itaque ne id quidem fieri potest, ut hoc loco Valerium templum gentis Flaviae a Domitiano aedificatum commemoravisse statuamus neque id futurum esse omnino aut scire aut divinare poterat poeta vivo etiam tum Vespasiano, quare scripsi *centum* pro *genti* cum Hauptio Schenkelio Baehrente; hoc simili superlatione dictum est, ut Verg. Aen. I, 416 de centum aris loquitur, quae Veneri Paphi positae sint, vel Aen. IV, 200 de centum Iovis templis vel VIII, 716 adeo de tercentum delubris, quae Octavianus Romae sacraverit.

16. De imperatoribus inter sidera receptis insignis propter adulationem est locus Lucani I, 45 seqq., cfr. praeterea Verg. Georg. I, 32; Hor. c. III, 25, 5; Ov. Met. XV, 839; Stat. Theb. I, 24 seqq.; Germ. Arat. 560; Mart. IX, 101, 22; XIV, 124, 2; Stat. silv. V, 1, 241.

omni Vat. quod sana sententia caret, neque defendi potest loco Sen. Herc. fur. 1202 *nunc parte ab omni, genitor, iratus tona; alti* Haupt Herm. III, 214.

18. *certior* mente addendum etiam ad alterum membrum, ut contra *servanda* ad prius; sic 153 *eadem* ad *casus* addendum; 230 *quieto* ad *fatis*, VI, 98: *nec ferro brevior nec rumpia ligno*; 147 *abeunt — tigridis aut saevae profugi cum prole leaenae;* VII, 36 *quis furor has — egit in oras quisve mei vos tantus amor?* II, 231 *quos sternere Bessi nec Geticae potuere manus* i. e. nec Bessi nec Geticae e. q. s.; III, 10 *primas coniunx Percosia vestes quas dabat et picto Clite variaverat auro;* V, 58 *nec tumulo nec separe contegat urna* (ossa); 68 *hunc omnis honos, hunc omnis in unum transit amor.* servare i. q. observare, ut IV, 488; 640; Verg. eclog. III, 75; Georg. I, 205; Aen. VI, 338 al.

Κυνὸς οὐρά est ursa minor, quam Phoenices in navigando observabant, Helice ursa maior a Graecis observata; de hac re cfr. Ov. fast. III, 107; trist. IV, 3,1; her. XVII, 149; Manil. I, 298; Hyg. astr. II, 2 extr.; Germ. Arat. 40 seq., Sil. III, 665; Lucan. III, 219; Sen. Med. 697; Avien. phaen. 124; 136; Arat. 35 seqq. cum schol.

19. *seu* Vat. *si* Gronov.; *seu* Vat. *sed* Baehr.

Digitized by Google

et Sidon Nilusque rates. nunc nostra serenus
orsa iuves, haec ut Latias vox impleat urbes.
Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis,
iam gravis et longus populis metus: illius amnes

---

20. *serenus* de fronte vel vultu transfertur ad animum, hoc loco i. q. propitius, ut Sil. XIV, 80: *tractare sereno imperio vulgum;* Venant. Fort. VI, 1,90: *nubila nulla gravant populum sub rege sereno;* cfr. Ov. ex P. II, 2,65; Mart. epigr. II, 24,7; V, 6,9; IX, 24,3.

21. Wagner explicat 'per omne Latium carmen legatur meum', sed tam angustis finibus poeta gloriam suam circumscribere certe noluit; non raro Latius pro Romano ponitur, ut apud Ov. trist. IV, 4,6 *forum Latium* dicitur. Lucan. III, 309 *annales Latii* et Val. II, 245 *Latii fasti;* Luc. I, 22 et Sil. XV, 383 *leges Latiae*; sunt igitur urbes Latiae Romanae, in quibus homines latine loquuntur. Ceterum recte Caussin apud Lemairium 'poetam principi parcius ac moderatius adulatum fuisse' dicit, atque profecto quam longe absunt verba Valerii a foedis adulationibus Lucani Silii Statii Martialis!

22. *primis ab annis:* inde ab adolescentia. *frenabat* scripsit poeta ad indicandum durum Peliae imperium, vid. v. 23; 71. Apollonius prorsus omisit dicere, qua in terra regnaret Pelias, commemoratur ea versu demum 572 et 906. Omnino de toto hoc exordio disputantem cfr. Volkmann in progr. Jauer. 1875.

23. *gravis* sc. annis, qualis notio plerumque additur, ut *senecta* Ov. Met. VII, 299; *aevo* Verg. Aen. II, 436; *aetate* Liv. II, 19,6; VII, 29,1; X, 34,12; at simpliciter *gravis* dicitur Aeson Val. I, 296; Acrisius Stat. Theb. VI, 286.

Pelias *iam* grandaevus erat ideoque cum adolescens regnum adeptus esset, populis erat *longus* metus. Heinsius Burmann Wagner *iam* particula neglecta minus recte *gravis* de gravitate imperii interpretantur. *metus* pro eo qui metum inicit vel de rebus et locis horrendis saepius legitur: II, 16; 277; IV, 181; V, 360; Lucan. IX, 447; Ov. met. IV, 111; Il. lat. 794; Sen. Troad. 243; Agam. 765; Phaedr. 29; sic *pavor* Val. IV, 320; *formido* Hor. sat. I, 8,4; *horror* Val. I, 744; II, 24. Ut antea diuturnitatem imperii, sic eis, quae sequuntur, ambitum praedicat Valerius, cfr. V, 483 seqq.; in magna autem auctoritate regnum Peliae fuisse docent etiam ludi funebres, quos ei habitos esse Stesichorus carmine quodam narravit, vid. Bergk. poet. lyr. 3⁴ p. 205; Pausan. V, 17,9; in vase Caeretano picti sunt certaminis iudices et viri equorum curriculo certantes, mon. d. inst. X, 4,5.

Digitized by Google

Ionium quicumque petunt, ille Othryn et Haemum
atque imum felix versabat vomere Olympum.
sed non ulla quies animo fratrisque paventi
progeniem divumque minas; hunc nam fore regi
exitio vatesque canunt pecudumque per aras
terrifici monitus iterant: super ipsius ingens
instat fama viri virtusque haut laeta tyranno.
ergo anteire metus iuvenemque extinguere pergit

---

24. de Haemo monte, qui est inter Moesiam et Thraciam, Valerius hoc loco cogitare non potuit: minime enim est verisimile, eum regnum Peliae tantopere describendo extendere voluisse, sed interdum a poetis Haemus usque in Thessaliam pertinere statuitur, vid. Luc. X, 449 *audax Thessalici nuper qui rupe sub Haemi Hesperiae cunctos proceres — non timuit;* tum VII, 174 et 480, ubi Haemus enumeratur inter montes Thessaliae; cfr. Serv. Verg. Georg. I, 492 *Haemus mons est Thessaliae;* idem dicit ad II, 488.

25. *imum Olympum* iam Pius recte explicavit de fertili planitie monti subiecta: cfr. Luc. VI, 341; cum poetica superlatione quas regiones incolae regi subditi arant, regis ipsius esse dicuntur.

26. *fratris* Aesonis, quocum Pelias eandem matrem Tyronem habebat, ipse Neptuno natus.

27. Valerius non cogitasse videtur de oraculo Peliae ab Apolline dato, quod tangunt Apollon. I, 5 seqq.; Hyg. fab. 12; Pind. Pyth. IV, 71, sed de aliis vaticinationibus, quae extispiciis confirmabantur.

29. *super* ut IV, 680; VIII, 19 pro *insuper,* quo Valerius non utitur.

30. *laeta*: quae laetitiam afferat, grata: Lucan. VIII, 89; Hor. sat. I, 1,8; Stat. silv. IV, 8,26; Sil. XI, 201.

31. *anteire*: praevenire, ut Sil. XIII, 617 *Venus, insidias anteire laborans Iunonis;* Stat. Theb. X, 394; Tac. ann. V, 6 *antibo periculum*; VI. 29 *Scaurus — damnationem anteiit.*

extinguere pergit non potest esse, quod Burmann et Wagner voluerunt, 'extinguere perstat', nondum enim inceperat, sed ea ratione poetae interdum hoc verbo utuntur, ut significet actionem vel consilium inde ab initio cum pertinacia et constantia exsequi conari; ‚sich eifrig, hartnäckig bemühen', sine infinitivo ita dictum legitur I, 600; IV, 121; cfr. Verg. eclog. VI, 13; Aen. XII, 153, Cic. Arat. 326; Sil. VIII, 32; XV, 571; Sen. Troad. 664; Phaedr. 142;

Digitized by Google

Aesonium letique vias ac tempora versat.
sed neque bella videt Graias neque monstra per urbes
ulla. Cleonaeo iam tempora clusus hiatu
Alcides, olim Lernae defensus ab angue
Arcas, et ambobus iam cornua fracta iuvencis.

Drac. VIII, 235 B.; X, 163 B.; Avian. fab. 37,11: *Perge igitur nostris tua subdere colla catenis*; Arator. act. apost. II, 706; Paulin. vita Mart. IV, 319. Omnibus his locis notio pergendi pertinet ad initium agendi.

33. *neque monstra per urbes ulla*; cfr. Sen. Herc. fur. 40 *monstra iam desunt mihi*; sunt verba Iunonis querentis.

34. Ad rem apte confert Burmann Verg. Aen. XI, 680 seq.: *caput ingens oris hiatus Et malae texere lupi cum dentibus albis;* Stat. Theb. IV, 304: *ille Lycaoniae rictu caput asperat ursae.*

clusus i. q. tectus: Sil. IX, 588: *thorax — claudit latus;* X, 648: *casside vultus Clauditur;* XIV, 158: *cassis — clauserat ora;* Stat. Theb. IV, 350: *umeros clypeo clausisse paterno Dulce.* Ceterum Burm. iniuria offendit in eo, quod Valerius leonem Cleonaeum ab Hercule occisum esse dicit ante Argonautarum expeditionem, cum temporum computationem in his rebus poeta tam anxie curare non debuerit. Varie enim ab aliis traditur; certe Valerius sibi constitit, cfr. II, 382 et 495. Partem laborum nondum peractam esse indicare videtur Apollon. I, 1318; aprum Erymanthium iam ab eo victum esse commemorat I, 126 seqq.; secundum Diodor. IV, 15 expeditio Argonautarum facta est inter octavum et nonum laborem Herculis, contra ante eius labores IV, 48.

35. *olim*: iamdudum, ut v. 53, quem locum interpretes non recte intellexerunt; cfr. praetera Val. IV, 121; VI, 61; Ov. Met. II, 466; Lucan. V, 769; Sil. I, 483; Stat. Theb. I, 312; VII, 779; XI, 634; Ach. II, 136; Sen. Troad. 910; Iuv. VI, 346; Optat. Porf. 5,9; Dracont. 10,146 B.; Prud. perist. 10,663.

36. ambo iuvenci a plerisque intelleguntur Achelous fluvius et taurus Cretensis: illius cornu vere fregit Hercules, cfr. Ov. Met. IX, 85; alterius vis in cornu sita fracta. Dureau autem cum Achelous non esset monstrum hominibus formidolosum, sed fluvius benignus, poetam non de hoc sed de Minotauro a Theseo domito mentionem fecisse putat, mea quidem sententia recte, cum verbis poetae non cogamur de solis Herculis laboribus cogitare.

Minus accurate hydra Lernaea in Arcadia fuisse dicitur hoc

Digitized by Google

ira maris vastique placent discrimina ponti.
tum iuvenem tranquilla tuens nec fronte timendus
occupat et fictis dat vultum et pondera dictis.
'hanc mihi militiam, veterum quae pulchrior actis,
adnue daque animum. nostri de sanguine Phrixus

---

loco, ut etiam in versu 108; cfr. Verg. Aen. XII, 518, ubi Menoetes Arcas nominatur, qui circum flumina Lernae habitaret, et mythogr. Vat. II, 163, qui hydram interpretatus est fontem esse Arcadiae.

37. *ira maris*, ut aequoris irae II, 232; cfr. ad v. 9.

38. *tranquilla tuens;* neutrum pluralis adiectivi saepissime pro adverbio poni notum est, inter alia cfr. Lucr. V, 35 et Verg. Aen. IX, 794 *acerba tuens;* Val. II, 555 et Verg. VI. 467 *torva tuens;* Auson Mos. 170 *glauca tuentes;* Val. III. 229; Aen. XII, 398; Aratoris act. ap. I, 708 *acerba fremens;* Georg. III, 149 *acerba sonans;* Coripp. Ioh. III, 439; IV, 989; 1085; VI, 638; VIII, 116 *acerba furens. fronte* cum vi quadam dicitur, ita ut tacite mens opponatur.

39. *occupat*, prior alloquitur, ut II, 136; VIII, 413; Hor. sat. I, 9,6; ep. I, 7,66; Stat. Theb. VII, 538.

Ceterum iniuria verba quae sequuntur a plerisque editoribus corrupta habita sunt: *vultum et pondera* pro eo, quod est pondera vultus, non magis suspectum quam vel apud Ciceronem de sen. 15: *quae iuventute geruntur ac viribus*; pondera vultus dicuntur, ut Cic. de orat. II, 73 *verborum pondera* vel partit. or. 60 *pondera rerum* (cfr. ad II, 418); pondera autem vultus dictis *dare* defenditur verbis Manil. IV 439 *dabit ipse sibimet Pondera;* prorsus apte comparatur etiam Ov. fast. V, 503 *addidit et vultum verbis.* Versus denique, qui nunc dicitur Leoninus, legitur etiam V, 303; cfr. I, 78; III, 552; tum Lucan. I, 329 *altus caesorum pavit cruor armentorum;* Prop. I, 8,11 *nec tibi Tyrrhena solvatur funus harena*; Lucr. I, 318 *saepe salutantum tactu praeterque meantum;* II, 696 *multarum rerum cum sint primordia verum*; Verg. Georg. II, 422 *cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt*; Ov. her. VIII, 27 *vir, precor, uxori, frater succurre sorori*; Stat. Theb. II, 239 *illa suas Cyntho comites agat, haec Aracyntho.* Ceterum *dictis* correpta priore syllaba dicebatur, cfr. Gell. IX, 6,3; *fictis* autem productam paenultimam vocalem habuisse longe probabilissimum; nulla igitur est causa, cur in forma versus offendamus.

41. *daque animum* sc. huic militiae i. e. da te huic m., ut Ov. met. II, 384 *daque animum in luctus* idem est atque da te luctui.

nostri de sanguine Phrixus Cretheos; haec verba quamquam

Cretheos ut patrias audisti effugerit aras.
hunc ferus Aeetes, Scythiam Phasimque rigentem
qui colit, (heu magni Solis pudor!) hospita vina
inter et attonitae mactat solemnia mensae
nil nostri divumque memor. non nuntia tantum
fama refert: ipsum iuvenem tam saeva gementem,
ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
aspicio, lacera adsiduis meque illius umbra

---

possunt ita explicari, ut dicamus consanguinitate coniunctum indicari Phrixum cum Iasone et Pelia, tamen ex V, 477 apparet, aliter ea esse interpretanda; ibi enim aperte poeta dicit eundem Cretheum *auctorem* esse et Iasoni et Phrixo, cfr. praeterea II, 611 ubi Helle Cretheia virgo nominatur. Aberravit igitur Valerius a tradita fabula, qua Cretheus frater Athamantis patris Phrixi fuisse narratur ita quidem, ut Aeolum putaverit patrem Crethei, at Cretheum patrem et Athamantis et Aesonis, ut et Iason et Phrixus nepotes essent eiusdem Crethei. Notam fabulam de Phrixi ex paterna domo fuga narrat Apollodor. I, 9,1.

Quae deinde profert Pelias de caede Phrixi et impietate singulari Aeetae, haec omnia fingit ad animum Iasonis ira inflammandum; de caede enim Phrixi nihil apud Valerium traditur, contra amice receptus in Colchide et usque ad mortem habitus est, cfr. I, 520 seqq.; V. 224 seqq.; Apollon. II, 1150 seqq. Sane aliter tradiderunt alii: amice quidem exceptum Phrixum et filiam Aeetae in matrimonium accepisse, sed postea a rege verito, ne regno ab genero privaretur, occisum esse, cfr. Hygin. fab. 3; 245; schol. Stat. Th. II, 281; mythogr. Vat. I, 23; II, 136. Scite Valerius hoc mendacium Peliae finxit; apud Pind. Pyth. IV, 289 rex Iolci Phrixum sibi in somniis apparuisse dicit monentem, ut vellus aureum repeteretur, de caede tacet.

45. legitur in interpolatis codicibus, quare eum recte omisit Thilo, quamquam versus similis sententiae sine dubio excidit.

47. *saeva* est accusativus obiecti, ut Ov. fast. II, 835: *communia damna gementes*; Cic. ad Attic. II, 18,1: *hic status — gemitur.*

48. Verg. Aen. III, 511: *fessos sopor irrigat artus*; Claud. Mar. Vict. Aleth. III, 438 *fessos dulcis sopor alligat artus*; cfr. Val. VI, 443.

49. *lacera adsiduis namque* traditur in Vat., *namque* probari non potest, cum altera sententia non explicationi prioris inserviat, sed novum aliquid addatur, excitari se e somno; collocationem autem verborum, quae est in Vat., servandam puto, cum traiectio talis *que*

Digitized by Google

questibus et magni numen maris excitat Helle.
si mihi quae quondam vires, expendere poenas
Colchida iam et regis caput hic atque arma videres.
olim annis ille ardor hebet, necdum mea proles
imperio et belli rebus matura marique.
tu, cui iam curaeqne vigent animique viriles,
i, decus, et pecoris Nephelaei vellera Graio
redde tholo ac tantis temet dignare periclis.'

---

particulae saepe reperiatur, imprimis apud Ovidium, velut trist. IV, 1,40; 5,6; V, 10,40: ex P. III, 6,48 al., apud Val. ipsum VII, 310; I, 420; 848; II, 168.

50. non proprie Hellespontus magnum mare dicitur, sed est omnino epitheton maris, ut *vastae aquae* de Hellesponto Ov. her. XVIII, 164; *ianua vasta gemini maris* de Bosporo trist. I, 10,32; *vasta Syrtis* Sil. I, 408.

51. *vel pendere*, quod est in Vat., sana sententia caret, cum in eis, quae sequuntur, nihil insit, quod gradationem admittat; scripsi *expendere*, quod interdum a poetis ponitur pro pendendo, ut Acc. 536 R. *poenas*; Verg. Aen. VI, 740 *supplicia*; X, 669 et XI, 258 *poenas*; Sil. VI, 588 *supplicia*; VII, 713 *pretium*; XIII, 698 *poenas*; et ex hoc poetico usu invenitur etiam apud Tac. ann. XII, 19. De sententia cfr. Verg. Aen. V, 397.

53. *olim*, cfr. ad 35; interpretes falso aut ad *annis* aut ad *ardor* rettulerunt. *annis* 'in Folge der Jahre' ut I, 329 *curis*; III, 39 *luctamine*; 66 *nube*; IV, 380 *verbere*; II, 446 *fatis*; VI, 87 *paterno crimine*. *ardor hebet* ut VII, 156; *mea proles* i. e. Acastus, cfr. 153; 162 seqq.

55. *viriles* etiam cum *curis* coniungendum: quales viri habere solent, Verg. Aen. IX, 311 *animumque gerens curamque virilem*. *animi* de virtute, alacritate unius viri, ut Ov. Met. V, 47 *datque animos*; her. XVII, 93 *addis . . . . animos*; Lucan. VII, 679 *ingentisque animos extrema in fata ferentem* (aufert sonipes).

56. Videtur esse imitatio Vergilii, qui dixit Aen. VI, 546 *i, decus, i nostrum*, quamquam id concedendum Burmanno, aliis locis, ubi decus hanc significationem habeat, genetivum vel pronomen addi.

57. tholus est pars templi rotunda et concamerata, in qua dona deis oblata suspendebantur, vid. Verg. Aen. IX, 407; Stat. silv. I, 4,33; 99; Theb. II, 733.

tantis temet dignare periclis, cfr. VIII, 430 *nullis ego digna periclis?*

Digitized by Google

talibus hortatur iuvenem, propiorque iubenti
conticuit, cautis Scythico concurrere ponto
Cyaneas tantoque silet possessa dracone
vellera, multifidas regis quem filia linguas
vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat
et dabat ex taetro liventia mella veneno.
Mox taciti patuere doli nec vellera curae

---

58. *propiorque iubenti* sc. quam hortanti.

59. *certis* Vat., *certus*, quod in duobus codicibus deterioribus reperitur, receperunt Thilo et Schenkl, sed offendit sententia inaequaliter expressa, cum de utroque periculo certus sit Pelias, de utroque sileat; *cautis* Loehbach progr. 1876 p. 4. *silet* pertinet ad utrumque membrum, cfr. ad v. 18 et I, 761 *an patres regnique acuat mutabile vulgus*; V, 183: *Pallas et alipedum Iuno iuga sistit equorum*; asyndeto inter *hortatur (conticuit)* et *silet* contrarium optime effertur; cautes autem Cyaneae nominantur etiam I, 630; VII, 41; Lucan. II, 716. *Scythicus* pontus Euxinus nominatur etiam ab Ovidio trist. III, 4,46; IV, 1,45; V, 2,62; 10,14.

60. de industria auget periculum poeta, cum dicit possessa a dracone vellera, non servata.

62. de re cfr. VIII, 96 seq.

63. *externo* Vat., *ex taetro* Hartel; versus vexatissimus propter hoc externum venenum, quod Loehbach et Koestlin interpretati sunt dictum esse Romanorum patriae ratione habita, quibus Medeae venena essent externa, quod mihi non probatur; ex multitudine coniecturarum optima propter sententiam neque violenta videtur Hartelii proposita ephem. gymn. Austr. 24,144, in quam nimis impudenter invectus est Baehrens oblitus, se ipsum edidisse IV, 183 *ossaque taetra situ*; *ex* praepositio autem hac notione vel apud Ciceronem invenitur, poetarum locos praeter alios cfr. Ov. her. XI, 104 *ut meus ex isto luceat igne rogus*; trist. II, 455 *et quibus e sucis abeat de corpore livor Docet*, Lucr. V, 1144 (genus humanum) *ex inimicitiis languebat*; VI, 171 *qui mittiture simili causa*; vid. praeterea Prop. II, 1,50; cul. 112; Avien. orae 411; saepe apud Plautum Terentium aliosque antiquiores scriptores legitur.

64. cui pateant doli, ex tota sententia facile apparet, cfr. Lucan. IV, 746; V, 141.

Digitized by Google

esse viro, sed sese odiis immania cogi
in freta. qua iussos sectatur quaerere Colchos
arte queat. nunc aerii plantaria vellet
Perseos aut currus et quos frenasse dracones

65. *immania* sunt freta non tam propter magnitudinem, quam plerumque hoc adiectivum indicat, cum de locis dicitur, sed propter inaudita pericula ibi imminentia, ut Verg. Aen. I, 616 *orae immanes* nominantur propter feras gentes, quae eas incolebant.

Primo propter imperium Peliae paratus est Iason iussa exsequi, sed mox cum videat vix perveniri posse ad Colchos, dubius haeret, an occiso tyranno se onere imposito liberare possit; at ab altera parte gloria, quam sibi paraturus est, eum instigat tandemque sic dubitantem confirmat religio deorum.

66. *sectantem* Vat., *sectatur* Haupt, i. e. quaerit, ut Hor. c. I, 38,3 *mitte sectari rosa quo locorum sera moretur*; similiter Lucr. I, 156 *quod sequimur,* i. e. de quo quaerimus; II, 166 *persectati* i. e. perscrutati; VI, 808 *argenti venas aurique secuntur.*

67. Perseus *plantaribus* alis Mercurii usus est in Andromeda servanda, Hyg. fab. 64; saepius et rectius *talaria* dicuntur, ut etiam in artium monumentis conspiciuntur alligatae circum talos, vid. Verg. Aen. IV, 239; Ov. Met. II, 736; IV, 666; 729; X, 591; Sil. XVI, 501; *plantares* alae dicuntur a Stat. Theb. I, 304. *aerius* nominatur Perseus ut Iris Verg. Aen. IX, 803 et saepius aves.

velle cum accusativo substantivi pro eo quod est optare: '(sich) Flügel wünschen'; cfr. II, 372; similiter Verg. Aen. VII, 340; IX, 539; XII, 242; Sil. II, 518; IX, 7; XII, 473; XIII, 318; Stat. Theb. III, 664; VIII, 279; 657; XI, 510; XII, 639; Lucan. IX, 81; Tibull. I, 4,58.

68. Triptolemum, de quo cfr. Preller Mythol. gr. 1^4, 770 seqq., alumnum Cereris cum Perseo iungit Valerius exemplum secutus Ovidii amor. III, 6,12 et trist. III, 8,1. *curru saevos* Vat., *currus et quos* Haupt Herm. III, 212; de plurali *currus* cf. II, 411; III, 415; V, 245; VI, 6; Verg. Aen. I, 486; VI, 485; X, 574; 592; XII, 350; 485; 918. Triptolemus in curru Cereris draconibus iuncto stans et semina spargens saepe conspicitur in monumentis: Muell.-Wies. Denkm. I, 69,380; I, 11,112; 113; 114; 117; Gerhard auserles. Vasenb. I, tab. 45; ges. Abhandl. II, tab. 78. Overbeck griech. Kunstmyth. Atl. tab. XVI, 12; 3,13; in gemmis vol. III tab. IV, 13 et 14; in nummis tab. IX, 4,5,6; cfr. p. 587.

69. *vomere terras imbuit* i. e. primus terras aravit, cfr. Catull.

Digitized by Google

creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
imbuit et flava quercum damnavit arista.
heu quid agat? populumne levem veterique tyranno
infensum atque olim miserantes Aesona patres
advocet? an socia Iunone et Pallade fretus
armisona speret magis et freta iussa capessat,
siqua operis tanti domito consurgere ponto

64. 11: *illa* (Argo) *rudem cursu prima imbuit Amphitriten*; Verg. Aen. VII, 541 *sanguine bellum imbuit* i. e. bellum gerere incepit; Ov. art. I, 654 *infelix imbuit auctor opus* (de Perillo dictum); item trist. III, 11,52; Prop. III. 15, 6: *illa rudes animos per noctes conscia primas imbuit*; Mart. VIII, 51,17: *imbuat egregium — munus — tua — manus* i. e. tu primus vinum infundas.

70. de glande primo hominum cibo saepe poetae mentionem faciunt: Lucr. V, 936; 1414; Hor. sat. 1, 3,100. Ov. am. III, 10,10; art. II, 622; met. I, 106; fast. I, 676; IV, 399 seq.; Tib. II, 1,38; II, 3,69; cul. 135; Iuv. sat. VI, 10; XIV, 183 seq.; Sulpic. sat. 17; Claud. rapt. Pros. I, 30; Auson. technop. de cibis 3; Boeth. de cons. II, 5,5; Prudent. c. Symm. II, 284; Ap. Sid. IX, 182; XXII, 177. *damnavit* poetice pro eo quod Vergilius simplicius dixerat Georg. I, 8: *Chaoniam pingui glandem mutavit arista*; sed cfr. Sil. VIII, 494 *Lycios damnant hastilibus arcus*; Stat. silv. III, 2,126: *eoas iaculo damnare sagittas*; vide etiam Sil. XVII, 584: *damnasse aciem*, i. e. omisisse.

71. *heu quid agat?* Verg. Aen. IV, 283.

72. *patres* recte intelleguntur nobiles, quasi senatores; notum est Vergilium instituta sui temporis transtulisse ad tempora heroica. cfr. de senatu Aen. III, 58; V, 341; 758; VII, 176; VIII, 105; IX, 190 et Valerii ipsius I. 761; V, 269; 464; VIII, 281. Exemplum Vergilii etiam alii poetae secuti sunt: Ov. met. VII, 431; XIII, 197 seqq.; Stat. Theb. II, 443; Prud. cathem. VII, 144; 151.

74. *superet* Vat., *speret* Gronov., vid. stud. Vind. V, 140. Non potest Iason deliberare, num freta superet, sed num omnino freta adeat; *sperare* sine obiecto ponitur ut Ov. trist. II, 145; am. II, 19,5; Luc. II, 15; X, 451; Stat. silv. I, 2,78.

speret magis Baehr. scriptum esse putat pro eo quod est speret potius, sed significat maiorem spem habere. *freta capessere*, ut IV, 316; 344; V, 407; VIII, 370; Verg. Aen. IV, 346; Sil. IV, 478; XIII, 302.

75. *consurgere* poetica translatione dictum, cfr. IV, 254; 455;

Digitized by Google

fama queat? tu sola animos mentesque peruris,
Gloria! te viridem videt immunemque senectae
Phasidis in ripa stantem iuvenesque vocantem.
tandem animi incertum confusaque pectora firmat
relligio, tendensque pias ad sidera palmas,
'omnipotens regina', inquit 'quam, turbidus atro
aethere caeruleum quateret cum Iuppiter imbrem,
ipse ego praecipiti tumidum per Enipea nimbo
in campos et tuta tuli nec credere quivi

Verg. Aen. VIII, 637; XII, 313; Ov. her. XVI, 351; fast. V, 228; Sil. I, 686; XIV, 293.

76. *peruris* i. e. inflammas. ut I, 476; Sil. XVII, 294; Sen. Herc. Oet. 620; vel apud Ciceronem ep. XIII, 15.

77. Pulchre depingit poeta imaginem Gloriae Iasonem ad expeditionem vocantis. *viridis* aetas vel vires vel forma iuvenilis saepius a poetis dicitur, ut Verg. Aen. V, 295; Ovid. trist. IV, 10,17; ex P. IV, 12,29; Sil. I, 187; Boeth. de cons. I, 1,7.

79. *animi incertum:* nota est constructio, qua locativus *animi* cum adiectivis vel verbis, quae notionem incerti dubii anxii habent, coniungitur; *incertus animi* legitur etiam Stat. Theb. III, 444; Liv. I, 7,6.

80. *religio* hoc loco explicatur spes auxilii divini, sed praeterea subesse ea sententia videtur, ut propter pietatem regi insidias struere nolit. *tendens — ad sidera palmas*, Verg. Aen. V, 256.

81. *aether ater* est nubibus obductus, cfr. Sil. VI, 607. *turbidus* Iuppiter nominatur, quia turbas movet, ita *dea* II, 115; *auster* Hor. c. III, 3, 5; Luc. I, 234.

82. *caeruleus imber* Verg. Aen. III, 194; V, 10; Ov. her. VII, 94; imber autem est quasi telum Iovis, quod ab eo torquetur, ut II, 22 Valerius dicit Iovem hiemes *quatere*; cfr. Mart. ep. IX, 72, 2 *qui quatis—verbera.*

83. Nomen fluvii, per quem Iason Iunonem tulit, varie traditur: Anaurus est apud Apollon. III, 67; schol. Pind. Pyth. IV, 133. (myth. Vat. II, 135; Apollod. I, 9, 16,3); Euenus apud Hyg. fab. 13; schol. Stat. Th. V, 345; at is erat fluvius, per quem Nessus Deianiram tulit, quod praeter alios etiam ipse Hyginus narrat fab. 34; nugas profert Dracont. X, 56 B.

84. *nec credere quivi*, Verg. Aen. VI, 463.

Digitized by Google

ante deam, quam te tonitru nutuque reposci
coniugis et subita raptam formidine vidi,
da Scythiam Phasimque mihi; tuque, innuba Pallas,
eripe me. vestris egomet tum vellera templis
illa dabo; dabit auratis et cornibus igni
colla pater niveique greges altaria cingent.'

---

86. *subita formidine* i. e. specie terribili, quae subito exorta est tonitru indicata; sic Lucr. IV, 171 *atrae formidinis ora* sunt species formidolosae, eademque ratione explicandum est apud Sil. III, 167 *immissa rumpit formidine somnos*: rumpit visu nocturno formidoloso somnos; cfr. etiam Verg. Georg. IV, 468 *caligantem nigra formidine lucum*.

87. *da Scythiam Phasimque mihi* memorabili breviloquentia dictum, de qua vide praefationem. Iuno non solum favebat Iasoni, quod is ei opem laboranti tulit, sed etiam, quod ipsa Peliae inimica erat, cfr. Apollod. I, 9, 8, 3; I, 9, 16, 4.

88. *eripe me* sc. periculis, absolute positum, quasi serva me; sic etiam v. 225; IV, 272; Sil. IX, 432 seq.: *erepti Ticina ad flumina patris Exigere — poenas*; Sen. Thyest. 428: *reflecte gressum dum licet teque eripe;* Venant. Fort. vit. Mart. IV, 417: *Martini deus, eripe nos*; cfr. Ov. met. XIV, 540.

Mirum, quod Iason paucissimis tantum verbis Minervae supplicat, neque causam addit, cur praeter Iunonem hanc potissimum deam invocet, sed ne poeta quidem indicat, qua re commota Minerva ei auxilium ferat. Carere autem eius ope ideo non poterat Iason, quia nondum navis ab hominibus aedificata erat; apud Orpheum Argon. 66 seq. ipsa Iuno iubet Minervam navem fabricari. Iam cum auxilio Minervae navis aedificata esset, etiam consentaneum erat, hanc deam navi et nautis patrocinari.

89. Mos cornua hostiarum auro ornandi iam ex Homero notus: cfr. Od. III, 384; 432 seqq.; Il. X, 294; Val. III, 431; Verg. Aen. IX, 627; Ov. met. VII, 161; X, 271; Sen. Oed. 137; Herc. Oet. 785; Tib. IV, 1, 15.

Et coniunctio secundo vocabulo sententiae postposita raro reperitur apud Valerium: II, 53; V, 12; VII, 185; VIII, 29; primo postponitur saepissime, velut I, 95; 119; 370; 378; 449; 461; II, 74; 423; III, 44; 316; 435; 589; 723; IV, 52; 207; 306; 543; 646; 740; V, 151; 427; 430; V, 534; VI, 433; 739; VII, 107; 501; 554; VIII, 51; 168; 278; 308; 314. Post quartum adeo legitur apud Ov. ex P. I, 4,20.

90. patrem Burmannus intellegit patrem gregis, arietem, Wagner

Digitized by Google

Accepere deae celerique per aethera lapsu
diversas petiere vias. in moenia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
moliri hunc puppem iubet et demittere ferro
robora Peliacas et iam comes exit in umbras.
at Iuno Argolicas pariter Macetumque per urbes

---

rectius Aesonem; *colla* ea figura, quam rhetores synecdochen nominant, dicuntur pro hostiis, quarum colla ictu in immolando percutiuntur. Similiter haec colli notio in hostia effertur Stat. Theb. I, 507 *litabunt electa cervice greges*; IV, 446 *quaecunque gregum pulcherrima cervix Ducitur*; Iuv. sat. XII, 14 *iret* (sc. ad aram) *et a grandi cervix ferienda magistro*; Claud. in Eutrop. I, 20: *quo diras iugulo placabimus aras?*

cingent Vat.; non mutandum, quo ingens hostiarum numerus poetice significetur.

91. *accepere* sc. preces et promissa dona; cfr. 182, itaque se auxilio fore adnuunt; *preces accipere* dixit Ov. fast. IV, 320; Ib. 70.

celerique per aethera lapsu; Ov. met. VI, 216 *celerique per aera apsu*; Hor. c. I, 12, 10 fluminum lapsus *rapidi* dicuntur, Cic. Arat. 315 *praeceps lapsus Hydrae sideris.*

93. de Thespiis urbe quadam in Thessalia sita poeta cogitasse videtur, cfr. I, 477 et Steph. Byz. s. v. Θέσπεια p. 310 v. 17 M., non de noto Boeotiae oppido, quod putat Jessen proleg. in catalog. Argonautarum p. 33. Thespiades Argus nominatur I, 124. Consulto aut neglegentem Valerium mutavisse ea, quae scripsit Apollon. I, 105 seqq. putat Schwartz de Dionysio Scythobrachione p. 41. Hunc Argum confuderunt cum Phrixi filio Pherecydes apud schol. Apollon. I, 4 et Apollod. I, 9, 16, 6 et 9. Nominatur Arestorides apud Apollon. I, 112; at apud Ov. Met. I, 624, ubi vid. doctam Burmanni adnotationem, Argus custos Ionis Arestorides vocatur; cfr. Apollod. II, 1, 3, 3.

94. *demittere* sc. ad terram i. e. caedere; alterum exemplum huius notionis non videtur reperiri.

95. His verbis apte poeta indicat opus quam maxime accelerari; de auxilio Minervae cfr. Claud. bell. Poll. 16.

96. Argolicae urbes sunt Graecae; Macedonia commemoratur, quod regnum Peliae, ut poeta 25 seq. indicavit, in hanc ipsam regionem patebat. Aptissime utitur Valerius auxilio divino ad Argonautas ex tota Graecia convocandos, contra apud Apollonium prorsus non intellegitur, qua ratione factum sit, ut Argonautae Iolcum convenirent. Neque Iasoni hanc Iunonis opem incognitam mansisse

Digitized by Google

spargit inexpertos temptare parentibus austros
Aesoniden, iam stare ratem remisque superbam
poscere quosque vehat rebusque in saecula tollat.
Omnis avet quae iam bellis spectataque fama
turba ducum, primae seu quos in flore iuventae
temptamenta tenent necdum data copia rerum.
at quibus arvorum studiumque insontis aratri,

finxit Valerius, vide IV, 543. Pind. Pyth. IV, 301 seqq. Iasonem praecones per Graeciam dimisisse narrat, Iunonem autem ardorem Argonautarum inflammasse 327 seqq.

99. *revehat*, quod est in Vat., explicatur de felici reditu, mire, ne dicam inepte; recepi Baehrentis coniecturam. *rebus* i. e. rebus gestis ut 102; II, 381; III, 680 al.; *in saecula tollere* insolentius dictum, sed tamen nihil mutandum: *tollere* interdum idem valet atque promovere, ut I, 340; VIII, 328; Lucan. III, 526: ut autem hi loci explicantur de navi super undas sublata et promota, ita Argonautae super homines tolluntur eorumque facta ad posteros promoventur et servantur; cfr. etiam Sil. XVII, 286: *ne tollat acerba hoc Carthago decus* i. e. ne servet hoc decus. *In saecula tollere* igitur prorsus eadem ratione dicitur atque Sil. II, 511: *decus — in saecula mittam*; XII, 312: *factoque in saecula ituro Laetantur tribuisse locum*; Lucan. VIII, 608: *qua posteritas in saecula mittet Septimium fama*; X, 533: *in famam et saecula mitti*; cfr. etiam I, 448; VII, 208.

100. *habet* Vat., *avet* cod. C., quod verum est. Avendi verbum admodum raro absolute ponitur, sed extat exemplum ex Ennio a Varrone servatum de ling. lat. VI, 83 (34 trag. R.): *iam dudum ab ludis animus atque aures avent* i. e. studio incensae sunt: sic Valerius dicit omnem ducum turbam studio incensam. Ipse poeta similiter *avens* participio absolute utitur II, 124 pro eo quod est ardoris, studii plenus.

101. Pro *seu* expectatur *et si*; sed vide ea quae infra ad versum 117 dicentur; de *flore iuventae* cfr. Verg. Aen. VII, 162; VIII, 160.

103. *studium* ad utrumque membrum pertinet, cfr. ad v. 59.

insons, quod nemini nocet, ut VI, 131; Hor. c. II, 19, 29 *i. Cerberus*; Ov. trist. III, 10. 66 *casae*; Stat. silv. III, 1,44 *irae*; Theb. VI, 75 *sagittae*; Coripp. Ioh. II, 348: *ignosces gentibus insons*; III, 326: *miles et in propriis laetatus sedibus insons*; Venant. Fort. vita Mart. I, 350: *sic cultro ablato manibus latro extitit insons*; Paul. vit. Mart. III, 62 *post aciem— insontes gladios cessasse a crimine caedis*; cfr. quae de *sonte* ad V, 42 dicentur.

Digitized by Google

hos stimulant magnaque ratem per lustra viasque
visi laude canunt manifesto in lumine Fauni
silvarumque deae atque elatis cornibus Amnes.
Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
advolat, Arcadio cuius flammata veneno
tela puer facilesque umeris gaudentibus arcus

104. Cum non multitudo militum totusque exercitus etiam ex agrestibus contractus expeditioni intersit, sed in una navi lecti heroes, reges filiique regum, hic versus non ita est intellegendus, quasi rustici ad ipsam expeditionem faciendam permoti sint, sed animis tantum instigantur laudemque fortium virorum avidis auribus excipiunt.

105. *iussi* Vat., *visi* Heinsius coniectura admodum probabili coll. Verg. Aen. III, 148 seqq. et IV, 358.

106. Deis amnium cornua signum roboris tribui notissimum, velut Ov. Met. XI, 763; XIII, 894; XIV, 602; fast. III, 647; trist. III, 2,41; Verg. Georg. IV, 371; Stat. Theb. VII, 66; Claud. de bello Poll. 603; Auson. Mos. 471 al.

107. Apte poeta indicat Herculis promptissimum ad expeditionem animum vocabulis *protinus, advolat, ultro*, non a Iunone excitatus; Apollon. I, 130 iniussu Eurysthei eum expeditioni interfuisse dicit; causam satis miram, cur Hercules expeditionis particeps fuerit, affert Ptolem. II, p. 185 ed. Westerm., qui etiam navem ab Hercule aedificatam esse tradit.

Tirynthia a poetis omnia dicuntur, quae ad Herculem pertinent; ipse utpote Tirynthe habitans et educatus solo hoc nomine designatur saepius ab Ovidio, Vergilio, aliis, a Valerio I, 253; II, 575 multisque aliis locis.

108. *Arcadio veneno*; cfr. ad 36. *flammata veneno tela* i. e. veneno ignem continenti infecta; item Silium dixisse puto Heinsium secutus III, 273: *ferrum inflammare veneno*.

109. *faciles* ad gestandum arcus dicuntur ut *facilis virga* (ad flectendum) Verg. Georg. I, 266; *faciles animi iuvenum* (ad formandum) III, 165; *galea* (Martis) *haud deorum ulli facilis* (ad gestandum) Sil. IV, 433; facilis autem est arcus prae mole clavae, cui portandae Hylae vires nondum pares sunt; hac comparatione non instituta Hylam sub ingenti pharetra Herculis sudasse dicit Stat. Theb. V, 444; pluralis *arcus* ponitur ut *currus* v. 68, cfr. III, 161 et saepe apud Ovidium.

Gaudium, quo perfunditur ipse puer, poetice transfertur ad umeros, quibus arcum portat; cfr. 122 *docta bipenni*; 294 *quietis toris*; 488

gestat Hylas: velit ille quidem, sed dextera nondum
par oneri clavaeque capax. quos talibus amens
insequitur solitosque novat Saturnia questus:
'o utinam Graiae rueret non omne iuventae
in nova fata decus, nostrique Eurystheos haec nunc
iussa forent! imbrem et tenebras saevumque tridentem

---

ardenti ferro; 605 *insanam ratem*; 622 *pavidam ratem*; 759 *ferrum imbelle*; II, 262 *turbo insomnis*; 417 *pocula blanda*; 545 *ovante gradu*; III, 40 *inscia dextra*; 52 *trepidis rotis*; 84 *tubae sanguineae*; 424 *supplice oliva*; 441 *tacitos gradus*; 562 *avidas manus*; 660 *deside terra*; IV, 257 *dubiis votis*; 302 *inconsulta bracchia*; 328 *magnanimis palaestris*; 418 *ovanti sistro*; 527 *dubiis alis*; 534 *pavidae mensae*; 571 *pavidas habenas*; 685 *invito cornu*; V, 85 *avidos vultus*; 115 *vagus error*; 141 *pervigil labor*; 148 *deside mitra*; VI, 154 *trepidis plaustris*; 401 *trepidos currus*; VII, 348 *grandaeva consilia*; VIII, 21 *attonito pede*. Omnibus his locis notio adiectivi ab homine (IV, 685 ab animali) transfertur ad rem, quam tractat vel possidet vel qua aliqua ratione utitur. Sic ut paucissima aliorum poetarum exempla afferam, etiam Horatius dicit c. I, 3, 40: *iracunda Iovem ponere fulmina*; Lucan. I, 603: *Salius laeto portans ancilia collo*; IX, 214: *gaudentemque iubam — solves*; Prop. III, 14, 9: *ligat — gaudentia bracchia loris*.

110. *velit ille quidem*: Stat. Theb. VI, 477.

111. *clavaeque capax*; altera sententia negans priori additur *que* particula ut I, 699: *nec vana pavet trepidatque futuris*; 764: *nec fata traham natumque videbo Te sine*; II, 80 seq.: *nec te — Terra fugat meritique piget meminisse prioris*; 327 seq.: *nec turba nocens scelerisque recentis signa movent*; cfr. 507.

112. Valerius cum omnino multo maiorem rationem habeat praesentis deorum operae quam Apollonius, tum omnia de suo addidit, quae ad Iunonis in Herculem odium indicandum in hoc carmine leguntur.

114. *in fata ruere* Burmanno idem est atque in mortem ruere, quod quia hoc loco admitti non potest, praefert *facta* eumque sequitur Wagner; sed fata non necessario mala intellegenda sunt; cfr. Ov. her. XV, 175 (281): *parce datum fatis, Helene, contemnere amorem*. Fata sunt labores fato imperati non ratione habita, utrum felicem an infelicem exitum habituri sint. *Nostrum* dicit Eurystheum Iuno, quia eo socio utitur in Hercule laboribus et periculis vexando.

115. Provinciam et Neptuni et Iovis Iuno irata se administraturam

iam iam ego et inviti torsissem coniugis ignem.
nunc quoque nec socium nostrae columenve carinae
esse velim, Herculeis nec me umquam fidere fas sit
auxiliis comiti et tantum debere superbo.'
Dixit et Haemonias oculos detorquet ad undas. 120
fervere cuncta virum coetu, simul undique cernit
delatum nemus et docta resonare bipenni

---

indicat; invito Iove scilicet ita hoc facere poterat, ut dolis virum falleret, non aperte obsistendo; cfr. ante omnia, quae Homerus narrat in Il. XIV, 153 seqq.

torsissem nota zeugmatis figura etiam cum *tenebras* coniungendum; cfr. III, 262: *illi autem neque adhuc gemitus neque conscia facti Ora levant*; IV, 379: *quos ore lacus, quae pabula carpsit*; VII, 29: *vota prius captasque deis accendere praedas*; IV, 67: *sat tibi furtum Ignis* (sc. punitum) *et aetheriae defensa silentia mensae*; 167: *fulminea frontem dextra* (sc. icit) *disiectaque fudit Lumina.*

117. *nunc quoque* suspectum; exspectamus *at nunc* vel tale quid.

columenve. Quamquam exspectatur *columenque*, tamen falso hoc in scriptoris verba intulerunt Schenkl et Baehrens. Etenim *ve* particula, antiquiore tempore solito more pro *que* vel *et* posita, de qua re vide symb. mea Plaut. p. 96 seqq.; hanc significationem etiam postero tempore multis locis servavit, ut Lucr. I, 57; V, 71; 773 *quove*; Catull. IV, 9; XIII, 10; XLVI, 1 *gratum acceptumve.* De contrario usu, quo *que* scribitur pro particula *ve*, cfr. ad VII, 25.

118. *fas sit* i. e. fato destinatum sit, ut Verg. Aen. I, 206: *illic fas regna resurgere Troiae*; IV, 350: *nos fas extera quaerere regna*; VI, 438: *fas* (i. e. fatum) *obstat*; Ov. her. XIII, 71: *si cadere Argolico fas est sul milite Troiam*; met. II, 644 seq.: *animas tibi reddere ademtas Fas erit.*

121. *fervĕre*; hac ipsa tertiae, quae dicitur, coniugationis forma infinitivi saepius poetae utuntur de locis multitudine hominum agilium refertis, ut Lucr. II, 41; Verg. Aen. IV, 409; VIII, 677; Petron. c. 123 v. 214; Sil. VIII, 620; IX, 243.

122 *nemus* i. e. multae arbores, ut Luc. I, 306; Sen. Herc. fur. 1216; Stat. Theb. IX, 587; una arbor hoc substantivo significatur Ov. Met. VIII, 743; Stat. Theb. IV, 455; Sen. Troad. 543; Herc. Oet. 1636; cfr. de silvae substantivo Verg. Aen. III, 24; eleg. Nucis 30; Sid. Apoll. I 62 al.

De *docta bipenni* cfr. ad v. 109.

litora; iam pinus gracili dissolvere lamna
Thespiaden, iungique latus, lentoque sequaces
molliri videt igne trabes, remisque paratis
Pallada velifero quaerentem bracchia malo.
constitit ut, longo moles non pervia ponto,
puppis, et ut tenues subiere latentia cerae
lumina, picturae varios superaddit honores.

---

123. *lamna* i. e. serra; cfr. Verg. Georg. I, 143.

124. *sequaces* i. e. flexibiles (Plin. hist. n. XVI, 174, nota prolepsi dictum.

126. *velifero — malo*: Luc. I, 500.

127. *longo — ponto* cum breviloquentia dictum, i. e. longo in pontum itineri, ita habet *longa aequora* Stat Th. VI, 799 et fortasse Sil. V, 9.

128. *cera* vel pice rimae linuntur, cfr. 480; Ov. her. V, 42; rem. 447; met. XI, 514. *Lumina* vel in prosa oratione omnia foramina dicuntur, per quae lumen penetrat.

129. *superaddit*, quis? Pallas an Argus? nam de Iunone cogitare, ut fecit Wagner, paene ineptum videtur, quamquam grammatica ratione aliquomodo commendatur. Culpa nimiae obscuritatis Valerius liberari non potest; sed cum consentaneum sit, ubi non aperte dea nominetur, Argum fabricatorem navis haberi, is hoc loco artem pingendi exercere videtur; fortasse poeta si ei licuisset carmen retractare, hanc obscuritatem sustulisset.

Picturae navium saepius commemorantur a poetis, nusquam, quantum scio, tot verbis describuntur; cfr. Verg. Georg. IV, 289; Aen. V, 663; VIII, 93; Hor. c. I, 14, 14; Ov. met. III, 639; VI, 511; fast. IV, 275; trist. I, 10, 2; Prop. IV, 6, 50; Lucan. III, 510; Mart. X, 30, 13. Ceterum poeta neque curavit neque curare debuit, num haec consuetudo iam antiquissimis temporibus fuerit, sed occasione data utitur, ut navem ita etiam suum carmen pulchris imaginibus ornandi eisque, quae ad partem ipsorum Argonautarum pertineant. Apollonius contra paucissimis tantum verbis navis aedificationem tangit I, 111.

picturae honores i. e. picturae quae ornamento inserviunt, sic *populeus honor* VI, 296; *roseus h.* VIII, 31; Ov. Met. I, 565 *frondis h.*; Sil. XVII, 526 *fulgentis saguli h.*

Eis autem, qui sequuntur, versibus tres diversas picturas commemoratas intellego: in altero latere navis nuptiae Thetidis pictae erant

Digitized by Google

hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis, aequora delphin
corripit, illa sedet deiecta in lumina palla

---

et bipartito quidem, et iter ad Peleum et celebratio nuptiarum, in altero latere pugna Lapitharum et Centaurorum. Itaque quamquam sunt tres imagines, tamen cum duae quasi in unam coalescant, aequabilitas satis bene servatur. Koestlin in Philol. tom. XLVIII p. 652 seq. quattuor dicit esse imagines; sed versus 134 tam arte cum eis, qui antecedunt, coniunctus est, ut inde novae imaginis descriptio omnino incipere non possit, id quod vult Koestlin. Quod autem putat, his imaginibus quasi praeformatas esse nuptias Iasonis et Medeae, equidem vereor, ne quid poetae obtrudat, quod ab eius sententia sit alienissimum. Cfr. quae exposui in indice scholarum Monaster. aestiv. 1894.

130. *insperatos* coniectura Gronovii bonam saltem sententiam habet; Vat. misere corruptus est.

De Thetide in delphino sedente cfr. Tib. I, 5, 45 seq. *talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam Vectast frenato caerula pisce Thetis*; Ov. Met. XI, 236: *quo* (sc. in hunc specum) *saepe venire Frenato delphine sedens, Theti, nuda solebas*; vide praeterea Stat. Ach. I, 221 seqq.: *elicit inde fretis et murice frenat acuto Delphinas biiuges, quos illi maxima Thetys Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora Nutrierat.*

132. *aequora — corripit* i. e. celerrime pernatat; Verg. Georg. III, 104, Aen. V, 145 *campum*; Aen. I, 418 *viam*; V, 316 *spatia*; Ov. Met. II, 158 *viam*.

corripit sedet Vat. *c. illa s.* codex Carrionis; *ipsa* Baehrens, quod ad sententiam sane optime quadrat.

deiecta in lumina palla i. e. capite velato; eadem verba leguntur de Medea VIII, 204; cfr. Stat. Theb. XI, 495. Est signum tristitiae, vide etiam Eurip. Suppl. 286, qui locus inter alios affertur a Villoisone apud Dureau: μῆτερ, τί κλαίεις λέπτ' ἐπ' ὀμμάτων φάρη βαλοῦσα τῶν σῶν; Tristitia autem afficitur Thetis, quod non Iovi nuptura est. Erat enim in fatis, Thetide natum maiorem futurum patre itaque Iuppiter quamquam Thetidis amore incensus a nuptiis cavit mortalemque deae virum dedit. De re cfr. Pind. Isthm. VII, 70 seqq.; Appollod. III, 13, 5,2; Philod. περὶ εὐσεβ. apud Gompertz, Hercul. stud. II, 41; schol. Il. I, 519; Apollon. IV, 798 seqq.; Ov. Met. XI, 221 seqq.; Stat. Ach. I, 1; Hygin. fab. 54; astr. II, 15; vide etiam Stat. Ach. I, 90 seq.

Digitized by Google

nec Iove maiorem nasci suspirat Achillen.
hanc Panope Dotoque soror laetataque fluctu
prosequitur nudis pariter Galatea lacertis,
antra petens; Siculo revocat de litore Cyclops.
contra ignis viridique torus de fronde dapesque
vinaque et aequoreos inter cum coniuge divos

Pulchre et eleganter poeta imaginem persequitur, quamquam quod dicit v. 133 pictura exprimi non poterat; cfr. quae dicentur ad v. 416 et II, 414.

135. *pariter* i. e. pari passu, cursu; Ov. Met. II, 445: *pariter Nymphas incedere vidit.*

136. *antra petens*, cfr. ad v. 137; *thalami* v. 131 igitur non propria sententia quasi cubiculum explicandi, sed secundum poetarum usum notissimum ponuntur pro nuptiis. Prosequitur autem non sola Galatea, sed singularis scriptus est pro plurali *prosequuntur*, ut v. 73: *socia Iunone et Pallade*; 370: *Clymenus — et Iphiclus puppem trahit*; 530: *Pallas — et gemuit Saturnia* (i. e. P. et S. gemuerunt); 750 seq.: *iam te in lucos pia turba silentum Secretisque ciet volitans pater Aeolus arvis*; 793: *da* — *iter* verba sunt Aesonis, qui plures iam mortuos alloquitur; II, 460: *coit — agrestum manus — et coloni*; III, 228: *Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae*; IV, 60: *maesto Latona simul Dianaque vultu Ante Iovem stetit*; V, 183; VII, 149. Nonnullis horum locorum collocatione verborum singularis excusatur, non omnibus; cfr. ad III, 228.

Lepide tangit poeta notam illam de Polyphemi erga Galateam amore narrationem, quae saepius etiam in Pompeianis picturis parietariis conspicitur; cfr. Theocr. idyll. VI et XI; Ov. Met. XIII, 750 seqq.

137. *contra* 'als Gegenstück dazu'; deest praedicatum notabili nec inusitata apud Valerium breviloquentia, de qua cfr. ad I, 489.

ignis non, ut Wagner putat, ad cibos parandos accenditur, sed est ignis in aris ad sacra facienda, vid. 142. *Torus* erat *viridi de fronde*, cum in monte Pelio in antro Chironis nuptiae celebrarentur.

138. *aequoreos* tantum deos nominat Valerius participes nuptiarum, aliter apud alios traditur. Myth. Vat. I, 208 '*Peleus — omnes deos ad nuptias invitavit praeter Discordiam*'; cfr. II, 205; Hom. Il. XXIV, 62; Pind. pyth. III, 162 seqq.; Eurip. Iphig. Aul. 707. In vase illo notissimo, quod Francisci nominatur, Florentiae servato

Digitized by Google

Aeacides, pulsatque chelyn post pocula Chiron.
parte alia Pholoe multoque insanus Iaccho 140

---

pompa omnium deorum ad nuptias euntium descripta est. Itemque discedit poeta a tradita narratione eo, quod non Apollinem cum Musis, sed Chironem lyra canentem facit, sed cfr. Sid. Ap. XIV, 27: *et Chiron cecinit minore plectro* (sc. praeter Phoebum). Sane musica excellebat Chiron atque inter eas disciplinas, quibus puerum Achillem erudiebat, musica vel primum apud poetas locum tenet: I, 409; Ov. ars I, 11; Stat. Ach. I, 118; 186; II, 443; Sen. Troad. 832 seq.; Sil. XI, 451; Iuv. sat. VII, 210 seqq.; Dracont. IX. 107 seqq.; schol. Germ. p. 178 Br.; vide praeterea Helbig, Wandgem. Campaniens Nro 1291—95; Zahn. Wandgem. III, 32.

139. *chelyn* i. e. testudinem, lyram; hoc vocabulum primum hac significatione positum invenitur apud auctorem epistolae Sapphonis ad Phaonem v. 181 et in fragmento apud Baehrentem p. 328, v. 8; persaepe apud Statium, tum apud ceteros fere omnes posteriores poetas, sed rariore usu: apud Silium, Senecam, Calpurnium Siculum, Dracontium, Avienum, Claudianum, Ausonium, Prudentium, Martianum Capellam, Paulinum Nolanum, Optatianum, Sidonium, Alcimum Avitum, Venantium Fortunatum, Claudium Marium Victorem.

post pocula: postquam biberunt, ut saepe apud poetas et interdum apud scriptores prosaicos posteriores inde a Tacito *post* praepositio invenitur ad tempus significandum apposita ad substantiva, quae proprie temporis notionem vel actionem non continent, vide Taciti hist. III, 49: *Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam* (sc. vastatam) *agebat*; poetarum haec habe exempla: Val. V, 77 *p. claustra* (superata); Hor. c. I, 18, 5 *p. vina*; Ov. trist. I, 3, 35; Stat. Theb. I, 474; Luc. III, 468 *p. vulnera* (accepta, inflicta); Stat. Theb. XI, 469 *p. Pyrrham* (servatam); Sil. VII, 378 et X, 590 *p. Trebiam et Tusci stagna profundi* (post proelia apud Trebiam et Trasumennum commissa); XV, 79 *p. Seras et Indos* (domitos); Claud. de VI cons. Hon. 429 *p. Libyam* (devictam); Sid. Ap. V, 321 *p. Capreas Tiberi* (postquam Tiberius ibi commoratus est); Dracont. IX, 64 B. et poet. min. IV, 25, 43 B. *p. Hectora* (interfectum); Paul. vit. Mart. III, 62 *post arma tubasque*; IV, 597 *post lituos et classica*; Pseudo-Claud. laud. Herc. 88 *sidereos p. membra* (humana amissa) *intrare recessus*; cfr. etiam illud satis audacter dictum a Val. VII, 10 *non haec mihi certe nox erat ante tuos — vultus* 'bevor ich dein Antlitz gesehen'.

140. *parte alia* i. e. in altero latere navis; *alia* scribitur pro

Rhoetus et Atracia subitae de virgine pugnae.
crateres mensaeque volant araeque deorum
poculaque, insignis veterum labor. optimus hasta
hic Peleus, hic ense furens adgnoscitur Aeson.
fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus, ardenti peragit Clanis Actora quercu,

---

altera, ut 354; VII, 596; Lucr. IV, 686; V, 832; Iuv. sat. VI, 437; VII. 114; Avien. progn. 540; or. mar. 214; Iuvenc. I, 552; IV, 173; C. I. L. I, 1007 v. 6.

Pholoen hoc loco montem Thessaliae esse apparet ex eis, quae sequuntur; cfr. schol. Stat. Theb. III, 604 et Ach. II, 41; myth. Vat. I, 61; Val. III, 66; Lucan. III, 198, VI, 388; VII, 449; 827; Stat. Ach. I, 238.

141. Centaurus ille apud Romanos *Rhoetus* dicitur, non Rhoecus, ut vult Schenkl, cfr. Bentleium ad Hor. c. II, 19, 23; Ov. Met. XII, 271; 285; 293; 301; Verg. Georg. II, 456; Mart. VIII, 6, 7; Luc. VI, 390; Val. III, 65; Claud. de nupt. Hon. praef. 13.

insanus dicitur multo vino, cfr. tritum illud ἡ μέθη μικρὰ μανία ἐστίν. Pugnam inter Lapithas et Centauros exortam narrat etiam Ov. Met. XII,210 seqq.

Atracia virgo est Hippodamia, uxor Pirithoi; Atracis vocatur ab Ovid. her. XVI, 248; am. I, 4, 8.

142. cfr. Verg. Aen. I, 150; Ov. met. XII, 242.

143. *insignem* veterum laborem dicit poeta sui temporis ratione habita, cfr. ad I, 72; 261; 351; II, 448; IV, 541; V, 422; VI, 162. Talia opera pretiosa habebantur, cfr. Ov. Met. XII, 236. *Labor* pro opere labore confecto ut II, 409; Verg. Aen. VII, 248; Stat. Theb. XII, 313; Iuv. sat. VIII, 104.

144. *ense furens*: Stat. Theb. V, 661; IX, 303. Aesonem honoris causa poeta addidit filii eius fortia facta enarraturus; sed tamen cfr. v. 337.

145. Ovidius l. l. v. 345 seq. Theseum narrat in tergum Bianoris centauri insiluisse. *gravis* ponitur, ut saepius, pro gravato.

146. Ad hunc versum alludere videtur Iuv. sat. I, 11; nam de Ovidio, cuius verba l. l. 510 sane accuratius eis respondent, quae Iuvenalis dicit, eo loco is certe non cogitavit.

Clanis est centaurus, qui apud Ovidium a Peleo interficitur v. 379; *Actor* autem ab Ovidio non commemoratur, ardenti torre armatus

Digitized by Google

nigro Nessus equo fugit, acclinisque tapetis
in mediis vacuo condit caput Hippasus auro.
Haec quamquam mirata viris, stupet Aesone natus
et secum: 'heu miseros nostrum natosque patresque!

---

est Rhoetus v. 271. *peragit* recte Burmann explicat cum aliis' interficit', mire Wagner 'prae se agit, persequitur'.

147. *nigro equo* intellegit Burmann de formidolosa specie, ego de pulchritudine explicandum puto, cum Ovidius, Cyllari centauri pulchritudinem postquam multis, ut solet, verbis descripsit, addat 402: *totus pice nigrior atra*; cfr. Hor. c. I, 32, 11; ep. I, 7, 26; II, 3, 27; Ov. am. II, 4, 42; his omnibus locis pulchritudo nigri capilli laudatur.

In mediis pugnantibus Hippasus acclinis ad parietem admodum ebrius neque pugnando par est, quare caput, ut ebrius, defendere conatur aureo cratere. Quod Baehrens cum non satis aptum putaret epicae gravitati, excogitavit coniecturam sane prorsus ineptam. Centaurorum autem immanitatem etiam irrisioni occasionem dedisse non mirum est atque prorsus idem videmus in Cyclope v. 136; fortasse Valerius etiam memor fuit Verg. Aen. IX, 346. Apud Ovidium v. 317 Aphidas ebrietate sopitus describitur. *Auro* dicitur pro poculo vel vase aureo, velut Verg. Aen. I, 739.

149. *miranda* Vat.; verum non id agitur, quid viri mirari debeant, sed quid re vera mirentur, cum Iason longe alio sensu commoveatur: ausus sum passivam participii perfecti statuere notionem, qualem in multis aliis verbis deponentibus esse constat, atque inveniuntur in antiquiore lingua nonnullae huius verbi formae activae, vid. Non. p. 474 et 480, et participium perfecti passiva notione apud Iuvenc. III, 58: *ipse sed in primis mirata virginis arte Attonitus stupuit*. *Haec* pronomen subiectum est solius verbi *mirata* (sunt) neque pertinet ad *stupet*, quod absolute ponitur pro 'conturbatus, obstupefactus est'.

Desunt apud Apollonium querelae Iasonis et eius cum Acasto colloquium, et hoc quidem melius fecit poeta Graecus, apud quem in initio quidem carminis multo fortior Iason apparet quam apud Valerium; atque id quoque melius fecit Apollonius, quod Acastus se ultro Argonautis adiungit, non pellectus ab Iasone odii et invidiae pleno.

150. Burmann et Wagner desideraverunt matrum commemorationem; sed patres interdum ponuntur pro parentibus. Ita videtur explicandum Verg. Aen. II, 579: *coniugium domumque patres natosque*

hacine nos animae faciles rate nubila contra
mittimur? in solum nunc saeviet Aesona pontus?
non iuvenem in casus eademque pericula Acastum
abripiam? invisae Pelias freta tuta carinae
optet et exoret nostris cum matribus undas.'
Talia conanti laevum Iovis armiger aethra

---

videbit; Stat. Theb. II, 464: *incestique patrum thalami* de Oedipode et Iocasta; Ov. Met. IV, 61: *sed vetuere patres*; Luc. III, 761: *de corpore trunco certavere patres*; Claudian. de bello Gild. 389: *Est illi patribus, sed non et moribus isdem Maszecel* (?); cfr. etiam Val. II, 563 et ad VI, 274. *nostrum* dictum est ut Cic. Phil. IV, 1 *frequentia vestrum*; V, 2 *consensus vestrum*; ep. VII, 13a, 3 *splendor vestrum*.

151. *animae faciles* sunt ei, quibus facile aliquid persuadetur, qui facili negotio ad agendum parati inveniuntur; paullum differt ab usu solito scriptorum, qui eum hominem facilem dicunt, qui facile aliquid concedit; sed cfr. I, 734: *ducit facilem — Aesona coniux*; IV, 6: *Minyae faciles — alta tenent*; Ov. art. I, 592: *nimium faciles ad fera bella manus*; Stat. silv. I, 1, 26 *f. saevire*; Sil. I, 225 *f. properare mortem*; XI, 6 *f. diffidere*; Drac. VIII, 530: *Tyndaridis faciles quatiunt suspiria sensus*; Prud. psych. 567: *capit impia Erinnys consensu faciles*; ceterum cfr. etiam Verg. Aen. XI, 372.

nubila contra; praepositio postponitur ut III, 706; IV, 94; 165; VI, 216; 373; VII, 362; aliarum bisyllabarum praepositionum exempla sunt haec: *propter* IV, 560; VII, 315; 351; VIII, 46; *iuxta* II, 193; V, 457; *super* II, 627; III, 109; VI, 88; 525; *supra* III, 137; IV, 110; VIII, 152; *penes* IV, 16; V, 14; *circum* VI, 66; VII, 526; *circa* IV, 759; *inter* II, 481; 629; IV, 299; V, 614; VI, 155; 243; 595; VII, 358; longe autem audacissime *iuxta* V, 187 quinque vocabulis ab accusativo suo seiunctum similiterque *inter* VIII, 227 collocatum post quartum vocabulum; vide etiam ad v. 765.

153. *eadem* etiam ad *casus* referendum; vid. ad v. 18.

155. Solas matres hoc loco aptissime Valerius nominat.

156. *conanti* plerisque suspectum, quod non significet aliquem animo consilium volutare, sed ipsum consilium perficere adoriri; sed quid impedit, quominus statuamus, poetam etiam cogitavisse de eo, quod Iason iam proficiscitur consilium exsecuturus et tum confirmatur augurio?

laevum Iovis armiger — advenit: hoc loco ex eis, quae se-

Digitized by Google

advenit et validis fixam egerit unguibus agnam.
at procul e stabulis trepidi clamore sequuntur
pastores fremitusque canum; citus occupat auras
raptor et Aegaei super effugit alta profundi.
accipit augurium Aesonides laetusque superbi
tecta petit Peliae. prior huic tum regia proles
advolat amplexus fraternaque pectora iungens.

---

quuntur, apparet secundum disciplinam auguralem faustum omen indicari; *laevum* pro adverbio ut Verg. Aen. II, 693; *horrendum* IX, 629; *luctificum* Val. III, 349; *grave* V, 169; *flebile* VII, 215; talia omnino saepius apud poetas inveniri notum est.

Iovis armiger legitur iam apud Verg. Aen. V, 255; IX, 564; tum apud Stat. Theb. III, 532; Coripp. Ioh. IV, 388; *Tonantis armiger* apud Claud. de bell. Gild. I, 467; cfr. Prelleri mythol. gr. I⁴, 127 annot. 4. Fert arma Iovis i. e. fulmen.

157. *vegit* Vat.; quid Valerius scripserit, incertum; certe desideratur verbum notione rapiendi praeditum: *egerit* scripsi sc. e stabulis, cfr. 158; Burg Hermathen. VIII, 395 *evehit* proposuit.

158. *clamore* i. e. cum clamore; cfr. Verg. Aen I, 519; Val. I, 525 *vulnere nostro*; 819 *sonitu*; II, 273 *acri stridore*; 539 *magnis clamoribus*; III, 95 *clamore magno*; 576 *maiore metu*; 588 *vasto murmure*; VI, 112 *latratu*; 249 *magno doloris turbine.*

159. *fremitus* de canibus dictum Colum. VII, 12, 3; lupos *frementes* dicit Ov. Met. V, 627; proprie non esse latratum, sed significare eum sonum, quem saepe canes edunt, antequam latrant, ostendunt Lucretii verba V, 1061 seqq. *fremitus* autem *canum* dictus est pro canibus frementibus ut VI, 232 *fremitus virorum*; I, 452 *decus adiacet orbis*; II, 84 *silentia pacis*; III, 350 *rerum labor* (res cum labore confectae); VII, 555 *portant grave robur aratri. occupat* aquila auras: antequam pastores eum assequi possunt, in auras avolat.

160. *alta* pro eo quod est altum mare amat dicere Valerius: II, 2; III, 2; IV, 7; 405; VII, 129; Ov. art. III, 390; fast. VI, 498; am. II, 9, 32.

De tota comparatione cfr. Hom. Od. XV, 160 seqq. et, qui locus Valerio ante oculos versatus videtur, Verg. Aen. V, 255 seqq.

163. *amplexus fraternaque pectora iungens*: *amplexus ligare* dicit Stat. Ach. I, 576; saepius *oscula iungere* invenitur apud Ov.: her. II, 94; XVII, 101; XIX, 541; am. II, 5,23; 60; met. II, 357; 430; IX, 458; 560; X, 362; rarius apud alios: Val. IV, 701; Stat. Theb. XII,

Digitized by Google

ductor ait: 'non degeneres, ut reris, Acaste,
venimus ad questus: socium te iungere coeptis
est animus; neque enim Telamon aut Canthus et Idas
Tyndariusque puer mihi vellere dignior Helles.
o quantum terrae, quantum cognoscere caeli
permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!
nunc forsan grave reris opus; sed laeta recurret
cum ratis et caram cum iam mihi reddet Iolcon,
quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores!
quas referam visas tua per suspiria gentes!'
Nec passus rex plura virum est. 'sat multa parato

708; consol. ad Liv. 35; trag. Oct. 110; *pectora iungere* legitur Val. III, 309 et Sil. IX, 149.

fraterna pectora de consanguineis ut 178; II, 565; Ov. Met. XIII. 31; in prosa oratione saepius *fratres* simpliciter dicuntur patrueles fratres.

164. *ut reris*: ipso amplexu Acastus indicaverat, se Iasonis miserere.

165. *socium te iungere coeptis*; cfr. Ciris 381.

166. Nominatim nonnullos ex illustrioribus Argonautis Iason memorat. Tyndarius puer est Castor, cfr. VI, 204 coll. 207. Cur poeta non potius fratres Tyndareos commemoraverit, non liquet.

169. cfr. Sil. III. 597.

173. *quam* Vat., *quas* cod. Vat. 1613, quod necessarium puto, quamquam editores recentiores hanc coniecturam non receperunt.

tua per suspiria; notus temporalis praepositionis *per* usus, cum dicitur *per quietem, per somnum*: i. e. dum quis quiescit, dormit vel quiescitur, dormitur, ut I, 767: *talia per lacrimas* vel VI, 755: *ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt* vel Ov. am. II, 19, 55: *per nulla traham suspiria noctes* i. e. dum omnino non suspiro; at id contra usum sibi indulsit poeta, ut actionem suspirandi non referat ad subiectum ipsum sententiae vel generale subiectum, sed ad alteram personam: 'dum tu suspiras'; cfr. Lucan. III, 35 *refugit Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti* i. e. dum maritus umbram amplecti conatur; non recte enim videtur Corte explicare umbram visam esse maritum amplecti.

174. *plura* sc. dicere, ut statim *sat multa* sc. dicis; cfr. I, 626;

Digitized by Google

in quaecumque vocas; nec nos', ait, 'optume, segnes
credideris patriisve magis confidere regnis
quam tibi, si primos duce te virtutis honores
carpere, fraternae si des adcrescere famae.
quin ego, nequa metu nimio me cura parentis
impediat, fallam ignarum subitusque paratis
tunc adero, primas linquet cum puppis harenas.'
dixerat. ille animos promissaque talia laetus
accipit et gressus avidos ad litora vertit.
At ducis imperiis Minyae monituque frequentes

767; 278; 723; II, 176; 213; 378; V, 253; 552; VI, 488; 675; VII, 170: 388; VIII 264.

stat Vat; *st* (est) *sat* Burg Hermathen. VIII, 395. *parato* cum Baehrens non intellegeret participium esse, in turpem errorem lapsus est.

175. *nec-credideris* pro eo quod est neve credideris ut I, 525; IV, 124; 477; 603; V, 539; 648; 678; VII, 182; 229; 482; VII, 103; 395.

180. *subitus* adiectivum pro adverbio cum verbis coniunctum etiam apud scriptores prosaicos reperitur. Exempla Valeriana sunt praeter hoc II, 51; VI, 154; VIII, 261; 306.

Multo melius Valerius hoc loco egit quam Apollonius, qui obscurius locutus est I, 224 seq. Qui enim fieri poterat, ut Pelias filium cum Iasone navem conscendere pateretur, cum expeditionem ad hunc ipsum perdendum excogitasset! Vel scholiasta hoc loco offendit. Sed tamen, ne Apollonio iniuriam faciamus, conferenda sunt etiam eius verba I, 323.

183. *gressus avidi* non sunt simpliciter gressus celeres, sed avet Iason ad litus redire, atque haec notio ad gressus translata est, cfr. ad 109. *avidus* autem saepe absolute ponitur, ut res, cuius quis sit avidus, ex tota sententia intellegatur; eandem festinandi notionem atque hoc loco habet Verg. Aen. III, 132; Sen. Herc. fur. 839; Med. 326.

184. *ducis imperiis*: Valerio merito tam extra omnem dubitationem positum videtur, Iasonem debere esse ducem, ut rem ne verbo quidem tangat; at apud Apollonium Hercules a sociis dux eligitur quidem, sed recusat, simul addens, se neminem nisi Iasonem ducem passurum I, 336 seqq. Dionysius autem teste Apollodoro I, 9, 19, 4

Digitized by Google

puppem umeris subeunt et tento poplite proni
decurrunt intrantque fretum. non clamor anhelis
nauticus aut blandus testudine defuit Orpheus.
tum laeti statuunt aras. tibi, rector aquarum,
summus honor, tibi caeruleis in litore vittis
et Zephyris Glaucoque bovem Thetidique iuvencam
deicit Ancaeus. non illo certior alter
pinguia letifera perfringere colla bipenni.
ipse ter aequoreo libans carchesia patri
sic ait Aesonides: 'o qui spumantia nutu
regna quatis terrasque salo complecteris omnes,

Herculem re vera ducem fuisse tradidit et Nicander teste Anton. Lib. c. 26 ed. Westermann; cfr. Diod. IV, 41, 3.

Minyae nominantur Argonautae permultis locis a Valerio; sic, ut alios omittam, apud Pind. Pyth. IV, 122 et apud Apollonium, qui causam nominis affert I, 229 seqq.; cfr. Hyg. fab. 14; Serv. ad Verg. ecl. IV, 34; et verius disputantem Preller in graec. Mythol. II³, 310.

185. Navis deductionem fusius describit Apollon. I, 363 seqq.; apud Silium XI, 472 et Stat. Theb. V, 340 seqq. cantu Orphei mare adducitur, ut navem subeat vehatque; cfr. Orph. Argon. 242; apud Valerium labor virorum cantu tantum adiuvatur idque multo melius. Clamorem nauticum, quamquam Burmann negavit, sine dubio recte Vossius intellexit graecum κέλευσμα.

190. *Zephyri* fortasse poetica ratione nominantur omnino pro ventis, sed potuit Valerius etiam memor esse loci Vergiliani Aen. III, 120, ubi de industria Zephyri soli nominantur tanquam lenes et secundi venti. *Glaucus* et *Thetis* ut praecipui dei marini praeter Neptunum commemorantur, cfr. II, 286.

191. *deicit* i. e. caedit, immolat, ut II, 330; accuratius sacrificium describit Apollon. I, 402 seqq., ut multa, quibus doctrinam suam ostendat. Tum apud hunc Iason precatur Apollinem, ut navem sospitet, cum ipse oraculo auxilium promiserit, sine dubio autem rectius apud Valerium Neptunus, dominus maris, imploratur.

193. *ter — libans carchesia*: ternarius numerus ut sacer saepe reperitur in deorum invocationibus, velut Ciris 371: *terque novena ligat triplici diversa colore Fila*: *ter in gremium mecum, inquit, despue virgo*; Iuv. sat. VI, 523: *ter matutino Tiberi mergetur*; Liv. XXII,

Digitized by Google

da veniam. scio me cunctis e gentibus unum
inlicitas temptare vias hiememque mereri:
sed non sponte feror, nec nunc mihi iungere montes
mens avet aut summo deposcere fulmen Olympo.
ne Peliae te vota trahant: ille aspera iussa
repperit et Colchos in me luctumque meorum.
illum ego — sed tantum non indignantibus undis
hoc caput accipias et pressam regibus alnum.'
sic fatus pingui cumulat libamine flammam.

10, 7: *eiusdem rei causa ludi magni voti aeris trecentis triginta tribus millibus trecentis triginta tribus triente*; vide praeterea Val. III, 347; 441; Ov. met. VII, 189 seqq.; Verg. eclog. VIII, 73 seqq.; georg. I, 345; Aen. VI, 229; Tibull. I, 2 56; 3, 11; 5, 14; Hor. epist. I, 1, 37; Prop. IV, 8, 86. De *aequoreo patre* cfr. ad II, 256.

196. *me cunctis e gentibus unum*: cfr. Verg. Aen. III, 602: *me Danais e classibus unum*.

197. *inlicitas temptare vias*, cfr. 672 seqq., Hor. c. I, 3, 21 seqq.

199. *mens tamen* in Vat. traditum sana sententia caret, cum nihil opponatur verbis *sed non sponte feror*, immo vero pergit Iason se excusare, quare nec particula non potest non significare 'auch nicht', qua notione *tamen* excluditur. Recte Baehrens scripsit *avet*. Non se commissurum Iason dicit quod gigantes fecerint aut aliud audacissimum facinus, quo Iovis ira et fulmen provocetur.

iungere montes insolite dictum pro eo quod est montem monti superponere, sed vide Stat. silv. III, 2.65 (virtus) *summae gelidum quae Pelion Ossae Iunxit* et Theb. VIII, 79 *frondenti — iungere Pelion Ossae*.

200. *ne Peliae te vota trahant*: ne patiaris te duci, cfr. II, 381; V, 540; VI, 663; Ov. ars I, 631: *trahant promissa puellas* et notissimum illud Ciceronis *trahimur omnes laudis studio* pro Arch. 26.

202. Figura aposiopesis cum probabilissimum sit Valerium imitatum esse verba Verg. Aen. I, 135, scripsi *illum ego — sed*, Vat. habet *illi mi*. Ex imitatione Vergiliana etiam Statius habet Theb. IV, 518: *iamque ego vos* — et Ov. her. XII, 207: *quos equidem actutum* — .

tantum non indignantibus undis: cfr. Ov. am. III, 14, 35; Sil. VIII, 339; de indignandi verbo vide ad I, 9.

203 *hoc caput*, cfr. VIII, 349 et Virg. Aen. VIII, 570.

204. *cumulat — flammam*: largiter in flammam inicit, ut Verg.

Digitized by Google

Protulit ut crinem densis luctatus in extis
ignis et escendit salientia viscera tauri,
ecce sacer totusque dei per litora Mopsus,
immanis visu, vittamque comamque per auras
surgentem laurusque rotat. vox reddita tandem,

Aen. VIII, 284 et XII, 215 *cumulantque oneratis lancibus aras*; XI, 50 *cumulantque altaria donis*; Tib. II, 5, 6 *dum cumulant aras*; Stat. silv. IV, 8, 37 *cumulare — ignes*. Pingue libamen propter v. 205 seq. non intellego Wagnerum secutus oleum, sed pingues partes tauri Neptuno immolati; libamen enim plane eodem modo atque ipsum verbum libandi non solum de libationibus sed etiam de aliis, quae delibantur a re quadam tota sacrisque adhibentur, dicitur: vid. Verg. Aen. VI, 246, ubi crines victimarum in ignes iniecti libamina prima dicuntur et Stat. Theb. VI, 224 *raptumque suis libamen ab armis Quisque iacit*.

205. Primo ignis pingui illo libamine prorsus contectus paullatim emicuit, quod Valerius poetice verbis luctandi et ascendendi expressit.

crinis de igne ut *crines igniti* apud Dracont. de deo III, 171; *liquidos crines coruscant* Paul. Nol. 11, 421 de lampadibus dictum; Claud. Mar. Vict. Aleth. III, 11 *ignis — crine exedit honores* i. e. flammis sacra consumit; Stat. Theb. V, 387 *multa crinitum missile flamma*; similiter *coma* dicitur Catull. LXI, 78; 94; Sen. Oed. 311; Sil. X, 549 pinum flamma *comantem* dixit; Paul. Nol. 11, 418 *multicomae* flammae.

Quod ignis emergit, faustum est augurium; contrarium fit VIII, 247. Cfr. Sen. Oed. 309 seqq.; Soph. Antig. 1005 seqq.

206. *salientia viscera* i. e. crepitantia, cum crepitu ardentia, translatum sine dubio de saliente mica; nam si re vera viscera saliissent, prodigium fuisset.

207. *totus dei* i. e. in potestate dei, ut Ter. Eun. 1040 *fratris igitur Thais totast?* Cic. ep. II, 13, 2 *me Pompeii totum esse scis*.

208. *comam — per auras surgentem*; tumidum est, sed dicit etiam Ovid. met. XI, 6 *leves iactato crine per auras*.

209. *rotat* i. e. quassat; Stat. silv. IV, 3, 121 *colla rotat*; Theb. X, 173 *rotat crines*; Luc. V, 170 *vittasque dei Phoebeaque serta — rotat*; I, 566 *crinemque rotantes*; Quintil. XI, 3, 71 *comas excutientem rotare fanaticum est*. — *laurus* pluralis ad coronam lauream indicandam legitur etiam Tib. I, 7, 7; Ov. am. II, 12, 1.

vox horrenda viris; tum facta silentia vati.
'heu quaenam aspicio! nostris modo concitus ausis
aequoreos vocat ecce deos Neptunus et ingens
concilium. pelagi legem defendere cuncti
hortantur. sic amplexu, sic pectora fratris,
Iuno, tene; tuque o puppem ne desere, Pallas:
nunc, patrui nunc flecte minas. cessere ratemque
accepere mari. per quot discrimina rerum
expedior! subita cur pulcher harundine crines
velat Hylas? unde urna umeris niveosque per artus
caeruleae vestes? unde haec tibi vulnera, Pollux?
quantus io tumidis taurorum e naribus ignis!
tollunt se galeae sulcisque ex omnibus hastae
et iam iamque umeri. quem circum vellera Martem

---

210. *tum facta silentia vati*: Verg. Aen. I, 730.

213. *fremere et legem defendere cuncti hortantur*. Sic legitur in Vaticano et in editionibus; at *fremere* hoc loco non satis bene potest esse infinitivus qui dicitur historicus et paullo ineptius referretur ad *hortantur*; denique offensioni est legem defendere sic absolute positum. *pelagi legem* scripsi, non quod haec a Valerio profecta putarem, sed ut bona saltem sententia efficeretur: *pelagi lex* dicitur ut *lex poli* II, 357; *iura freti* Stat. Ach. I, 64. Hortandi verbum cum infinitivo coniunctum legitur etiam II, 335; VI, 18; VII, 377; VIII, 216; ut monendi III, 580; 614; IV, 142; admonendi III, 146.

215. cfr. supra ad. v. 7.

217. Iam divino furore abreptus Mopsus animo quasi expeditionem facit et videt quae secutura sunt.

219. Hylas rapitur a nymphis III, 558 seqq.. arundine crines velatos habet et caeruleas vestes (cfr. Verg. Aen. VIII, 34) et urnam tenet ut deus aquarum; de hac urna cfr. ad V, 485, nam de urna. quam Hylas ad aquandum habuisse dicitur, Valerium cogitare non potuisse docemur l. s. scr.

220. Pollux vulneratur cum Amyco pugnans IV, 330.

221. De tauris, qui ignem evomunt, vid. VII, 564 seqq.

222. Viros e dentibus ortos narrat poeta VII, 610 seqq.

223. *circum vellera* in luco Martis cum non pugnatum sit, varie hic versus coniecturis mutatus est; mihi Baehrens recte de pugna inter Colchos et Argonautas ad ostium Danubii orta cogitasse vide-

Digitized by Google

aspicio? quaenam aligeris secat anguibus auras
caede madens? quos ense ferit? miser eripe parvos,
Aesonide. cerno en thalamos ardere iugales.'
Iamdudum longa Minyas ambage ducemque
terrificat: sed enim contra Phoebeius Idmon,
non pallore viris, non ullo horrore comarum
terribilis, plenus fatis Phoeboque quieto,

---

tur, quam quo iure Valerius factam esse dixerit circum vellera, nescimus, cum poeta ad eam partem carminis, qua hoc narrandum erat, non pervenerit. Quare tutius visum est, traditam scripturam servare.

Quae inde a versu 224 sequuntur, ad ipsam Argonautarum expeditionem non pertinent, sed videtur ex hoc loco apparere, Valerio in animo fuisse, haec ultima Iasonis et Medeae fata breviter in extremo carmine exponere, non accuratius describere. Quod si statuimus, dubitationes, quas Peters protulit de Valerii Flacci vita et carmine p. 34 seq., diluuntur. Caedes puerorum commemoratur etiam V, 339; 454; cfr. VIII, 251.

225. *eripe*; vid. ad I, 88.

227. *longa* om. in Vat., additur in codice Carrionis.

228. *sed enim* coniunctiones ad duas diversas notiones spectant sed non deterrentur, contra enim e. q. s.

Idmon, Apollinis ex Asteria filius Apoll. I, 142 seqq.; schol. I 139. Hygin. fab. 14 Cyrenen matrem nominat; schol. Pind. Pyth. IV, 337 patrem Abantem. Is solus apud Apollonium Argonautis futura canit I, 436 seqq.

229. *pallore*; Stat. Ach. I, 515 *intrantemque deum primo pallore fatetur; horrore comarum*: alluditur ad 208 seq.; horrorem comarum dixerunt etiam Luc. V, 154 et Stat. Theb. VIII, 389.

230. *quieto* etiam ad *fatis* referendum. *plenus Phoebo* eandem habet sententiam atque *totus dei* v. 207, cfr. Hor. c. II, 19, 6; III, 25. 2; Ov. fast. VI, 538; frg. 2 Med.; Luc. I, 675; V, 185; IX, 564; Stat. Theb. X, 624; Sil. V, 80; Sedul. pasch. c. I, 176; cfr. etiam Stat. Theb. XI, 676 *multo possessus numine pectus* et verba non elegantia Silii XII, 323 *Phoebo iam intrata sacerdos*; III, 697 *ecce intrat subitus ratem deus*. Ceterum Vergilius dicitur primus scripsisse *plena deo*, vid. Senec. suas. III, 5, sed nunc haec verba in eius operibus non iam apparent.

Digitized by Google

(cui genitor tribuit monitu praenoscere divum
omina, seu flammas seu lubrica comminus exta
seu plenum certis interroget aera pinnis)
sic sociis Mopsoque canit: 'quantum augur Apollo
flammaque prima docet, praeduri plena laboris
cerno equidem, patiens sed quae ratis omnia vincet.
ingentes durate animae dulcesque parentum
tendite ad amplexus.' lacrimae cecidere canenti,
quod sibi iam clusos invenit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat, iungit cum talia ductor
Aesonius: 'superum quando consulta videtis,

---

231. *monitu* i. e. institutione, praeceptis; cfr. v. 5; Ov. fast. I, 227; III, 167; ex Pont. III, 4. 113; *tribuit* cum infinitivo coniunctum ut Ov. trist. III, 5, 21. de re cfr. Apoll. I, 144 *αὐτὸς δὲ θεοπροπίας ἐδίδαξεν (Λητοΐδης) οἰωνούς τ' ἀλέγειν ἠδ' ἔμπυρα σήματ' ἰδέσθαι*; extispicia addidit poeta Romanus; cfr. Sil. III, 344 seq. *praenoscere divum omina*: Sil. XVI, 124.

232 *lubrica-exta*: Tibull. II, 5, 14.

233. *certae pinnae* sunt alites, quae volatu certum auspicium dant; sic nominantur etiam Luc. I, 588; Sil. III, 344; IV, 121; Ov. fast. I, 448.

235. *flamma prima* ea erat, quae extis plane contecta esset v. 205; haec ut tandem victrix emergit, sic navis omnia pericula superabit.

237. *durate*; Verg. Aen. I, 207.

238. Fingit animo vates heroes ex expeditione laboribus superatis domum redeuntes, sibi autem reditum non dari videt: ex alitibus eum praevidisse interitum narrat poeta v. 360; eius mors narratur V, 1 seqq. Ceterum etiam Idmon fortior describitur apud Apoll. I, 432 seqq. (cfr. Val. I, 360), quod multo aptius videtur.

240 seqq. Superba contra verba loquitur Iason confisus deorum voluntate summam gloriam mundi commercio hominum aperti se sociosque sibi paraturos; nil tale apud Apollonium invenitur. *iungit* i. e. addit ad ea quae Idmon dixerat, cfr. Sil. XIV, 164 *cassidis — vincula rumpit Iungebatque preces.*

241. *superum consulta*, consilia, ut Verg. Aen. VI, 151; XI, 410; Stat. Theb. VII, 81; XI, 156; Sil. XII, 42.

Digitized by Google

o socii, tantisque datur spes maxima coeptis,
vos quoque nunc vires animosque adferte paternos.
non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni
suspective doli: deus haec, deus omine dextro
imperat; ipse suo voluit commercia mundo
Iuppiter et tantos hominum miscere labores.
ite, viri, mecum dubiisque evincite rebus,
quae meminisse iuvet nostrisque nepotibus instent.
hanc vero, socii, venientem litore laeti
dulcibus adloquiis ludoque educite noctem.'
paretur. molli iuvenes funduntur in alga

---

242. *quantisque* Vat.; *tantisque* Heinsius.

244. *pietas — tyranni* i. e. pietas quam se habere fingit tyrannus v. 43 seqq.

248. *evincite* transitive dictum pro eo quod est vincendo consequi, efficere; cfr. Ov. ex Pont. III, 1, 31 *te magis est mirum non hoc evincere*; similiter am. III, 11, 43 *facies exorat amorem*; Tac. hist. III, 37 *nec defuit, qui unum consulatus diem — eblandiretur*; atque adeo simplici vincendi verbo eadem notione uti ausus est Valerius VII, 162: *i, precor, atque istum — amorem vince* i. e. pervince ut amet ista.

249. *nepotibus instent* i. e. nepotes instigent; nonnunquam hac notione dicitur, ut Sil. VII, 178 *instabatque senectae* i. e. instigabat senectutem; Auson. id. IV, 44 *cui — Proconsul genitor, praefectus avunculus instant.*

250. *venientem litore* Vat.: cur recentiores post Heinsium *in litore* ediderint, non intellego.

251. *educite noctem; noctem ludo ducere* dixerat Verg. georg. III, 379; Aen. IX, 164; Sil. XI, 409; Claud. epith. Pall. 97; *querelis* Sen. Phaedr. 370; *producere noctem* Lucan. X, 173; at *educere annos* Prop. II, 9, 47; *somnos* Sil. XI, 403; *ludo educere noctem* Stat. Theb. II, 74; *trahere noctes* legitur Sil. XII, 20.

252 *funduntur*; usitatius est hac significatione participium *fusus*: Verg. Aen. I, 214, II, 252; Ov. met. III, 438; VIII, 259; X, 210; XII, 319; artis III, 782; Val. I, 295; 710; Sil. III, 57.

conspicuusque toris Tirynthius. exta ministri
rapta simul veribus Cereremque dedere canistris.
Iamque aderat summo decurrens vertice Chiron
clamantemque patri procul ostendebat Achillen.
ut puer ad notas erectum Pelea voces
vidit et ingenti tendentem bracchia passu,
adsiluit caraque diu cervice pependit.
illum nec valido spumantia pocula Baccho

253. *conspicuusque toris*; sunt qui dicant ad Herculem praeter ceteros honorandum ei pulvinar substratum esse, quod omnino credi non potest, verum describitur hoc uno adiectivo moles corporis et robur Herculis similiter atque, ut hoc exemplo utar, pulchritudo Iunonis apud Homerum eo, quod λευκώλενος dicitur; tori sunt qui nunc dicuntur bracchiorum musculi, qui proprie et praecipue Herculi tribuuntur: Ov. her. IX, 60; met. XV, 230; Sen. Herc. fur. 624; Oet. 751; Phaedr. 807; Val. II, 510; Cic. Tusc. II, 9, 22; admodum raro de aliis hominibus, ut Val. IV, 245 de Amyco. pugile terribili, vel Prud. perist. V, 124 de carnifice crudelissimo, paulo saepius de musculis colli vel equorum Verg. georg. III, 81; Nemes. cyneg. 295; vel leonis Verg. Aen. XII, 7; (Catull. 63, 83); imprimis taurorum Val. VII, 596; Ov. met. IX, 82; Sil. V, 313; Calpurn. VII, 61; Sen. Phaedr. 1042; Drac. V, 315.

254. *rapta*, celeriter dempta. similiter V, 244; VI, 318; primum apud Vergilium *arma rapere* i. e. celeriter corripere invenitur, inde similia apud omnes poetas epicos, Horatium, Ovidium, Manilium; cfr. Val. *rapta consistit in hasta* VIII, 133 et I, 264 *oscula rapere*, prorsus alia sententia dictum atque apud Horatium c. II, 12, 28.

Iam sequitur venustissima et ad veritatem expressa imago, qua et puerilis erga patrem affectus et animus futuri herois optime depingitur; ab ipso Valerio longe pleraque inventa sunt, brevis modo commemoratio Chironis et Achillis invenitur apud Apoll. I, 553 seqq. Ceterum Catull. LXIV, 19 seqq. narrat, Peleum post factam demum expeditionem Thetidem in matrimonium duxisse.

258. *ingenti — passu* Heinsium recte puto interpretatum esse de bracchiis, quamquam exempla alia desunt; at videtur haec prima et propria notio fuisse, cfr. Woelflinii arch. lat. lexicogr. VI, 567.

260. *valido — Baccho*, prorsus ut nos Germani dicimus 'kräftiger Wein'; idem invenitur Ov. met. XV, 324; fast. VI, 677; similiter

Digitized by Google

sollicitant, veteri nec conspicienda metallo
signa tenent; stupet in ducibus magnumque sonantes
haurit et Herculeo fert comminus ora leoni.
laetus at impliciti Peleus rapit oscula nati,
suspiciensque polum 'placidum si currere fluctu
Pelea vultis' ait 'ventosque optare ferentes,
hoc, superi, servate caput. tu cetera, Chiron,

---

certe dictum est *v. succi* de veneno Ov. met. VII, 316; *medicamen* 262; XV, 533.

261. *veteri — metallo*; propter hanc ipsam antiquitatem pocula sunt conspicienda, cfr. ad v. 143.

nec primo sententiae vocabulo postpositum saepe invenitur: I, 119; II, 84; 355; III, 335; 345; 401; 734; V, 603; 642; 730; IV, 400; VI. 92; 156; 500; VII, 430; 433; VIII, 249 al.; secundo I, 521; III, 599; VII, 482.

262 *stupet in ducibus*; cfr. V, 375; Verg. Aen. X, 446 *stupet in Turno*; Hor. sat. I, 6, 17 *qui stupet in titulis et imaginibus.*

magnumque sonantes; sonandi verbum hac loquendi notione vel in prosa oratione non raro cum neutro adiectivi coniungitur. In bonam partem dictum legitur *magna sonare* etiam apud Hor. sat. I, 4, 44; *grande* Ov. rem. 375; *grandius* her. XV, 30; *plenius* Hor. c. II, 13, 26.

263. *haurit*, ut Sen. Agam. 31 *non pavidus hausi dicta; auribus* additur Plaut. Mil. 34; Ov. met. XIII, 787; XIV, 309; cfr. praeterea *oculis haurire* Verg. Aen. XII. 496; *auribus bibere* Ov. tr. III, 5, 14; Hor. c. II, 13, 32; *edere sermonem* Plaut. Aul. 537; *gustare sermonem* Most. 1063; *devorare dicta* Asin. 649.

264. *impliciti — nati*, quem arte amplectitur, ut Ov. artis I, 561 *implicitamque sinu — abstulit*; Stat. silv. II, 1, 46 de morte pueri delicati: (ubi sunt) *oscula — impliciti vernos redolentia flores?*

265 seq. sententia haec inesse debet: si vultis Pelea tranquillo animo expeditioni interesse et optare, ut navis secundo vento celeriter proficiscatur, servate mihi puerum; scripsi igitur *placidum*, in Vat. traditur *placido*; cfr. ind. lect. Monast. hib. 1894.

266. Venti *ferentes* saepius dicuntur pro secundis, qui ferunt eo quo velis, ut VI, 327; Verg. Aen. III, 473; IV, 430; Ov. am. III, 11, 51; trist. I, 2, 73; cfr. *ferentem fortunam* apud Stat. Theb. II, 177. Invenitur etiam in prosa oratione haec locutio.

Digitized by Google

da mihi. te parvus lituos et bella loquentem
miretur; sub te puerilia tela magistro
venator ferat et nostram festinet ad hastam.'
omnibus inde animis calor additus: ire per altum
magna mente volunt. Phrixi promittitur absens
vellus et auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit et totum Minyis laetantibus undae
deduxere diem. sparguntur litore curvo
lumina nondum ullis terras monstrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci testudine vates
extrahit, ut steterit redimitus tempora vittis

---

268. *lituos et bella loquentem* i. e. cum laudibus narrantem, praedicantem: Ov. tr. III, 3, 17; Prop. V, 11, 30 *Afra Numantinos regna loquuntur avos*; Lucan. IV, 573 seq. *nullam maiore locuta est Ore ratem totum discurrens Fama per orbem*; Claud. laud. Ser. 162 *antiquos loquitur Musarum pagina reges.*

269. *sub te — magistro*: Verg. Aen. VIII, 515.

270. *nostram festinet ad hastam* concisa brevitate dictum; vid cap. I praefationis.

271. Cum Verg. Aen. II, 355 dicat *sic animis iuvenum furor additus,* probavi Peerlkampi coniecturam *inde animis calor*; Vat. habet *indeme calor.* Monac. ex correctura *inde mero,* quod fortasse verum est. Scribitur nunc *viae calor,* sed de via mentio sequitur; Sandström, emend. in Prop. Luc. Val. p. 24 proposuit *inde idem calor*; cfr. Hermathen. VIII, 395 annot.

ire per altum: Verg. Aen. IV, 310.

272. *promittitur — Argo reditura* paullo insolentior constructio, sed similia singulis exemplis non admodum raro reperiuntur imprimis in prosa oratione, vide Kuehneri gramm. lat. II § 127, 5.

274. *sol ruit*: Verg. Aen. III, 508.

Undas diem deduxisse dixit poeta, quia in mare sol occidens redit; contrarium dicitur IV, 97 *traxitque diem* (sol) *candentibus undis.*

276. *lumina* intellegenda sunt ignes excubantium Argonautarum, talia autem lumina in littoribus accensa nondum adhibebantur ad signa propinquae terrae nautis danda.

278. *noctem — extrahit*; extrahendi verbum si cum temporis notione coniungitur, indicare solet tempus duci impedimento vel

Digitized by Google

Phrixus et iniustas contectus nubibus aras
fugerit Inoo linquens Athamanta Learcho;
aureus ut iuvenem miserantibus intulit undis

---

difficultate aliqua vel mora vel actione molesta, ut iusto longius videatur; sane etiam Orpheus heroibus noctem quasi prolatavit, sed iucundo cantu et ita longiorem fecit, quam fuisse visa esset, si eam totam somno exegissent. Eadem ratione extrahendi verbo iam usus erat Luc. IV, 200 *extrahit insomnis bellorum fabula noctes.*

281. *miserantibus intulit undis*: miseratae esse undae dicuntur, quod arietem vellere aureo et Phrixo et Helle gravatum tulerunt neque merserunt; etenim natando apud Valerium aries Phrixum in Colchos abstulit: id vel ex verbis *intulit undis* apparet, cfr. ad v. 288. Notabilis in hac fabula discrepantia apparet inter Graecos Romanosque scriptores: illi fere omnes dicunt volando per aera super mare arietem ad Colchos pervenisse: argum. Apoll. ed. Well.; Apollod. I, 9, 1, 4; Luc. de salt. 42; dial. mar. 9; de astr. 14; Tzetz. schol. in Lycophr. 22 p. 313 ed. M.; Nonn. Dionys. X, 99. Philostr. imag. II, 15; his accedit Augustin. de civ. dei XVIII, 13 Contra Romani, inter quos Valerius, natando per mare arietem Phrixum servasse ad Colchos tradunt: Ov. her. XVII, 143 seqq.; fast. III, 868; trist. I, 10, 27; Manil. IV, 515; 746; Tac. ann. VI, 34; Apul. met. VI, 29; myth. Vat. I, 23; II, 134; Sen. Thyest. 851; schol. Stat. Theb. II, 281; V, 475; Ach. I, 28; 65; schol. Germ. 142; Hyg. fab. 3; astr. II, 20; consentiunt ex Graecis Palaeph. c. 31 ed. W. et argum. Apoll. ed. Merkel. Nimis mirum videbatur Romanis arietem volasse per aera itaque Graeci fontis (fortasse Eratosthenis, de quo cfr. infra) ambigue scripta verba probabiliore ut opinabantur ratione explicaverunt. Etiam artifices arietem volantem effingere veriti sunt, cfr. Gerh. ges. Abh. II, 81; Helbig Wandgem. Camp. Nro. 1251—58; ann. instit. 1867, p. 88 seqq., Schoen. griech. Rel. Nro. 124; Stephani compte rend. 1869 p. 109. Maxime notabilis est locus Ciceronis Tusc. disp. III, 67, ubi Euripidis versus interpretatus est Phrixi tragoediae frg. 821 seqq.: εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν, εἰκὸς σφαδάζειν ἦν ἂν e. q. s., quae Cicero falso de navigatione Phrixi per mare in ariete facta intellegens ita vertit: *si mihi nunc tristis primum inluxisset dies Nec tam aerumnoso navigavissem salo, Esset dolendi causa* e. q. s.; minime enim credibile est. Ciceronem haec per translationem dixisse. Ambigue loquuntur Pind. Pyth.

Digitized by Google

vector et adstrictis ut sedit cornibus Helle.
septem Aurora vias totidemque peregerat umbras
Luna polo, dirimique procul non aequore visa

IV, 268; Diod. IV, 47; Eratosth. catast. p. 124 ed. R.; Sen. Troad. 1037; schol. Germ. p. 79. Ex ratione Euemeri nonnulli navi, cuius prora arietis imagine ornata esset, Phrixum vectum excogitarant: schol. Apoll. I, 256; Tac. l. l. et rursus aliter Diodorus IV, 47 extr. Sed iam ad Valerium redeamus.

Variatur modus verborum interrogationis indirectae: cum scripserit poeta *steterit* 278, *fugerit* 280, sequitur *intulit* 281 *sedit* 282; cfr. VII, 119 seqq. *quaerit, ut Aeaeis hospes consederit oris Phrixus, ut aligeris Circen rapuere dracones*; Prop. II, 16, 29 seq. *adspice quid donis Eriphyla invenit amaris Arserit et quantis nupta Creusa malis*; vide imprimis varietatem modorum, quae est apud Prop. III, 5, 25 seqq.

282. *adstrictis — cornibus;* Helle arte cornua arietis amplectitur, ne in mare labatur; cfr. praeter alia Lucan. VIII, 67 *adstrictos refovet complexibus artus.*

283. Quamquam saepius *umbra* vel *umbrae* a poetis de tenebris nocturnis dicuntur, id hoc loco singulare est, quod Valerius umbram pro temporali noctis notione posuit; sed cfr. Man. astron. III, 236 *variisque dierum umbrarumque modis;* 251 *quae* (regula) *segnemque diem, segnes perpendat et umbras*; 301 *sed neque per terras omnis mensura dierum Umbrarumque eadem est;* vide etiam 450.

284. Eleganter poeta indicat, arietem iam propinquare Sesto et Abydo; res ipsa de urbibus montibus sim., quae procul coniuncta videntur. appropinquanti autem discedere, nota neque eget explicatione; *geminae* urbes dicuntur, quia angusto inter se spatio diremptae sunt. ut *gemini scopuli* Verg. Aen. I, 162; *portae* VI, 893.

dirimique procul non aequore visa; audacius verba collocantur pro eo quod est dirimique aequore procul non visa, cfr. I, 763 *me quoque — casus comitem quicunque propinquat accipies*; 848 *tum porta quanta sinistra poena docet maneat*; II, 222 *conferre manus etiam magnisque paratae cum facibus*; 522 *non illa magis quam sede movetur magnus Eryx*; III, 270 *vellem hac equidem me strage meosque procubuisse magis*; 444 *quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum Rite locat quercus*; IV, 148 *iam veniet diros Amycus qui tollere caestus Imperet*; 152 *segnes ad iniqua altaria tau-*

Digitized by Google

coeperat a gemina discedere Sestos Abydo.
hic soror Aeoliden, aevum mansura per omne,
deserit, heu saevae nequiquam erepta novercae!
illa quidem fessis longe petit umida palmis
vellera, sed bibulas urguenti pondere vestes
unda trahit levique manus labuntur ab auro.
quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus aestu
respiceres miserae clamantia virginis ora
extremasque manus sparsosque per aequora crines!

---

ros Constituit; VII, 7 *nec pereat quo scire malo* (i. e. nec scire quo malo pereat); 375 seq. *qualis adhuc teneros supremum callida fetus Mater ab excelso produxit in aera nido.* Similia sane etiam apud alios poetas, sed rarius inveniuntur, velut Ov. artis III, 206 *parvus sed cura grande libellus opus.*

286. *aevum mansura per omne*: Ov. met. V, 227.

287. Verg. Aen. III, 711.

288. *umida* sunt vellera arietis per mare natantis, quem longe petit Helle i. e. ex longinquiore spatio, non iam sedens in ariete et cornua eius amplexa, sed in latere haerens atque iam iamque labens; cum autem pars vestis iam mari mergatur, haec gravata undis Hellen in profundum trahit.

longe, ex longinquo spatio, ut VII, 542; Ter. Eun. 335; Ov. artis I, 766; met. IV, 622; trist. I, 10.7; IV, 2,18; Verg. Aen. IX, 572; X, 754; vaticin. Marcii apud Liv. XXV, 12 (vomica) *quae gentium venit longe.*

291. *concitus*, celeri motu vectus, ut *iuga concita* I, 3; Ov. am. II, 4,8 *rapida concita puppis aqua;* met. IV, 705 *navis concita*; cfr. VII, 491; VIII, 357; fast. IV, 461 al. Praeter arietem etiam undae Phrixum magna cum celeritate abripuisse dicuntur, ideoque frater sorori auxilium ferre non poterat.

293. *extremasque manus*; qui scripturam editionis Aldinae *extentasque* probaverunt, non assecuti sunt, quanta arte Valerius puellam paullatim aquis mersam depinxerit: primum vestis trahitur, tum ipsa in aquam labitur, eminet etiamtum caput (clamantia ora), denique solae extremae manus et crines sparsi.

Etiam apud Apoll. I, 494 seqq. canit Orpheus, sed minus apte de chao et Titanum temporibus, cum Iuppiter nondum imperium mundi teneret.

Digitized by Google

Iamque mero ludoque modus, positique quietis
conticuere toris: solus quibus ordine fusis
impatiens somni ductor manet. hunc gravis Aeson
et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque
pleni oculos. illis placidi sermonis Iason
suggerit affatus turbataque pectora mulcet.
mox, ubi victa gravi ceciderunt lumina somno,
visa coronatae fulgens tutela carinae

294. *quietis toris*: cfr. ad v. 109.

296. *gravis;* vid. v. 23; apud Apollon. I, 294 seqq. Iason matrem valere iubet domi eamque ut domi maneat hortatur 303 seq., ne infaustum omen lamentationibus maternis exsistat ancoram solventi; cfr. Verg. Aen. XII, 72 seqq.

297. Alcimede mater est Iasonis, cfr. Apoll. I, 47; 233; Ov. her. VI, 105; Hyg. fab. 13; 14; sed alii aliud ei nomen tribuerunt, vid. schol. Apoll. l. l.; schol. Od. XII, 69; Kennerknecht zur Argonautensage p. 3 annot. et Stender de Argonautarum — expeditione hist. critic. p. 6.

298. *pleni oculos* sc. lacrimis, vid. praef. cap. I.

300. *ceciderunt lumina*; Sil. VII, 470 seq. *fessique nitoris Luce cadunt oculi.*

301. *tutela* solet nominari imago dei tutelaris in puppi constituta; cfr. Verg. Aen. X, 171; Ov. trist. I, 4, 8; I, 10, 1; Luc. III, 511; Stat. Theb. VIII, 270; Sil. XIII, 78; XIV, 410; 439; 543; Pers. sat. VI, 30; atque ita Burmann locum intellexit. Sed tamen his verbis Valerius prorsus aliud significat. Ex libri VIII versu 203 enim apparet, Minervam navis deam tutelarem fuisse, hoc autem loco imago quercus Dodonaeae Iasoni apparet; erat haec trabs ex quercu fatidica Iovis Dodonaei facta: Apoll. I, 526; IV, 580; Apollod. I, 9, 16, 6 Hyg. astron. II, 37; Claudian. de bello Pollent. 18 seq.; cfr. Val. V. 65. Hanc trabem effigie quadam divina praeditam Iasoni visam esse Valerius finxisse videtur. Sane neglexit, cum navis aedificationem describeret, de quercu illa quidquam addere, quare non pro certo dici potest, quomodo rem animo informaverit atque in qua parte navis fatidicam quercum fuisse putaverit et utrum Minerva, navis fabricatrix, an Iuno quercum addiderit. Quare quod dicit de Saturnia v. 305, servare quam hanc vocem Nodellium secutum in Tritoniam mutare tutius credo.

vocibus his instare duci: 'Dodonida quercum
Chaoniique vides famulam Iovis. aequora tecum
ingredior, nec fatidicis avellere silvis
me nisi promisso potuit Saturnia caelo.
tempus adest. age rumpe moras, nunc aequore tuto
currimus; incertus si nubila duxerit aether
. . . . . .
iam nunc mitte metus, fidens superisque mihique'.
dixerat. ille pavens, laeto quamquam omine divum,
prosiluit stratis. Minyas simul optulit omnis
alma novo crispans pelagus Tithonia Phoebo.

---

coronatae — carinae; cfr. Verg. Aen. IV, 418 *puppibus et laeti nautae imposuere coronas*; georg. I, 304; Prop. III, 24, 15; Ov. met. XV, 696; Sil. XI, 444.

302. *vocibus — instare* i. e. hortari; Ov. her. VIII, 30 *instant officio nomina bina tuo* i. e. hortantur ut officium tuum facias; cfr. Verg. Aen. XII, 47; Sil. VII, 458; Cic. frgm. progn. de div. I, 8, 14; *precibus instare* dixit Alcim. Av. V, 219; *planctibus* Val. II, 175; *amplexibus* IV, 39.

303. *famula Chaonii Iovis* quercus dicitur, quia ex ipsa arbore et foliorum susurro oracula Iuppiter edere credebatur: Hom. Od. XIV, 327; XIX, 296; Aesch. Prom. 832; Soph. Trach. 1168; Prelleri mythol. graec. I⁴, 123.

304. *fatidicis — silvis*: plures quercus fatidicas fuisse Aesch. l. l. indicat, saepius una tantum nominatur.

306. *dumque* Vat., *nunc* Loehbach; *toto* Vat., *tuto* Gronovius.

307. *incertus* aether dicitur, quia nubibus obductus non clare apparet, ut *incerta luna* apud Verg. Aen. VI, 270; similiter *incerti soles* III, 203 i. e. dies, qui propter caliginem discerni non possunt; contrarium describitur Val. II, 55 seqq. Locutio, quae est *nubila ducere* exemplo carere videtur, sed dicitur ut *colorem d.* Ov. met. III, 485; *caelo lucis ducente colorem* Lucan. VI, 828; *pallorem d.* Ov. met. VIII, 760.

Post 307 nonnulla videntur excidisse, quibus quercus fatidica animum Iasonis contra tempestates orituras confirmare studebat; versu autem 308 brevi adhortatio comprehenditur. *Rumpe moras*; cfr. Verg. Aen. IV, 569; IX, 13.

311. *Tithonia* sc. coniux, ut III, 1; Ov. fast. IV, 943; Stat. Theb. VI, 25; XII, 3; silv. I, 2, 45; IV, 6, 16; V, 4, 9.

Digitized by Google

discurrunt transtris: hi celso cornua malo
expediunt, alii tonsas in marmore summo
praetemptant, prora funem legit Argus ab alta.
Increscunt matrum gemitus et fortia languent 315
corda patrum; longis flentes amplexibus haerent.
vox tamen Alcimedes planctus supereminet omnis:

---

crispans pelagus i. e. maris horrorem splendore tremulo implens, cfr. Namat. de red. II, 13 *arridet placidum radiis crispantibus aequor*. Aliis verbis eandem sententiam expressit Sil. XII, 732 *tremula infuso resplendent caerula Phoebo* et II, 664 *in tremulo vibrant incendia ponto*; vide etiam Paul. vit. Mart. IV, 575 *lapilli crispabant vitreas — lymfas*.

313. *marmore* significatur splendens placidi maris superficies iam apud Enn. ann. 377 V. *verrunt extemplo placidum mare marmore flavo*, tum apud Lucr. II, 767. Verg. Aen. VII, 28; et omnino pro mari dicitur Georg. I, 254; Aen. VII, 718; X, 208 et apud multos posteriores poetas: Silium, Petronium (c. 89 v. 34), Sedulium, Iuvencum, Corippum, Dracontium, Paulinum Petric., sed apud neminem saepius quam apud Avienum. Ansam videntur dedisse verba Hom. Il. XIV, 273 τῇ δ' ἑτέρῃ (χειρὶ ἕλε) ἅλα μαρμαρέην.

314. *praetemptant*, experiendo probant ante ipsam navigationem, ut Ov. met. V, 339 *chordas p.*; VIII, 7 *vires*; Sen. Phaedr. 1060 *se*.

De insolita *ab* praepositionis collocatione cfr. 404; 597; III, 224; VIII, 288.

315. *languent* corda, sc. prae metu, ut *languor* dicitur pro metu VII, 194 et *languida monstris corda* Sil. III, 504.

Ceterum aptius apud Valerium lamentationes renovantur et in littore quidem eo ipso momento, quo ancoram soluturus est Iason, quam fecit Apollonius, qui pridie in urbe Iasonem parentibus valedixisse narrat.

316. *longis amplexibus haerent*, incertum utrum dativus an ablativus; cfr. Ov. met. VII, 143 *avidisque amplexibus haerent*; Sil. XIII, 297 *amplexibus haeret*. Contra legitur *haesit in amplexu* apud Ov. ex Pont. I, 9, 19; certe dativus est Val. VII, 122 *parentibus haeret*; cfr. praeterea III, 4 *caris socium digressibus haerent*.

317. *supereminet* uno vocabulo scribendum ut V, 367; Verg. Aen. I, 501; VI, 856; X, 765; Ov. trist. I, 2, 49; met. III, 182.

Digitized by Google

femineis tantum illa furens ululatibus opstat,
obruit Idaeam quantum tuba Martia buxum.
fatur et haec: 'nate indignos aditure labores,
dividimur; nec ad hos animum componere casus
ante datum, sed bella tibi terrasque timebam.
vota aliis facienda deis. si fata reducunt
te mihi, si trepidis placabile matribus aequor,
possum equidem lucemque pati longumque timorem.
sin aliud Fortuna parat, miserere parentum,
Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor. ei mihi, Colchos
unde ego et avecti timuissem vellera Phrixi?
quos iam mente dies, quam saeva insomnia curis
prospicio! quotiens raucos ad litoris ictus

---

318. *ululatibus obstat* sc. ne audiantur; similiter dixit Stat. Ach. I, 296 Deidamiam pulchris sororibus obstare sc. ne oculos in se convertant.

319. *obruad* Vat., *obruit* Baehrens, qui coniunctivum defendi posse recte negat. Tibia ex buxo facta adhibebatur sacris Idaeae matris: Verg. Aen. IX, 619; Ov. ex Pont. I, 1, 45; Bacchi: Ov. met. IV, 30; Stat. Theb. II, 77. Dureau apte confert Antipatri versum, qui legitur apud Duebnerum XVI, 305 νεβρείων ὁπόσον σάλπιγξ ὑπερίαχεν αὐλῶν e. q. s.

buxus vel buxum pro tibia ex buxo facta invenitur etiam Ov. met. XIV, 537; Prop. IV, 8, 42; Stat. Theb. VII, 170 al.

321. *dividimur* 'wir müssen uns trennen', cfr. Ov. trist. I, 3, 73; Prop. II, 7, 3; *animum componere* 'sich gefasst machen', ut Lucan. IX, 380 *componite mentes Ad magnum virtutis opus*; Tac. ann. III, 1 de Agrippina cum cineribus Germanici in Italiam redeunte: *Illic paucos dies componendo animo insumit.*

327. *Mors bona* i. e. propitia, ut I, 674 *numina meliora*; II, 369 *divae melioris*; VI, 676 *dei meliores*; Hor. c. I, 7, 25 *melior fortuna*; IV, 2, 38; IV, 5. 1; *b. divi*; *manes* Verg. Aen. XII, 646; *Palladis oculi b.* Prop. II, 28, 12; *b. Apollo* Nemes. ecl. I, 5; *melior deus* Sen. Troad. 872; *Domini bonitas* Sedul. pasch. c. V, 407; saepius *di boni* apud poetas comicos.

De sententia cfr. Luc. II, 27 *necdum est ille dolor, sed iam metus.*

Digitized by Google

deficiam Scythicum metuens pontumque polumque
nec de te credam nostris ingrata serenis!
da, precor, amplexus haesuraque verba relinque
auribus et dulci iam nunc preme lumina dextra.'
Talibus Alcimede maeret; sed fortior Aeson
attollens dictis animos: 'o si mihi sanguis,
quantus erat, cum signiferum cratera minantem
non leviore Pholum manus haec compescuit auro;

---

331. *deficiam* sc. animo, ut IV, 35; 246; V, 446; Ov. her. XVIII, 8; met. XIV, 484; ex Pont. II, 7, 80; Verg. Aen. XI, 231; 424; XII, 2; Claud. de bello Poll. 161; Iliad. lat. 493.

cretamque Vat., *polumque* cod. Carr.; cfr. Stat. Theb. XI, 67 *horruit audito tellus pontusque polusque*; Paulin. de vita S. Mart. I, 111 *ille hominum terraeque deus pontique polique.*

332. *nostris serenis* i. e. caelo, etiam si serenum est apud nos; cfr. Lucan. IX, 423 *nostris reficit sua rura serenis.* Saepius singularis ponitur, sed pluralis legitur etiam Lucr. II, 1100; Verg. georg. I, 393; Anthol. 155, 1 B.; Avien. progn. 281; 286; 354; 406.

333. *haesura* verba sibi optat mater, quia ea ultima esse putat, cum eum rediturum non speret, eandemque ob causam adhortatur, ut oculos premat Iason quasi mortuae.

334. *preme lumina*: comprime, sic legitur *premere gradum* II, 454; *lumina premere* i. e. claudere dixit etiam Sil. XV II, 629; paullo aliter se habet locus Val. II, 227.

335. seqq. Romanus poeta fortem describit patrem fortis filii; at apud Graecum poetam I, 263 pater lamentatur.

336. *attollens — animos*, sine dubio filii, cfr. Sil. I, 105; XIII, 301; Coripp. Ioh. IV, 18; Alcim. Av. II, 249; de proprio animo dicitur Verg. Aen. XII, 4; Il. lat. 494. de ellipsi vocis *esset* cfr ad II, 51.

De verbis Aesonis cfr. Aen. VIII, 560 seqq. similis aliquomodo est etiam sententia apud Hom. Il. VII, 132 seqq.

337. *cratera minantem* dictum ut IV, 289 *dextram*; III, 552 *tela*; Ov. met. X, 417 *indicium laquei*; Prud. perist. X, 285 *clavam*; Coripp. in laud. Iust. III, 346 *lituos*; etiam apud Stat. Theb. II, 563 Pholus cratere pugnat.

338. ense pugnans cum centauris describitur Aeson v. 144.

Digitized by Google

primus in aeratis posuissem puppibus arma
concussoque ratem gauderem tollere remo.
sed patriae valuere preces auditaque magnis
vota deis. video nostro tot in aequore reges
teque ducem. tales, tales ego ducere suetus
atque sequi. nunc ille dies (det Iuppiter oro),
ille super, quo te Scythici regisque marisque
victorem atque umeros ardentem vellere rapto
accipiam cedamque tuae mea facta iuventae.'
sic ait. ille suo conlapsam pectore matrem
sustinuit magnaque senem cervice recepit.

---

compescuit, interfecit? Apud Ov. met. XII, 306 Pholus fuga salutem petit neque eius adversarius nominatur; apud Verg. georg. II, 456 et Aen. VIII, 294 interficitur; cfr. Apollod. II, 5, 4.

339. *aeratae* puppes nominantur etiam Ov. met. VIII, 103; pluralis autem puppis dicitur ut *currus* v. 68; *cristae* VII, 467; *globi* V, 46; *carinae* VII, 220; *pharetrae* II, 511; *terrae* IV, 734.

340. *ratem — tollere* sc. super undas, ut VIII, 328; Lucan. III, 526. *concusso remo* similiter dicitur, ut arma tela hastam concutere.

341. Significare hic videtur Valerius Aesonem, cum filius se paratum dixisset ad expeditionem faciendam, a deis petivisse, ut heroes frequentes ei interessent; vid. praef. c. I.

344. *super* i. e. superest, ut VIII, 435; Verg. Aen. III, 489; Sil. VI, 68; ceterum cum brevitate quadam dictum pro eo quod est: nunc superest ut illum diem advenisse videam.

346. *ardentem vellere* i. e. ornatum ardenti vellere; *ardere* de splendore metalli dicitur, cfr. I, 488; V, 139; 230; VI, 150 (*ardor velleris*); Acc. 319 R. *fulgentium armum armatus ardorem obtui*; similiter *flammeus orbis* de clipeo dicitur Stat. Theb. IV, 132; *igneus auro micat* 265; *chlamys ardet* V, 438; *purpura — mixto incenditur auro* X, 60; *ignea gemmis cingula* XII, 527; *clipeumque accendere auro* Sil. XV, 678.

347. *accipiam*; Verg. Aen. VI, 693.

348. 'Poeta muliebrem mollitiem masculamque gravitatem servat.' Wagner.

Digitized by Google

Et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantis
solverat amplexus tristi tuba tertia signo.

---

351. *tubae* usum sui temporis transfert more poetico Valerius ad tempora heroica; *ter* tuba signum profectionis datur prorsus eadem ratione, qua hodie quoque talia signa dari solent, cfr. Frontin. strateg. IV, 1, 33: *M. Cato ab hostili littore, in quo per aliquot dies manserat, cum ter dato profectionis signo classem solvisset* e. q. s. Alia res est, cum narrat Val. III, 348 ter inhoruisse aethera *luctificum clangente tuba.* Tuba autem dicitur pro signum tuba datum, ut *ante tubas* legitur Verg. Aen. XI, 424; Stat. Theb. VI, 147; Iuv. I, 169; Sil. IX, 52; Claud. in Ruf. I, 333; Coripp. Ioh. IV, 490; VII, (VI) 508; *intermissa tuba* Prop. IV, 4, 80; *non clamor utrimque, Non utrimque tubae* Stat. Theb. XII, 722.

Iam sequitur enumeratio Argonautarum, multo magis pulchre et poetice exornata a Valerio quam ab Apollonio, qui saepius molesta cum diligentia originem et cognationem vel domicilium heroum nos docet, id quod ad eorum naturam atque mores et virtutes describendas non multum valet. Largam de eis materiam in catalogo Argonautarum explicando congessit Burmann in praefatione editionis per plus L paginas; praeter eum imprimis laudandus Iessen, qui scripsit prolegomena in catalogum Argonautarum Berolini 1889; conferatur etiam Stenderi de Argonautarum ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica, Kiliae 1874. Nobis ne nimia mole obruamur, pauca praefari sufficiat. Valerius quinquaginta fuisse heroes expeditionis participes praeter Iasonem dicit VII, 43; quinquaginta omnino numerantur VIII, 274; cfr. Stat. Theb. V, 422. Enumerantur autem hoc loco praeter Iasonem undequinquaginta, quibus ante ipsam profectionem Acastus accessit, Hylae autem pueri ut par erat, ratio non habetur. Apollonius habet praeter Iasonem quinquaginta tres addito Acasto, Apollodorus enumerat I, 9, 16 quadraginta quattuor praeter Iasonem; Theocr. Id. XIII, 74 vocat navem τριακοντάζυγον. Ex eis, qui apud Apollonium nominantur, desunt apud Valerium novem: Coronus Clytius Areius Augeas Asterius Laocoon Palaemonius Eurydamas Iphitus alter; contra nominantur a Valerio praeter ceteros Apollonii heroes hi sex: Clymenus Deucalion Iphis Nestor Philoctetes Tydeus. In transtris sedent quadraginta duo, itaque in utraque parte viginti cum singulis ducibus, validissimis quidem viris, Telamone et Hercule. Sed permirum est, quod nemo editorum animadvertit, Valerium ei parti, ubi sedet Telamon,

Digitized by Google

dant remo sua quisque viri, dant nomina transtris.
hinc laevom Telamon pelagus tenet, altior inde
occupat Alcides aliud mare, cetera pubes
dividitur: celer Asterion, quem matre cadentem
Piresius gemino fovit pater amne Cometes,

---

undeviginti. alteri autem parti viginti tres remiges tribuisse, quod ridiculum est omninoque incredibile. Primus vitium subesse vidit Kennerknecht zur Argonautensage. Bamberg 1888 p. 13, qui versibus 403—10 post 382 transponendis parem utriusque partis numerum effecit. Hanc emendationem probandam puto imprimis motus eo, quod post 410 etiam constructio verborum turbata est, cum desideretur praedicatum, quod referatur ad subiectum *Phlias*; sin autem statuimus, versum 411 statim secutum esse v. 402. *gerit* commune duorum enuntiatorum praedicatum haberi potest. Sine dubio aberravit librarius ab *magistros* 382 ad *magistri* 410 (390) itaque factum est, ut 403—10 (383—90) primo omissi, tum ad marginem adscripti postremo alieno loco insererentur.

Ceterum Valerius ordinem remigum hoc loco expositum non anxie servavit, quoniam ex III, 477 seqq. apparet, tum quidem cum Hercules remum frangeret, post eum Talaum Eriboten Amphionem Iphitum sedisse, cum in hac enumeratione Eribotes sextus sit post Herculem tresque ceteri in altera parte cum Telamone sedeant.

354. *aliud* mare pro altero, cfr. ad 140.

355. Deest praedicatum ad subiectum *Asterion* quod recentiores editores nimis patienter tulerunt, neque vero id solum deest, sed omnino non narratur, qua parte sederit Asterion ceterique omnes, qui eum sequuntur. Sine dubio autem poeta, ut ordinem Herculeum v. 387 significavit, hoc loco Telamonis indicavit, quare post 357 nonnulla excidisse puto. Alia res est 383, 394, 436, quibus locis propter *hic* vel *hinc* pronomen facile *sedet* vel tale quid audiri potest.

matre cadentem (sic Barth; *carentem* Vat.), i. e. matre natum, ut Stat. Theb. I, 60; Claud. in Ruf. I, 92; cfr. Hom. Il. XIX, 110; aliquo modo similis est locus apud Lucan. I, 213 *fonte cadit modico — Rubicon.* Cfr. Hor. a. p. 93.

356. *Crestus* Vat., *Piresius* Heinsius, quod recentiores editores recte receperunt; ita nominatur eius pater, quod Piresiis in oppido Thessaliae habitabat: Apoll. I, 37 Πειρεσιὰς ὄρεος Φυλληίου ἀγχόθι ναίων.

Digitized by Google

segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus,
. . . . . .
nititur hinc Talaus fratrisque Leodocus urguet
remo terga sui, quos nobile contulit Argos.
hinc quoque missus adest quamvis arcentibus Idmon
alitibus; sed turpe viro timuisse futura.
hic et Naubolides tortas consurgit in undas

---

fovit, ut Stat. Theb. I, 61; cfr. silv. V, 5, 69; verba *gemino amne* versu qui sequitur, explicantur. Enipeus a Valerio nominatur lenior amnis, Apidanus rapidior; contrarium facit Ov. met. I, 579, sed cum Valerio consentit Lucan. VI, 373.

357. *sentit* poetica translatione dictum ut VI, 666, contra prosaica ratione amnes confluentes describit Apoll. I, 38; Apidanum cum Peneo ibi aquas miscere Orph. Arg. dixit 164 seq.

358. *Talao* et *Leodoco* tertium fratrem Areium addit Apoll. I, 118.

359. *contulit* praeter consuetudinem dictum, sed simplici translatione a pecunia, quae confertur.

360. *quoque* insolito loco collocatur pro eo quod debebat: hinc Idmon quoque missus, cfr. VI, 234 *id quoque tegmen equis* i. e. id tegmen equis quoque; Orest. trag. 289 *quae ratis advexit regem, haec quoque pignora regis — reportat.* De re cfr. ad 239.

361. *timuisse* notione aoristi graeci positum, quasi diceret timore captum esse. Hunc usum infinitivi perfecti non infrequentem esse constat cum in sermone antiquiore tum apud poetas, imprimis apud Silium; de Val. cfr. III, 627; VI, 502; VII, 209; et de indicativo ad III, 738; IV, 61.

362. *Iphitus* filius Nauboli Apoll. I, 207 seq.; Hyg. fab. 14; Stat. Theb. VII, 354; diversus ab eo Iphitus, filius Euryti et Antiopes, omissus a Valerio, commemoratus ab Apoll. I, 86 et Hyg. fab. 14.

torqueri undae remis dicuntur ut II, 28 *torquentem anguibus undas* de Typhoeo; IV, 508 seq. *ignea montem torsit hiems* de Vesuvio; Ov. fast. V, 644 *ille meas remis advena torsit aquas*; Sil. XIV, 360 *verberibus torsere fretum*; Verg. Aen. III, 208 *torquent spumas*; insolentius dixit poeta *intorquere undas* III, 476 et VIII, 287. Ceterum audacia non insolita Valerius scripsit *tortas consurgit in undas* pro eo quod est: consurgit ut (remo) undas torqueat.

Iphitus, hic patrium frangit Neptunius aequor
qui tenet undisonam Psamathen semperque patentem
Taenaron Euphemus, mollique a litore Pellae
Deucalion certus iaculis et comminus ense
nobilis Amphion, pariter quos edidit Hypso

---

363. *frangit — aequor*, cfr. VIII, 355; Sil. XI, 490; Claud. de III. cons. Hon. 56; Optat. Porph. XIX, 23.

364. *Psamathen* dixit Valerius pro Psamathunte quod est oppidum Laconiae: Plin. n. hist. IV, 16; Paus. III, 25, 4; contra *Psamathe* a Plinio fons Argolidis nominatur IV, 17, de quo Valerium cogitare non potuisse apparet.

patentem Taenaron dicit poeta, quia ibi aditus ad inferos esse credebatur: Hor. c. I, 34, 10; Sen. Troad. 402; Pind. Pyth. IV, 79; Prelleri mythol. graec. I⁴, 811 annot. 2.

365. *Euphemus* filius Neptuni erat: Apoll. I, 180; Hyg. fab. 14; hunc pernicitate pedum insignem tam celeriter super undas currere potuisse dicit Apollonius, ut non mergerentur pedes; similiter Hyg. Cfr. quae de velocitate Iphicli similia narrantur apud schol. Apoll. I. 45 (Hes. frg. 143 Rz.); schol. Hom. Od. XI, 326; de equis Erichthoniis apud Hom. Il. XX, 226 seqq.; de Camilla viragine apud Verg. Aen. VII, 808.

365. Pro fratribus Deucalione et Amphione Apoll. I, 177 fratres Asterium et Amphionem nominat, quocum consentit Hyg. fab. 14, ubi pro eo quod traditur *Asterion* legendum puto *Asterius*; Hyg. alium Deucalionem commemorat filium Minois.

Pellam rursus mutata forma dicit Valerius pro *Pellene* Achaica, ut est apud Apoll. et Hyg.

molle littus nominatur leniter acclive etiam in prosa oratione; cfr. Ov. fast. III, 13; ex Pont. I, 2, 62; Sil. IV, 489 al.

366. *certus iaculis*; cfr. 191; 436; Stat. Theb. VIII, 440; Prop. II, 34, 60; Sen. Herc. Oet. 161; Phaedr. 193. Similiter *manus c.* Stat. Theb. IV, 334; Senec. apocol. 12, v. 16; Sid. II, 267; *dextera* Mart. de spect. 13, 3; sed saepius a poetis de rebus dicitur: hasta sagitta telo securi arcu arundine fulmine.

367. *Hypsonem* matrem ipse Valerius videtur finxisse; *pariter* i. e. eodem tempore, etiam in prosa oratione, non raro apud poetas, velut Mart. VIII, 28, 21; Ov. her. XII, 198; Stat. Theb. IX, 131; Luc. V, 676; Sil. XVI, 184 al.

Digitized by Google

nec potuit similes voluitve ediscere vultus.
tum valida Clymenus percusso pectore tonsa
frater et Iphiclus puppem trahit, et face saeva
in tua mox Danaos acturus saxa, Caphereu,
Nauplius, et tortum non a Iove fulmen Oileus
qui gemet, Euboicas nato stridente per undas,
tectus et Eurytion servato colla capillo,

De geminis tantopere inter se similibus, ut vultus eorum discerni non possint cfr. Plaut Men. prol. 19 seqq.; Verg. Aen. X, 392; Sil. II, 636 seqq.; Stat. Theb. IX, 295; Lucan. III, 605 seqq.; Claud. de IV. cons. Hon. 209 seq.

368. *ediscere vultus*: Verg. Aen. VI, 755.

369 seq. pro *Clymeno* Apollonius Clytium nominat I, 86; unde Clymenum Iphicli fratrem sumpserit Valerius, nescitur; apud Apollonium Clytius est frater Iphiti alterius, quem et ipsum Valerius omisit. Clymenus nominatur apud Apollodorum II, 4, 11, 2 rex Minyarum, cfr. Pausan. IX, 37, 1; pater Ergini Argonautae dicitur a schol. Apoll. I, 185: cfr. Pind. Olymp. IV, 31.

Iphiclus is, qui hoc loco a Valerio commemoratur, est Thestiades Apoll. I, 201; Hyg. 14 'Iphiclus alter Thestii filius', diversus ab Iphiclo avunculo Iasonis, qui a Val. 473 nominatur, v. 45 ab Apollonio. *pectus percutitur* cum ad id remus attrahitur; *trahit* pro *trahunt*, cfr. ad v. 135.

371. De Nauplio auctore naufragii classis Danaorum Troia redeuntium narratio nota. At Apollonius non hunc Nauplium Argonautam esse dixerat 134 seqq., sed Argivum, filium Clytonei, progeniem Neptuni et Amymones; Hyg. fab. 14 ipsum filium Neptuni nominat.

372. *gemet Oileus*, quod Minerva, Iove minor, fulmine filium percutit. *nato stridente per undas* de vulnere explicant Burmann et Wagner coll. III, 278, ego ratione loci Vergiliani Aen. I, 44 habita malim interpretari de Aiace flammas ex transfixo pectore expirante.

378. *Eurytion*, Iri filius (Apoll. I, 72; Hyg. fab. 14), ut Burmann recte explicat, servavit capillum ex voto, ut aleret, donec salvus rediisset: de re cfr. Hom. Il. XXIII, 144. Ceterum cum etiam hoc loco praedicatum desit, quod deesse non licet, 378 et 379 interposui post 373, ita ut *trahit* praedicatum pariter sit referendum ad Clyme-

Digitized by Google

quem pater Aonias reducem tondebit ad aras,
quique Erymanthei sudantem pondere monstri
Amphitryoniaden Tegeaeo limine Cepheus
iuvit, et Amphidamas. at frater plenior annis
maluit Ancaeo vellus contingere Phrixi.
te quoque Thessalicae, Nestor, rapit in freta puppis
fama, Mycenaeis olim qui candida velis
aequora et instantes mirabere mille magistros.
nec Peleus fretus soceris et coniuge diva
defuit, ac prora splendet tua cuspis ab alta,
Aeacide: tantum haec aliis excelsior hastis,
quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.
linquit et Actorides natum Chironis in antro,

---

num Iphiclum Nauplium Oileum Eurytionem Cepheum Amphidamantem; aberraverat oculus librarii ab *undas* ad *aras*.

375. *Cepheus* rex Tegeae ex fabulis notus: adiuvat Herculem in pugna contra Hippocoontem, sed de ea re, quam hic narrat Valerius, nihil alibi traditur.

Cepheus et *Amphidamas* apud Apoll. I, 163 filii Alei dicuntur, apud Hyg. 14 Alei et Cleobules.

376. *actis* Vat., *annis* Monacensis manu alt. in margine; cfr. V, 258; Verg. Aen. VII, 53 *iam plenis nubilis annis*; Plin. ep. II, 1, 7 *et ille quidem plenus annis abiit*. Frater erat Lycurgus secundum Apoll. I, 164, qui ideo dicit relictum eum domi, quod patrem Aleum senescentem curare debebat, quare pro se filium Ancaeum misit; obscurius ut nonnunquam hoc loco Valerius locutus est.

382. *et instantes* Eyssenhardt; *nec stantes* Vat.; instant nautis i. e. instigant ut Auson. id. IV, 44 *cui Proconsul genitor, praefectus avunculus instant*; vide etiam ad 302. *magistri* sunt praefecti navium ut Sil. I, 687; X, 612; Hor. c. III, 6, 31; Stat. sil. III, 2, 56; Claud. de bello Poll. 277; Auson. Mos. 204; saepius poetis sunt gubernatores, qui a magistris discernuntur a Livio XXIX, 25. Multitudo navium, quam postea mirabitur Nestor, uni navi, quam nunc videt, apte opponitur.

403. *Peleus* affinibus deis marinis confidit; de soceris cfr. ad VI, 274.

407. *Actorides:* Patroclum filium Menoetii Actoridis et Achillem una educatos esse in antro Chironis nota est fabula.

Digitized by Google

ut socius caro pariter meditetur Achilli
fila lyrae pariterque leves puer incitet hastas
410 discat eques placidique escendere terga magistri. 390
483 hic vates Phoebique fides non vana parentis,
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
385 palla imos ferit alba pedes vittataque frontem

---

409. *fila* dixit pro chordis primus Ovidius neque raro, tum Statius compluribus locis, raro alii poetae: Sil. XI, 434; Sen. Agam. 360; Claud. rapt. Proserp. II praef. 14; Mart. XII, 94, 5; Paul. Nol. XXVII, 73; inc. XIX, 1, 23 B.

incitet hastas sine exemplo dictum videtur pro eo quod est contorquere.

410. Versus iniuria nonnullis suspectus, sed deest coniunctio, quare recte Hartel gymn. austr. XXIV, 137 scripsit *placidique escendere* pro eo quod est in Vat. *placidi conscendere*; de *que* particulae collocatione cfr. ad v. 49.

383. *hic*, sc. sedet, ut 436 et 394 *hinc*, sc. sequitur.

Phoebique fides non vana parentis i. e. qui fidem faciat, Phoebum suum esse parentem, ut Ov. met. XII, 364 seq. *quem Dolopum rector bello superatus Amyntor Aeacidae dederat pacis pignusque fidemque* i. e. ut fidem faceret fore ut pacem servaret.

Ceterum confundit eum Valerius hoc loco cum altero Mopso, Apollinis et Mantonis filiae Tiresiae filio, de quo cfr. Strab. IX, 5, 22; XIV, 1, 27; 5, 16; Conon. c. 6 ed. Westerm.; myth. Vat. II, 86; 224; schol. Stat. Theb. III, 521, ubi falso *Himantis* scribitur. Contra Mopsus Argonauta erat filius Ampyci: Apoll. I, 1083; 1106; II, 925; III, 915; IV, 1500; Hyg. fab. 14; Hes. scut. 181; schol. Apoll. I, 65; Pausan. V, 17, 10, atque alibi ab ipso Valerio Mopsus Ampycides nominatur: III, 420; 460; V, 366. Serpentis morsu in Africa periit secundum Apoll. IV, 1518 seqq.; Hyg. fab. 14.

384. Dativus *cui* pendet a *ferit*, dativus *puniceo cothurno* a *circumfusa*.

385. Vates Apollinis palla indutus est, ut deus ipse apud Ov. am. I, 8, 59; Prop. III, 31, 16; cfr. notam illam statuam Apollinis Musagetae Vaticanam; longa vestis Orpheo tribuitur apud Verg. Aen. VI, 645; *vittata cassis* est ut sacerdotis; praedicatum *tegit* zeugmate audiendum ex *ferit; laurus* rursus insigne sacerdotis Apollinaris.

Digitized by Google

cassis et in summo laurus Peneia cono.
quis contra Herculeo consurgit ab ordine Tydeus
Nelidesque Periclymenus, quem parva Methone
felixque Elis equis et fluctibus obvius Aulon
caestibus adversos viderunt frangere vultus.
tu quoque Phrixeos remo, Poeantie, Colchos
bis Lemnon visure petis, nunc cuspide patris
inclitus, Herculeas olim moture sagittas.
proximus hinc Butes Actaeis dives ab oris;

---

387. *quin etiam* particulae Vat. traditae quid sibi velint hoc loco, nemo opinor dicere poterit; scripsi *quis contra.*

consurgit i. e. in remigando paullum se a sede tollit, ut 362; Verg. Aen. X, 299; saepius dicitur *insurgere remis* ut Val. II, 13.

389. *felevis* Vat., *et levis* Monacensis, quod plerique editores receperunt; sed cum nimis difficilem explicatum habeat, recepi Baehrentis coniecturam *felixque.*

Aulon oppidum Elidis Plin. IV, 14; Steph. Byz. s. v.; apud Strabonem VIII, 3, 25 videtur vallis nomen esse; *Methone* oppidum Messeniae Strab. VIII, 4, 3; Plin. IV, 15. Cur Valerius Aulonem dixerit fluctibus obvium, non liquet. *obvius* i. e. expositus, ut Sen. Troad. 1146 *leto*; Verg. Aen. X, 694 *ventorum furiis*; Sil. III, 481 *surgenti Phoebo.*

391. Philoctetam omittit Apoll., habet Hyg.

392. *visure* incertum utrum ad vocativum *Poeantie* referendum sit an ad *petis,* nam hoc quoque per grammaticam licet; cfr. Verg. Aen. II, 283 *quibus Hector ab oris exspectate venis*; X, 811 *quo moriture ruis?* al.; mox variatur inter nominativum *inclitus* et vocativum *moture*, cfr. IV, 467 seq. *(inclitus — dilecte)*, tum Livii qui non metro coactus erat I, 24, 7 *audi pater patrate populi Albani, audi tu, populus Albanus*; vide etiam II, 547 *tum colla tumens tum celsior armis.*

393. *moture sagittas*; sic dicitur *m. hastam* IV, 609; *arma* (in pugna ipsa) Hor. sat. II, 7, 99; *arcus* Ov. her. XIX, 115; *bracchia* am. I, 7, 3; *arma* 9, 26; *pharetras* Stat. Theb. I, 658; *arcus* Sil. II, 139; *tela* Prisc. I, 93 B. Consulto omisi eos locos, ubi arma movere fere idem est ac bellum movere.

394. De singulari *Butae* fato vid. Apoll. IV, 910 seqq.

Digitized by Google

innumeras nam claudit apes longaque superbus
fuscat nube diem, dum plenas nectare cellas
pandit et in dulcem reges dimittit Hymetton.
insequeris casusque tuos expressa, Phalere,
arma geris; patula nam lapsus ab arbore parvum
ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

396. *fuscare* idem quod *obscurare* saepius apud poetas legitur, ut Corus *caeli Eoi fuscator* nominatur apud Lucan. IV, 66.

nubes de multitudine apium ut Verg. georg. IV, 557; Stat. Theb. X, 575; Sil. VIII, 635; similiter avium Verg. Aen. XII, 254; Stat. silv. I, 6, 76; Prud. hamart. 805.

397. *reges* sc. apium, ut saepius in quarto georgicorum Vergilii libro.

398. In scuto imago eorum, quae statim narrantur, expressa erat. De re cfr. Man. astr. V, 298 seqq.: *quin etiam ille pater tali de sidere cretus Esse potest, qui serpentem super ora cubantem Infelix nati somnumque animamque bibentem Sustinuit misso petere et prosternere telo.* Cfr. Apoll. Sid. V, 154 seqq.; Anthol. graec. VI, 331 ed. Dübn. Idem narrat Serv. ad Verg. eclog. V, 11, ubi Cretensis dicitur pater Phaleri.

De grammatica constructione verborum *casusque tuos expressa — arma* vide praef. c. III.

399. *vacua* Vat., quod sana sententia caret, *patula* Heinsius; fortasse poeta de platano cogitavit, sed ideo non opus est, ut scribamus *vidua*, quod probavit Koestlin Phil. 48, 654, coniecit Hirschwälder cur. critic. p. 8, sed hoc loco minus placet.

400. *ardenti tergo*, δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός Il. II, 307; cfr. nostrum 'brandroth'; omnino de colore rubro vel fulvo splendido 'brennende Farben'; III, 340 *ardentis murice vestes*; VI, 526 *chlamys ardet acu*; Verg. georg. IV, 98 seq.; Aen. IV, 262; Ovid. hal. 113; Sil. IV, 268; XVII, 395; Stat. Theb. VI, 301; et al. saepius de purpura ostro; cfr. ad 427.

401. *pater* est Alcon Atheniensis Apoll. I, 97; Hyg. fab. 14; *dubius* sc. eventu, idem quod *incertus*: Ov. her. XV, 21 *viae*; XVII, 52 *aqua*; art. I, 558 et II, 514 *ratis*; fast. V, 601 *auctores*; ex Pont. II, 5, 62 *puppis*; IV, 10, 10 *mare*; Prop. IV, 4, 83 *mons ascensu d.*; Sil. IV, 188 *cuspis*; XIII, 887 *velum*; Stat. Theb. X, 920 *fulmen*.

Digitized by Google

tum caelata metus alios gerit arma Eribotes
et quem fama genus non est decepta Lyaei
Phlias immissus patrios de vertice crines.
nec timet Ancaeum genetrix committere ponto,
plena tulit quem rege maris. securus in aequor
haut minus Erginus, proles Neptunia, fertur,
qui maris insidias, clarae qui sidera noctis
norit et e clausis quem destinet Aeolus antris,

---

402. Mirum quod Valerius non accuratius narravit, qui hi metus fuerint; an praeterquam quod ordo versuum hic turbatus est, etiam aliquid excidit? *Eribotes* in Libya interfectus est secundum Hyginum fab. XIV.

411. *fama — non est decepta,* eum genus i. e. filium Lyaei esse; fama autem non in errorem inducta vel decepta est ita, ut falsum traderet; filius est Bacchi et Ariadnes secundum Hyg.

412. Capillum habet promissum et longos cincinnos ut pater. vid. Pind. Isthm. VII, (VI) 4, ubi Bacchus εὐρυχαίτας nominatur; Roscheri lex. I, p. 1098.

413. Genetrix huius *Ancaei* est Astypaleia Apoll. II, 868, cfr. schol. ad hunc locum; Hyg. fab. 157; Pausan. VII, 4, 1; idem nomen videtur restituendum loco corrupto Hygin. fab. 14.

414. *plena* i. e. gravida; interdum absolute ponitur ab Ovidio: met. X, 469; fast. IV, 634; *plenam partu* dixit Lucan. I, 377; praeter consuetudinem is, ex quo gravida est. solo ablativo additur, ut Plaut. Amph. 878 dicit *quod gravidast viro et me quod gravidast.*

415. *Erginus* filius Neptuni Apoll. I, 185 seqq; Hyg. fab. 14; schol. Pind. Pyth. IV, 61. De hoc et Ancaeo Neptuni filiis breviter praedicat Apoll. ἴστορε δ' ἄμφω ἠμὲν ναυτιλίης ἠδ' ἄρεος εὐχετόωντο. Sine dubio Valerius tantis laudibus peritiam Ergini regendae ratis tollit, quia Tiphye mortuo gubernator factus est V, 65.

417. Brevitate Valerio non insolita dictum pro eo quod est quem destinet, ut erumpat, erupturum e clausis antris, ut statim *tradere caelum* sc. observandum et 419 *lassatus ab Arcto* sc. contemplanda; ventum autem esse, non hominem, qui erupturus sit, non opus erat hoc loco addere. Nihil igitur mutandum. Providere potest Erginus, qui ventus mox exoriturus sit; de *qui* pronomine

Digitized by Google

non metuat cui regna ratis, cui tradere caelum
adsidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto.
taurea vulnifico portat caelataque plumbo
terga Lacon, saltem in vacuos ut bracchia ventos
spargat et Oebalium Pagaseia puppis alumnum
spectet securo celebrantem litora ludo,
oraque Thessalico melior contundere freno

---

interrogativo postposito cfr. 768; II, 66; 68; 242; VII, 426; 427; 433; III, 376 *(quisnam)*.

418. *regna ratis* ut imperium carinae V, 14. Anaphoram pronominis relativi amat Valerius, cfr. I, 768; 812; III, 94; 252; 505; 592; IV, 179; VI, 355; 414; 581. (Schmitz, de Val. dicendi genere p. 25.)

419. *adsidua — ab Arcto*; omisso verbo necessario sequebatur, ut assidui notio ad Arctum transiret et adiectivum pro adverbio poneretur.

420. *tergum* saepe apud poetas dicitur de rebus ex corio factis, de caestibus Verg. Aen. V, 403; 419; sic *tegmina* Stat. Theb. VI, 733.

celera Vat., *caelataque* cod. Carr. *caelata plumbo* dicuntur facili translatione ut V, 6 *caelata velamina*; ut enim levis superficies metalli signis caelatur, ut ea emineant, eodem fere modo plumbum ex corii superficie eminet. Ceterum non sine probabilitate Chauvin revue de philol. XIX p. 34 coniecit *celer aspera plumbo* coll. locis Verg. et de *celer* adiectivo Val. I, 355.

421. *Lacon*, Pollux, qui caestus gerebat non ad pugnam iustam, scire enim tum non poterat, sibi rem seriam futuram cum Amyco. *in vacuos — ventos*, cfr. IV, 302; VIII, 173.

422. *bracchia — spargat*, ut Stat. Ach. II, 441 *sp. caestus*; Lucan. IV, 752 *iubas*; Claud. de cons. Stil. III, 140 *dispersit — manus*; cfr. ad III, 603; de sententia vid. Verg. Aen. V, 377 *verberat ictibus auras*; XII, 105 *ventosque lacessit ictibus*.

422. *Oebalius alumnus* Pollux dicitur ab Oebalo, patre Tyndarei.

423. *celebrantem littora* i. e. magna multitudine spectantium complentem; imitatus est Valerius verba Verg. Aen. III, 280 *Actiaque Iliacis celebramus littora ludis*.

424. *melior* sc. quam frater; res ipsa notissima inde ab Homero

Digitized by Google

vectorem pavidae Castor dum quaereret Helles,
passus Amyclaea pinguescere Cyllaron herba.
illis Taenario pariter tremit ignea fuco
purpura, quod gemina mater spectabile tela
duxit opus; bis Taygeton silvasque comantes
struxerat, Eurotan molli bis fuderat auro;
quemque suus sonipes niveo de stamine portat

---

cfr. Il. III, 237; uterque sane erat et pugil et eques, vid. Theocr. XXII, 24; Val. I, 431, sed alterautra re imprimis insignis.

Thessalico — freno, quia Lapithae Thessaliae gens usum frenorum invenisse ferebantur, vid. Verg. georg. III, 115 *frena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere* et Lucan. VI, 397 seqq. *Thessalicus sonipes — Exiluit, primus chalybem frenosque momordit Spumavitque novis Lapithae domitoris habenis*; cfr. Val. VII, 605; Hyg. fab. 274; Plin. nat. hist. VII, 202; schol. Pind. Pyth. IV, 246; schol. Stat. Theb. XII, 632.

ora — contundere: Ov. am. I, 2, 15 *asper equus duris contunditur ora lupatis.*

425. *dum* tertio vocabulo sententiae postponitur, alteri V, 300; VII, 75; 76.

426. *Cyllarus* equus Castoris saepius a poetis commemoratur, ut Verg. georg. III, 90; Mart. IV, 25, 6; Stat. Theb. VI, 328 al.

427. Ab igne tremulo facile hoc loco propter *ignea* adiectivum appositum notio tremendi ad colorem splendidum transfertur; non intellegenda cum Wagnero palla circum umeros fluens; is color splendens saepius igneus nominatur: VI, 708; II, 342 *Tyrio vibrat torus igneus ostro*; Stat. Theb. IV, 265; Plin. VIII, 137 de gemmis scribit *igneo colore* fulgentibus; cfr. praeterea Val. V, 360 *flammea murice cerno tegmina*; et quae ad v. 400 dicta sunt.

428. *gemina — tela* i. e. duabus telis, ideo hoc loco a Valerio scriptum, ut alluderet ad dona, quae geminis darentur.

430. *Eurotan — fuderat*; audaci translatione dicit poeta Ledam Eurotam fudisse i. e. Eurotam fluentem acu esse imitatam, sed eleganter accommodavit ad ea verba quae praecedunt *Taygeton struxerat* i. e. molem montis silvarumque acu expresserat, sic Eurotam fuderat i. e. leniter labentem expresserat.

431. *quemque* scripsit pro utroque ut Ov. her. XVIII, 169; met. IV, 80; ex Pont. I, 10, 44; Iuv. I, 41; Or. trag. 665; Claud.

Digitized by Google

et volat amborum patrius de pectore cycnus.
at tibi collectas solvit iam fibula vestes
ostenditque umeros fortes spatiumque superbi
pectoris Herculeis aequum, Meleagre, lacertis.
hic numerosa phalanx, proles Cyllenia: certus
Aethalides subitas nervo redeunte sagittas

---

in Ruf. II, 225; Prud. hamart. 776; etiam apud Livium legitur, vid. Kuehner. gramm. lat. II § 119 ann. 10.

sonipes pro equo apud poetas inde a Catullo usitatum, imprimis apud Silium et Corippum.

niveo de stamine portat si coniunguntur, stamen statuendum est dictum esse pro opere texto, et tam apte ad naturam pictos acu esse equos, ut quasi ex opere exsilire videantur; sed cum haec interpretatio paullo artificiosior videatur et Dioscuris albi equi tribuantur (λευκόπωλοι Pind. Pyth. I, 126; Ov. met. VIII, 373), praestare videtur, *niveo de stamine* cum voce *sonipes* coniungere et interpretari equum de niveis filis acu expressum.

432. *patrius — cycnus*; sequitur hoc loco Valerius eam fabulam, qua uterque Iovis filius esse tradebatur, cfr. hymn. homer. XVII, 2; Eurip. Or. 1689; schol. Pind. Nem. X, 150; Prelleri myth. graec. II³, 92.

433. *solvendi* notionem fibulae tribuit Valerius etiamque audacius dicit hanc fibulam umeros ostendisse; sed rursus hoc breviloquentiae studio factum est: remota fibula vestes solvuntur et umeri ostenduntur; itaque sane etiam fibula quasi quasdam partes habet in umeris ostendendis, cfr. Reisig. schol. § 183.

434. Verg. Aen. V, 376 *ostenditque umeros latos.*

435. Et Meleagri et Herculis robur pariter hoc loco praedicatur: vel hoc magnum est, quod pectus Meleagri aequat spatium tororum Herculis.

436. De his tribus Mercurii filiis cfr. Apoll. I, 51 seqq. *Eurytus* ab Apoll. et Pind. Pyth. IV, 319 Erytus nominatur, Eurytus apud Hyg. fab. 14 et Apollod. I, 9, 16, 8; diversus est ab Euryto patre Clytii et Iphiti Argonautarum Apoll. I, 88. Mater *Aethalidis* est Eupolemia Hyg. fab. 14; Apoll. I, 55; *Echionis* et *Euryti* mater Antianeira Apoll. I, 56; Hyg. l. l.

437. *subitae* sunt sagittae, quas mittit non diu collineans; nervus autem redit in eum statum, unde manu sagittarii adductus erat; de *certus* adiectivo cfr. ad 366; *sagittas cogere* praeter consuetudinem

Digitized by Google

cogere; tu medios gladio bonus ire per hostes,
Euryte; nec patrio Minyis ignobilis usu,
nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.
sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis
heu cinerem Scythica te maesta relinquet harena
cessantemque tuum lugebit in ordine remum.
te quoque dant campi tanto pastore Pheraei
felices, Admete; tuis nam pendit in arvis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.

---

dictum: cogere ut certo cursu avolent; quodam modo similis est locus Silii VIII, 381 *per squalida turbidus arva cogit aquas Ufens.* Mira de hoc Aethalide narrat Apoll. I, 640 seqq., ubi cfr. etiam schol. et 'somnia Pythagorea' narrata a Diogene Laertio VIII, 1, 4.

441. *Iphim* non commemoravit Apollonius, sed teste schol. Apoll. IV, 223 et 228 Dionysius Milesius, qui in pugna contra Aeetam commissa eum cecidisse narraverat; ex Dionysio sua hausit Diod. IV, 48, ubi quod falso traditur in codicibus Ἴφιτον Εὐρυσθέως Wesseling recte mutavit in Ἴφιν τὸν Εὐρυσθέως. Mortem Iphis Valerius non narravit, sed tanquam praeteriens commemoravit VII, 423, ibi autem indicat, Iphim cecidisse pugnantem pro Aeeta contra eius fratrem Persen.

442. *celerem* Vat.; *cinerem* Thilo.

443. *tuo — in ordine* Vat.: sed ordo non idem significat atque locus aliudque est quod dicit Val. 387 *Herculeo consurgit ab ordine Tydeus* i. e. ab eo ordine, quem Hercules ducit; recte Baehrens *tuom.*

445. *pendere* absolute positum pro eo quod est *poenas pendere* exemplo caret, quare recte mihi Thilo proleg. p. 86 verba quae sequuntur *ingrato Steropen quod fuderat arcu* obiectum esse interpretatus videtur coll. IV, 477 seq. *nec credite culpam saevitiae scelerumve mihi nunc crimina pendi*; cfr. praeterea Verg. Aen. II, 229 *scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt*; Prud. c. Symm. II, 209 *rependat crimina.*

446. Sequitur Valerius eam fabulam, qua narrabatur, Steropen unum ex Cyclopibus, qui Iovi fulmina fabricarentur, ab Apolline arcu occisum, sive quod Phaeton sive Aesculapius fulminis ictu periisset; cfr. Prelleri myth. graec. I⁴, 287 annot. *ingratus* dicitur arcus Iovis ratione habita.

Digitized by Google

a quotiens famulo notis soror obvia silvis
flevit, ubi Ossaeae captaret frigora quercus
perderet et pingui miseros Boebeide crines.
insurgit transtris et remo Nerea versat
Canthus, in Aeaeo volvet quem barbara cuspis
pulvere; at interea clari decus adiacet orbis,
quem genitor gestabat Abas; secat aurea fluctu

448. Coniunctivi *captaret* et *perderet* positi sunt ad repetitam actionem indicandam, cfr. Liv. I, 32, 13 *ubi id dixisset* (fetialis), *hastam in fines eorum emittebat* ibique Weissenbornii adn.

captaret frigora ut Verg. eclog. I, 52; II, 8; Stat. silv. IV, 4, 16.

449. *Boebeis* est lacus iuxta oppidum Boeben in Thessalia sitam: Βοιβηὶς λίμνη iam ab Homero commemoratur Il. II, 711 seq., cuius aqua limosa lavando crines divinos Apollo foedavit; inde crines *miseri* dicuntur. *pinguis* aqua est limo turbata, simili non prorsus eadem notione Nilum *pinguem* dicit Verg. Aen. IX, 30. cfr. Val. VIII, 247, ubi aura *pinguis* dicitur i. e. turbata fumo. Recte igitur in editionibus antiquis *perderet* scriptum est pro *penderet*, quod habet Vat.

Ante oculos obversati sunt Valerio versus Tibulli II, 3, 17 seq. *O quotiens illo vitulam gestante per agros Dicitur occurrens erubuisse soror* et 23 seqq. *Saepe horrere sacros doluit Latona capillos Quos admiratast ipsa noverca prius; Quisquis inornatumque caput crinesque solutos Aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.*

450. *Nereus* nota figura pro mari, ut Ov. met. I, 187; Lucan. II, 713 al.

451. *Canthi* mors narratur VI, 317 seqq.; sed discessit Valerius ab Apollonio, qui eum in Libya periisse tradidit IV, 1483 et I, 81, quocum consentit Hyg. fab. 14.

451. *volvet* i. e. prosternet, Verg. Aen. XII, 329; *in pulvere* autem quod dicit poeta pro eo quod exspectamus *in pulverem*, notio campi pulverulenti huic substantivo hoc loco subesse videtur ut VII, 645; Verg. Aen. VII, 163; Ov. fast. II, 360.

453. Canthi pater Valerio est *Abas*, apud Apollonium I, 77 Abas est pater Canethi et eius filius Canthus.

secat aurea — tegmina — Euripus; ut navis secat superficiem undarum, ita hoc loco Euripus effictus dicitur secare auratam clipei superficiem.

Digitized by Google

tegmina Chalcidicas fugiens Euripus harenas,
celsaque semiferum contorquens frena luporum
surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geraesto.
et tibi Palladia pinu, Polypheme, revecto
ante urbem ardentis restat deprendere patris
reliquias, multum famulis pia iusta moratis,
si venias. breviore petit iam caerula remo
occupat et longe sua transtra novissimus Idas.
at frater magnos Lynceus servatur in usus,

454. *Chalcidicas fugiens Euripus harenas*; fluctus maris ferebantur in Euripo a Chalcide et littore Euboico Aulidem versus, vid. Luc. V, 235 *Euripusque trahit cursum mutantibus undis Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulin*; saepius rapidi Euripi fluctus commemorantur, ut apud Silium XIV, 143 *Euboici non — Euripi magis unda furit*; cfr. Pomp. Mel. II, 7, 9.

455. *contorquere frena* sine exemplo est, *concutere lora* dicit Verg. Aen. V, 146; *celsa*, dicuntur, quia Neptunus in curru celsus stans ea tenet et etiam colla luporum, quibus apta sunt, super aquam eminent; lupos hoc loco Valerius equis marinis substituit.

456. *surgis — medius*; vix dubitandum, quin in medio clipeo Neptunum effictum esse Valerius indicare voluerit, at non intellegitur, quomodo satis commode hoc fieri potuerit, cum surgeret ab Geraesto promontorio i. e. ab ultimis terminis Euboeae Neptunus. In Geraesto promontorio sacrum huius dei erat, Strab. X, 1, 7.

457. Etiam hoc loco poeta Romanus discedit ab Apollonio, qui I, 1240 seqq. narravit, Polyphemum cum Hercule in Mysia relictum esse (cfr. Hyg. fab. 14), cum Valerius, ubi idem exposuit de Hercule III, 565, Polyphemi mentionem non faciat; itaque sibi constitit, quod eum dixit Argone navi domum revectum esse.

458. *patris*, Elati Apoll. I, 41 (Ἐλατίδης) et Hyg. fab. 14; ab aliis teste scholiasta Apoll. Neptunus Polyphemi pater dictus est.

460. Insolita ellipsi dictum *si venias* sc. exspectant si venias; *breviore remo*: paullo depressiore loco Idam in prora navis sedere apparet.

461. *longe* sc. sedens ab Hercule?

Digitized by Google

quem tulit Arene, possit qui rumpere terras
et Styga transmisso tacitam deprendere visu.
fluctibus e mediis terras dabit ille magistro
et dabit astra rati, cumque aethera Iuppiter umbra
perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.
quin et Cecropiae proles vacat Orithyiae,
temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
nec vero Odrysius transtris impenditur Orpheus

---

463. *quem tulit Arene*; Arene oppido oriundos fratres dicit Apollonius I, 152, Pherecydes teste scholiasta etiam matrem eorum Arenen fuisse tradiderat, alii autem aliud nomen ei indiderant; Hyg. fab. 14 habet Arenen. Ceterum poeta Alexandrinus ratione minime poetica de acie oculorum Lyncei haec dicit l. l.: Αυγκεὺς δὲ καὶ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο Ὄμμασιν εἰ ἐτεόνγε πέλει κλέος, ἀνέρα κεῖνον Ῥηιδίως καὶ νέρθε κατὰ χθονὸς αὐγάζεσθαι. De re cfr. Prelleri myth. gr. II³, 95.

rumpere terras i. e. visu terras quasi frangere, ut transpectum praebeant.

464. *deprendere visu*, similiter Stat. Ach. I, 518 de vate Calchante furoris divini pleno *nunc superum magnos deprendit in aethere coetus*; Claud. de bello Poll. 100 seqq. *procul arceat altus Iuppiter, ut delubra Numae sedemque Quirini Barbaries oculis saltem temerare profanis Possit et arcanam tanti deprendere regni.*

465. *terras dabit*; monstrat Lynceus terras, antequam quisquam alius eas conspicere possit et astra videt, quamquam caelum nubibus obtectum est. Non prorsus eadem notione scriptum est III, 484: *quosque dabat densa trabe Mysia montes*, vel verbum dandi Ov. met. XIII, 221 (cur non) *dat, quod vaga tarba sequatur.*

466. *aethera — perdiderit* sc. splendorem aetheris, sic 449 *crines;* Burmann confert Stat. Theb. XII, 692 *pulvere crasso — Tyrios iuga perdere montes Aspicit.*

468. Hic versus solus est, qui spondeum habet in quinto pede, at propter nomen proprium Graecum facile excusatur.

Zetes Calaisque filii Boreae et Orithyiae notissimi.

469. *ceruchi* sunt rudentes alligati ad cornua antennarum, quibus vela tenentur.

Digitized by Google

aut pontum remo subigit, sed carmine tonsas
ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.
donat et Iphiclo pelagus iuvenumque labores
Aesonides, fessum Phylace quem miserat aevo,
non iam operum in partem, monitus sed tradat ut acres
magnorumque viros qui laudibus urat avorum.
Arge, tuae tibi cura ratis, te moenia doctum
Thespia Palladio dant munere; sors tibi, nequa
parte trahat tacitum puppis mare fissaque fluctu

---

471. *pontum remo subigit* similiter dictum ut *vomere terram subigere* Ov. met. XI, 31.

472. *pugnent* i. e. inter se collidant; *ne* postpositum, ut II, 3; V, 401; VI, 436; VII, 81; 183.

473. *Iphiclus* alter, avunculus Iasonis, frater Alcimedes Apoll. I, 45 seqq; Hom. Il. XIII, 698; eum celeritate pedum clarum fuisse docet schol. Apoll. *Phylace* oppidum Thessaliae a Phylaco patre Iphicli conditum, Hom. Il. II, 695; 705. *donat labores* i. e. remittit, cfr. Sedul. pasch. c. IV, 246 *clemens donat sententia culpam*; Suet. Calig. 40 *donasse negotium.*

474. *fessum aevo*, ut VI, 444 et Verg. Aen. II, 496 *aetate*; Ov. met. VII, 163 et XIII, 66 *senilibus annis*; IX, 439 *annis*; Lucan. III. 729 *senecta.*

475. Nestoris Homerici exemplum hoc loco poetae animo obversatum est; sane officio a Valerio commemorato Iphiclum postea functum esse nusquam invenimus.

476. *viros qui laudibus urat avorum*; plerumque ita urendi verbo utuntur scriptores in malam partem pro eo quod est vexare, cura dolore ira vel aliqua alia cupiditate nimia afficere, sic Val. ipse III, 736; V, 528; aliquo modo similis huic versui est I, 76; cfr. etiam Sil. XVI, 513; XVII, 294 *decorisque urebat pectora flammis.*

478. *moenia Thespia*; cfr. ad I, 93.

479. *tacitum — mare*; quod tacet vel tacetur, non auditur ideoque non cognoscitur, manet occultum, itaque nihil insoliti habet velut *tacitum vulnus*, quod tacetur, celatur Verg. Aen. IV, 79 vel *tacita ira* Ov. met. VI, 623 vel *tacita formido* Val. II, 267 vel *taciti doli* I, 64; sed Valerius hoc loco hanc occulti notionem tribuit rei, ad quam propria tacendi notio non pertineat, sed potius videndi.

Digitized by Google

vel pice vel molli conducere vulnera cera.
pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro
Hagniades, felix stellis qui segnibus usum
et dedit aequoreos caelo duce tendere cursus.

Quamquam forsitan quispiam cogitet de murmure aquae non audito, at etiam multo audacius catenae, quibus Mars et Venus a Vulcano illigati sunt, *tacitae* nominantur II, 100 i. e. quae (ne a deis quidem) conspici non poterant, vide Hom. Od. VIII, 280.

mare positum est pro aqua marina ut III. 474; Sen. Agam. 408a; Man. V, 610; Sil. XIV, 541; 550; Hor. sat. II, 8, 15.

fessa Vat., sed *fessa vulnera* insanum est; *fissa* ed. Ald., quod quamquam sine exemplo est, tamen verum videtur: sunt vulnera findendo facta, sic *fixum vulnus* Avian. XX, 4 figendo factum et *configere v.* Coripp. Ioh. IV, 574.

480. *vulnera* de rebus laesis saepe poetae dicunt, velut Verg. Aen. II, 631 de arbore quae caeditur, vel Ov. ex Pont. IV, 7, 38 de scuto quod percutitur; sic *cicatrix* de veste sarta, ut Iuv. sat. III, 151.

conducere vulnera; similiter Ov. met. IV, 375 *si quis conducat cortice ramos* e. q. s.; saepius *coire vulnera* dicuntur, velut Prop. III. 24, 18; Ov. tr. IV, 4, 41; V, 2, 9; ex Pont. I, 3, 88.

481. *pendebat ab astro*: imago ducta ab eo, qui ad loquentem conversus attente audiat, ut Verg. Aen. IV, 79 *pendetque iterum narrantis ab ore* vel Ov. her. I, 30 *narrantis coniux pendet ab ore viri*; Paul. vit. Mart. II, 647; IV, 365; huic loco similia sunt quae dicit Sil. VIII, 93 *ad vultus conversa tuos ab imagine pendet* et VII, 362 *quam multa adfixus caelo sub nocte serena fluctibus e mediis sulcator navita ponti Astra videt* e. q. s.

Arcadium astrum est ursa maior, in quam Callisto puella Arcadia mutata fertur; de re cfr. ad v. 17.

482. *Hagniades*: Apoll. I, 105; Apollod. I, 9, 16, 7; apud Hyg. fab. 14 est filius Phorbantis.

felix activa significatione scriptum est de eo, qui beneficio laetitia hominem afficit, ut Verg. eclog. V, 65 *sis f. tuis*; Aen. III ,120 *Zephyri f.*; Ov. her. XIX, 237 *malum*; met. XIII, 319 *sententia*; Mart. I, 49, 8 *Pomona*. segnes ursae stellae dicuntur, quia brevissimum spatium in caelo conficiunt vixque moveri videntur.

Digitized by Google

Ecce per obliqui rapidum compendia montis
ductor ovans laetusque dolis agnoscit Acastum
horrentem iaculis et parmae luce coruscum.
ille ubi se mediae per scuta virosque carinae
intulit, ardenti Aesonides retinacula ferro
abscidit, haut aliter saltus vastataque pernix

---

484. *rapidum* i. e. celeriter se moventem, currentem saepissime legitur; id hoc loco notabile est, quod adiectivum quasi verbum cum *per* praepositione coniungitur.

compendia montis Ov. met. III, 234.

485. *avens* Vat., *ovans* Heins., quod hic necessarium videtur propter adiectivum *laetus*; accedit imitatio Corippi Ioh. IV, 1047 *ductor ovans*. Apud Apollonium I, 323 praeter Acastum etiam Argus invito Pelia expeditionis particeps est. Nihil ad rem faciunt, quae schol. Apoll. I, 224 de Acasto narrat.

486. *horrentem iaculis*; *horridus in iaculis* dixit Verg. Aen. V, 37, sed *hastilibus horrent* Ov. met. VIII, 285; *horrentia pilis agmina* Hor. sat. II, 1, 13; *pubes horrebat telis* Sil. VIII, 570.

parmae luce coruscum, cfr. VI, 517; Verg. Aen. II, 470; IX, 161; Stat. Theb. IV, 9; Orest. trag. 713; Coripp. Ioh. IV, 475; apud posterioris aevi poetas interdum etiam tum hoc adiectivum legitur, si de armis nulla fit mentio: Mart. X, 6, 1 *dux*; Claud. in Ruf. I, 373 *frater*, ubi sane armati homines cogitantur; sed maxime amavit hoc verbum Venantius Fortunatus, qui etiam virgines et mulieres coruscas nominat sc. formae pulchritudine, vit. Mart. III, 506; carm. VI, 3, 1; VII, I, 31; VIII, 3, 25; 4, 22.

488. De re cfr. Verg. Aen. IV, 580.

489. Rara ellipsi verbum omissum est vel *agit* (sc. venator) vel *agitur*; similia certe sunt exempla rarioris ellipsis haec apud Valerium: I, 137 *contra ignis* (conspicitur); 394 *hinc* (sequitur); II, 353 *unde Haemoniae molem ratis* (habeant, sibi paraverint, acceperint); 431 *tunc tenuis Lemnos* (facta est); 475 *morbi* 477 *fragor* 525 *fremitus insania pudor* III, 576 *pallor* 577 *rigor* 665 *monstra* VI, 184 *obitus* VII, 629 *clamorque tubaeque* (oriuntur, oritur vel simile quid); III, 525 *summo palla genu* (desinit); IV, 217 *fuga nulla* (datur); VI, 320 *nec longa dies* (tibi data); IV, 637 *rupes Cyaneae* (animis obversantur); VII, 30 *aurea si iam pellis* (adsit); 507 *si quid tu saevius* (habeas).

venator cum lustra fugit dominoque timentem
urguet equum, teneras compressus pectore tigres,
quas astu rapuit pavido, dum saeva relictis
mater in adverso catulis venatur Amano.
it pariter propulsa ratis, stant litore matres
claraque vela oculis percussaque sole secuntur
scuta virum, donec iam celsior arbore pontus
immensusque ratem spectantibus abstulit aer.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
coepta tuens tantamque operis consurgere molem

---

490. *domino timere* equum eleganter et poetice dicit Val. neque quidquam mutandum.

491. De participio *compressus* cfr. cap. III praefationis.

494. *ut* Vat.; *it* Eyssenhardt.

De discessu heroum, qui his versibus narratur, cfr. Ov. her. XIII, 15 seqq.; Stat. silv. III, 2, 78 seqq.; Ach. II, 309 seqq.

495. *percussaque sole — scuta* ut Ov. met. VI, 63 *percussus solibus arcus*; Apoll. I, 544 στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰούσης τεύχεα.

496. *arbor* intellegenda malus navis, ut Iuv. sat. XII, 32; Lucan. IX, 332; Sil. III, 129; Ov. met. XI, 476; 551.

498. Tota narratio quae iam sequitur inde ab hoc versu ad exitum libri de ira deorum navem in mari conspicientium, de gravi tempestate coorta, denique de morte Aesonis et Alcimedes ipse Valerius inseruit, non habet Apollonius. Apud Avienum mare miratur Argonautas intrantes orb. 253 seq.

siderea arx sedes deorum vocatur etiam Ov. am. III, 10, 21; *siderea sedes* Verg. Aen. X, 3; Ov. artis II, 39.

499 *tantamque operis — molem* commutatione casuum dictum est pro opere tantae molis ut II, 245 *durent Latiis modo saecula fastis* i. e. durent fasti saeculis; III, 623 *variant—pectora curis* i. e. variant curae in pectoribus; VII, 509 *meritis periuria poenis despondet* i. e. periuriis poenas despondet; Sil. VII, 340 *somno noctes aequare* i. e. noctibus somnum.

consurgere id quod initium capere, incipi, ut Verg. Aen. VIII, 637; Ov. her. XV, 247; saepius legitur sic usurpatum simplex verbum surgendi: IV, 455; V, 221; VI, 419; Verg. Aen. XII, 313; Ov. am. I, 1, 27; fast. IV, 830; V, 111.

Digitized by Google

laetatur; patrii neque enim probat otia regni.
una omnes gaudent superi venturaque mundo
tempora quaeque vias cernunt sibi crescere Parcae.
sed non et Scythici genitor discrimine nati
intrepidus tales fundit Sol pectore voces:
'summe sator, cui nostra dies volventibus annis

A *tuens* participio pendet accusativus *coepta* et accusativus c. inf. *consurgere molem*, cfr. V, 580; VI, 501.

500. *otia regni* Saturni saepe a poetis illustrari et laudari notum est, velut Verg. georg. I, 125 seqq.; II, 536; Tib. I, 3, 35 seqq.; Ov. met. I, 100 seqq.; am. III, 8, 35 seqq.; Hes. ἔργα 109 seqq. al.

501 et 502 gravi vulnere laborant neque probabilis est Burmanni explicatio, qui ita verba coniungenda esse putat: omnes superi gaudent et Parcae, quae cernunt ventura mundo tempora et vias sibi crescere, neque ulla coniecturarum adhuc prolatarum satisfacit. Etenim non solum ad constructionem, sed etiam ad sententiam explendam nonnulla desunt. Superi enim non gaudent, quod mortis genera hominibus iam crescent, id vero solae Parcae faciunt, immo gaudent cum Iove tam fortia iam facta hominum futura esse post hanc pulcherrimam expeditionem; accedit quod substantivum *tempora* sic simpliciter positum sana sententia caret, nisi forte ante Argonautas mundum tempora non habuisse Valerius putavit; post *tempora* igitur tale quid excidisse puto (tempora) *laetantur praestantum laude virorum, Iam letique vias cernunt* e. q. s.; de hac ultima sententia cfr. Lucan. III, 195.

503. *Scythicus natus* i. e. Aeetes iam apud Hom. Od. X, 136; *genitor* appositum ad *Sol* a suo substantivo compluribus verbis interpositis divellitur ut III, 604 *ipse — ductor*; V, 35 *Aesonius — ductor*; VI, 429 *Iuno — regina*.

505. *nostra dies* cum audacia quadam dictum; quamquam enim saepe apud poetas dies lucem diei splendore solis effectam significat, tamen hoc loco diem ita explicare non licet, quia lux diei vices non peragit aut reficit, sed ipsa est una ex his vicibus: immo hoc loco dies pro ipso solis orbe positus est, et simili ratione videntur intellegenda esse VII, 229 *patriam inde vocato, qua redit itque dies*; Ov. fast. V, 547 seq. *quid solito citius liquido iubar aequore tollit candida Lucifero praeveniente dies*; Stat. Ach. II, 288 *exuit implicitum*

Digitized by Google

tot peragit reficitque vices, tuane ista voluntas?
Graiaque nunc undis duce te nutuque secundo
it ratis? an meritos fas est mihi rumpere questus?
hoc metuens et nequa foret manus invida nato,
non mediae telluris opes, non improba legi
divitis arva plagae (teneant uberrima Teucer
et Libys et vestri Pelopis domus): horrida saevo

---

tenebris humentibus orbem Oceano prolata dies; Manil. II, 829 *dies— tempus discribit in horas*; Calp. eclog. IV, 4 *levatque diem vicini spiritus amnis*; Claud. de rapt. Pros. I, 276 *merserat unda diem*.

volventibus annis: Verg. Aen. I, 234 (περιπλομένων ἐνιαυτῶν).

508. *rumpere questus* sc. e pectore, ut dicit Petron. 124, 282 *erumpit pectore voces*. Sic *vocem* rumpere legitur apud Verg. Aen. II, 129; III, 246; XI, 377; Sil. VIII, 299; Stat. Theb. VI, 136; XI, 676; Claud. de bell. Gild. 235; Iuvenc. IV, 366; *questus* Val. IV, 42; Verg. Aen. IV, 553; Claud. de raptu Pros. II, 249; *sibila* Sil. I, 95; *querelas* Sil. III, 558; Mar. Vict. Aleth. III, 215; Luc. VIII, 87; *gemitum* Sil. IV, 456; *convicia* Gratt. cyn. 188; *suspiria* Orest. trag. 523; *gemitus* Coripp. Ioh. VII (VI) 198; VIII (VII) 331; *loquelam* 547.

508. *et mihi* Vat.; quod corruptum puto, cum nemo alius apud Iovem questus sit; *est mihi* recte scripsit cum editionibus antiquis Schenkl.

509. *nequa foret manus invida nato* cum eleganti brevitate dictum pro eo quod est, nequis propter invidiam manum et vim inferret nato.

improba — arva; improbae omnes res a poetis dicuntur, quae modum excedunt, etiam sine ulla vituperationis notione; igitur hoc loco fere idem atque immensa; idem legitur II, 630; *tegmina i.* VI, 702; *Fama* V, 82; *labor* Verg. georg. I, 146; *divitiae* Hor. c. III, 24, 62; *spes veri* Luc. V, 130; *somnus* Mart. XII, 18, 13; *frigora* Stat. silv. I, 3, 7; *flos* II, 1, 107; *sol* I, 5, 46; Ach. II, 268 *i. felix, nosterque redi — nimis improba posco* i. e. nimia sunt quae posco; Theb. VI, 839 *hominem super improbus* (sc. magnitudine immensa) *exit*; Sil. XIV, 508 *spatia improba campi*, similiaque aliis locis non pauca; quin etiam magnam virtutem *improbam* dixerunt Stat. Theb. IV, 319 et Coripp. Ioh. IV, 711 (nam I, 39 sententia alia est).

512. *vestri Pelopis*, quia aliquamdiu puer in Olympo inter deos versatus erat; Prelleri myth. graec. II³, 384.

Digitized by Google

quae premis arva gelu strictosque insedimus amnes.
cederet his etiam et sese sine honore referret
ulterius, sed nube rigens ac nescia rerum
stat super et nostros iam zona reverberat ignes.
quid regio immanis, quid barbarus amnibus ullis
Phasis et adversis proles mea gentibus obstat?
quid Minyae meruere queri? num vellere Graio
vi potitur? profugo quin agmina iungere Phrixo

513. *quae premis arva*, cfr. Hor. c. I, 22, 19: *quod latus mundi nebulae malusque Iuppiter urget.*

514. *cederet his etiam*; *etiam* coniunctio sequitur vocem, ad quam pertinet, ut II, 222; IV, 295; 397; 559; V, 645; VI, 373.

515. *regum* Vat.; *rerum* probabilis coniectura in codd. interpolatis; eadem corruptela invenitur v. 725; ideo zona rerum nescia nominatur, quia ibi neque herba aut arbor neque animalia neque homines reperiuntur; cfr. Lucan. IV, 106 seqq. *quam* (partem imam) *zona nivalis Perpetuaeque premunt hiemes: non sidera caelo Ulla videt, sterili non quidquam frigore gignit.* Ceterum *nescia veris* cum Schradero Schenkl et Baehrens, sed *rerum* horrorem magis auget; non improbabilis est coniectura Landstroemi emend. p. 25 *nescia frugum.*

516. *standi* verbum indicat horrorem et rigorem glacialem zonae frigidae.

518. *adversis gentibus* i. e. quasi ad pugnam paratis.

519. Non insolita est coniunctio merendi verbi cum infinitivo, cfr. V, 223; Ov. her. XIX, 95; trist. V, 10, 49; 50; V, 11, 16; Arator. act. apost. I, 72 et saepius apud Corippum; sed id praeter consuetudinem est, quod dicit Valerius *quid meruere queri* i. e. quod ius adepti sunt querendi vel quid merito queruntur? Omnibus ceteris locis, ubi merendi verbum cum infinitivo coniungitur, est passivus vel certe passiva notio, *carere* i. e. privatum esse, *perdere* i. e. privari, etiam in prosa oratione (Tac. ann. XV, 67; Vell. I, 5, 1; Flor. I, 33, 10); hoc autem loco infinitivus activam habet significationem et indicat ipsam actionem subiecti; aliquo modo similis est locus Plaut. Men. 1100 *promeruisti ut ne quid ores, quod velis quin impetres*, quamquam ibi quoque scriptoris animo non tam obversatur actio promerentis, qui oret, quam alterius, qui dat: 'promeruisti ut omnia, quae velis, tibi concedam'.

Digitized by Google

abnuit Inoas ultor nec venit ad aras,
imperii sed parte virum nataeque moratus
coniugio videt e Graia nunc stirpe nepotes
et generi vocat adiunctas sibi sanguine terras.
flecte ratem motusque, pater, nec vulnere nostro
aequora pande viris: veteris sat conscia luctus
silva Padi et viso flentes genitore sorores.'
adfremit his quassatque caput qui vellera dono
bellipotens sibi fixa videt, temptataque contra
Pallas et amborum gemuit Saturnia questus.

521. De *nec* particulae collocatione cfr. ad v. 261.

524. *et generos vocat et iunctas* corrupta Vat. scriptura, quam defendere non licet loco Verg. Aen. XII, 657 seqq.; *en teneros* Baehrens, sed nec *en* illud placet nec nepotes Aeetae iam adulti recte teneri dicuntur; *genero vocat has* Schenkl, quod non probandum videtur, quia aut *genero* aut *sanguine* supervacaneum est; recepi Thilonis coniecturam in adnotationibus prolatam.

terras, audiendum *Graias* ex eis, quae antecedunt.

525. *ratem motusque* i. e. ratis motum, cursum.

vulnere nostro, cfr. ad 158.

526. *sat conscia — silva* i. e. satis mihi est consciam esse silvam; poetice silvae conscientia tribuitur; cfr. III, 584 *pavet omnis conscia late silva* et IV, 356 *antraque deprensae tremuerunt conscia culpae*; indicare poetam exitium Phaetontis non opus est dicere.

528. *adfremit his*, fremendo assentitur, ut *adnuere* nuendo ass.

530. *gemuit* ponitur pro plurali gemuerunt, cfr. ad 136, de collocatione verborum cfr. I, 483 *et dedit*; VII, 426 *per quae discrimina rursus et reddat qua lege.*

Iamdiu dubitatum est, utrum *temptataque* ad ea quae antecedunt an ad ea quae sequuntur referendum sit; qui illud probaverunt, nituntur eo, quod non nunc demum videt Mars vellera sibi dono fixa, sed nunc temptata, petita a Graiis; quod si probamus, valde incommoda est particula *que;* accedit quod Valerius in universum vitavit novam sententiam ab ultimo pede incipere, eiusmodi quattuor tantum loci reperiuntur: IV, 35 et 469; tum VIII, 73 et 268; nam I, 436 inde ab adiectivo *certus* nihil novi incipit, sed eis quae sequuntur explicatur, quae sit illa proles Cyllenia. Itaque melius videtur *temp-*

Digitized by Google

Tum genitor 'vetera haec nobis et condita pergunt
ordine cuncta suo rerumque a principe cursu
fixa manent; neque enim terris tum sanguis in ullis
noster erat, cum fata darem, iustique facultas
hinc mihi, cum varios struerem per saecula reges.
atque ego curarum repetam decreta mearum.
iam pridem regio, quae virginis aequor ad Helles
et Tanai tenus immenso descendit ab Euro,

---

tataque coniungere cum eis quae sequuntur, ut sit 'provocata offensa', videndi autem verbum fere idem significat atque respicere, ante oculos habere.

531. *vetera — et condita* i. e. diu constituta; cfr. Verg. Aen. X, 35 *nova condere fata*; Manil. I, 119 *fatorum conditus ordo*; III, 168 *qui conditus ordo est*; Lucan. VII, 132 *qui fatum rebus in aevum Conderet humanis.*

534. Notabilis hic locus, quia poeta Iovem tamquam summum fatorum arbitrum describit; *fata dare* ut Verg Aen. I, 382.

535. Quia nullus mihi, inquit Iuppiter, tum filius mortalis erat, cum omnia constituerem, facultas erat omnia iuste constituendi, recte igitur emendatum *hinc* a Balbo, *cum* a Pio; *hic* et *cur* Vat. Singulari ratione dictum *cum — struerem — reges*, neque prorsus similes sunt loci, quos confert Burmann III, 586 *quid struat Alcides*; 617 *struerem cum funera*; V, 451 *haec tum miracula Colchis struxerat*: res enim obiectum est, non persona; neque tamen scribendum *varias — leges*, qua coniectura Valerii sententia pervertitur, qua dicit Iuppiter se tum nondum filios habuisse, cum regna mundi constitueret, ideoque fieri non potuisse, ut cognatorum immerito ratione habita contra iustitiam reges constitueret.

536. Expressus ex Lucan. VIII, 279 *Ast ego curarum vobis arcana mearum Expromam.*

537. *virginis aequor ad Helles*; de collocatione praepositionis cfr. IV, 465; V, 590; VI, 24.

538. *Tanaim* Vat., quod non ausus sum servare, cum paucissima huius constructionis exempla reperiantur eaque ita comparata, ut lenissima emendatione sanari possint.

descendit sc. a continenti Asiae ad mare; *Eurus* id quod oriens, ut Claud. de laud. Stil. II, 417.

Digitized by Google

undat equis floretque viris, nec tollere contra
ulla pares animos nomenque capessere bellis
ausa manus; sic fata, locos sic ipse fovebam.
accelerat sed summa dies Asiamque labantem
linquimus et poscunt iam me sua tempora Grai.
inde meae quercus tripodesque animaeque parentum

---

539. *undat equis* idem quod *abundat*, ut III. 117 *undantes mensae*; Claudian. de raptu Pros. III. 25 *undaret neu silva favis*; de VI cons. Hon. 545 *undare videres ima viris*; Prud. c. Symm. II, 675 *undantesque meum in gremium defundere mortes*; facillime apud Claud. explicatur de undante multitudine, audacius scripserunt Valerius et Prudentius.

floret viris, Verg. Aen. VII, 644.

540. *nomen capessere* i. e. gloriam adipisci, ut *nomen gerere* Verg. Aen. II, 89.

541. *sic fata, locos sic ipse fovebam*; non recte explicatur 'fata locorum fovebam', cui sententiae obstat repetita particula *sic*; prorsus aliter comparatus est locus IV. 557 *fata locosque tibi — expediam*; Dureau ita verba interpretatur: 'sic fata fovebant locos, sic ipse fovebam', sed hoc non convenit cum eis quae antecedunt, ubi fatis non tribuitur singularis potestas, sed ab ipso Iove ea data esse dicitur. Cur non simpliciter explicemus 'et fata locorum et locos fovebam?'

542. *summa dies*; Verg. Aen. II. 324; Luc. VII. 195.

543. *poscunt — sua tempora Grai*; Liv. IV, 7, 6 *si Ardeates sua tempora expectare velint* e. q. s.

544. Valerius hoc loco sibi non constitit, cum antea solius Peliae iussu Iasonem ad expeditionem missum esse narravisset neque quidquam de oraculo Iovis aut Apollinis aut adeo de parentibus Argonautarum dixisset; at iterum oracula Iovis et Apollinis commemorantur III. 299 et Apollinis ibid. 618. Atque sane etiam talia tradebantur; cfr. myth. Vat. I. 25 *Iason cum responso Apollinis Colchos peteret ad rapiendum vellus aureum* e. q. s.; tum apud Apoll. I, 411 seqq. Iason his verbis Apollinem invocat: κλῦθι, ἄναξ, Παγασάς τε πόλιν τ' Αἰσωνίδα ναίων Ἡμετέροιο τοκῆος ἐπώνυμον, ὅς μοι ὑπέστης Πυθοῖ χρειομένῳ ἄνυσιν καὶ πείραθ' ὁδοῖο Σημανέειν, αὐτὸς γὰρ ἐπαίτιος ἔπλευ ἀέθλων, cfr. I, 208 seq.

Digitized by Google

hanc pelago misere manum. via facta per undas
perque hiemes, Bellona, tibi. nec vellera tantum
indignanda manent propiorque ex virgine rapta
ille dolor, sed (nulla magis sententia menti
fixa meae) veniet Phrygia iam pastor ab Ida,
qui gemitus irasque pares et mutua Grais
dona ferat. qua classe dehinc effusa procorum
bella, quot ad Troiam flentes hiberna Mycenas,
quot proceres natosque deum, quae robora cernes

545. *pelago* dativus est, cfr. illud Vergilianum *it clamor caelo* similiaque multa.

546. *vellera — indignanda manent*; quod de velleribus in fatis est, manet, non mutatur, cum brevitate dictum pro eo quod est raptus velleris indignandus manet.

547. *ex virgine rapta*, sc. Medea, ut recte explicat Burmann, neque debebat Wagner Carrionis errorem de Helena interpretantis repetere. *Propior dolor*, quia ad neptem Solis pertinet.

548. Ante *sed* solet poni signum interruptae orationis, at etsi ita verba explicamus, nullo modo illud *nam* in v. 549 ferri potest, quo contra indicari debet, pergere Iovem in sententia incohata exponenda; recepi *iam* cum Aldina et Baehrente simul mutata interpunctione.

549. *fixa* participium cum dativo coniunctum ut Stat. silv. I, 2, 58 *nec cordi fixa voluntas*; saepius sic *haerendi* verbum construi notum, ut II, 408; III, 486; Ov. met. IV, 35; VIII, 144; Sil. XVII, 168 al.

550. *mutua dona* cum ironia dictum de caedibus mutuis, apte confert Heinsius Verg. Aen. X, 881 seq. *desine, nam venio moriturus et haec tibi porto Dona prius.*

551. Effunduntur classe cum militibus duces Graecorum, proci quondam Helenae, qui bellum ineunt; pro hac sententia audacter neque invenuste dicit *bella procorum classe effusa.*

552. *Mycenae* sueta metonymia scriptum pro militibus Mycenensibus, ut I, 19 et VII, 496 *Graecia* pro Graecis; I, 589 *flens Oenotria*; IV, 742 et V, 501 *furens Bebrycia*; III, 69 *declinant lumina Thebae*, VII, 237 *soporato — luco* i. e. dracone qui erat in luco; Verg. Aen. VIII, 705 seq. *omnis eo terrore Aegyptus et Indi Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei*; Ov. met. XIII, 246 *perfida Troia*; similiaque multa.

Digitized by Google

oppetere et magnis Asiam concedere fatis!
hinc Danaum de fine sedet gentesque fovebo
mox alias. pateant montes silvaeque lacusque
cunctaque claustra maris; spes et metus omnibus esto
arbiter. ipse locos terrenaque summa movendo
experiar, quaenam populis longissima cunctis
regna velim linquamque datas ubi certus habenas.'
tunc oculos Aegaea refert ad caerula robur
Herculeum Ledaeque tuens genus atque ita fatur:
'tendite in astra, viri: mea victo regia mundo

555. *hinc* i. e. inde ab eo tempore, quo Asia succubuit Graeciae; *sedet* id quod decretum est, ut II, 383; VII, 428; imprimis apud Verg., Aen. II, 660; IV, 15; V, 418; VII, 611; XI, 551; cfr. praeterea Sen. Phoen. 141. Stat. Theb. I, 324; II, 368; III, 459; Sil. II, 385; IV, 797; V, 121; XV, 352; Ap. Sid. IV, 336.

556. *mox* idem quod *deinde*, ut saepius apud scriptores argenteae quae dicitur aetatis.

In eis quae sequuntur, populi Romani imperium poetae ante oculos versari apparet, sed admodum scite dicit Iovem etiamtum incertum esse, cui potissimum populo imperium orbis terrarum stabile tradat, simulque indicat, hoc regnum sola virtute paratum iri, non favore et gratia Iovis.

In v. 556 enumerantur eae res, quae bellicis expeditionibus impedimento esse solent.

557. Iuppiter medius inter omnes erit gentes atque omnes et spe et metu in agendo ducentur, nulla confisa erit peculiari Iovis favore.

558. *locos terrenaque summa* est figura quae hendiadys dicitur: locos summae potestatis terrenae mutando experietur, qui populus dignum se praestet, cui stabile regnum tradat. Ad *summa* adiectivum, quod est pro substantivo, aliud adiectivum apponitur, ut infra 585 *latumque profundum*; II, 516 *Rhipaea per ardua*; III, 596 *longa avia*; 648 *haud ullis — superabilis aequis.*

559. *populis — cunctis* dativus significat eos, in quos regnum longissimum exerceri debeat; sententiam poetae non assecutus est Burmann.

561. *robur Herculeum* Homeri βίη Ἡρακληείη Od. XI, 601.

563. *tendite in astra* i. e. contendite ut inter deos recipiamini.

Digitized by Google

Iapeti post bella trucis Phlegraeque labores
imposita est: durum vobis iter et grave caeli
institui. sic ecce meus, sic orbe peracto
Liber et expertus terras remeavit Apollo.'
dixit et ingenti flammantem nubila sulco
direxit per inane facem, quae puppe propinqua
in bifidum discessit iter fratresque petivit
Tyndareos, placida et mediis in frontibus haesit
protinus amborum lumenque innoxia fundit
purpureum, miseris olim implorabile nautis.

Locus corruptus, qui certa emendatione adhuc eget; Vat. habet *me primum regia mundo — imposuit*; *mea* et *imposita est* Schenkl; *victo* ego.

564. *Iapetus* in bello deorum Olympiorum duce Iove contra Titanes gesto post Cronum primas inter Titanes partes egit. Hom. Il. VIII, 478 seq.

Phlegra campus in Pallene, Chersoneso Macedoniae, propter bellum Gigantum notus, cfr. Aesch. Eum. 295; Pind. Nem. I, 100; Prop. II, 1, 39; III, 9, 48; Stat. Ach. I, 484 seqq.

560. *grave iter* i. e. plenum gravibus laboribus et periculis, ut Ov. her. XVII, 34.

566. *orbe peracto* i. e. peragrato, cfr. v. 283.

567. *remeavit* ad solum spectat Apollinem et ad subiectum, quod est Liber, subaudiendum ex zeugmatis figura *venit*. Cogitavit sine dubio poeta de Apolline Admeto et Laomedonti serviente, minus probabiliter Wagner explicat etiam de Apolline sedem oraculo quaerente aut de eo, quod deus ad leniendum post Phaethontem interfectum dolorem Hyperboreos adiit.

569. *per inane* i. e. per vacuum aera, quod habet Verg. georg. III, 109; cfr. Ov. met. IV, 717; cum Valerio consentit Luc. I, 528.

571. De re cfr. quae Verg. Aen. II, 682 seqq. et 692 seqq. narravit, et de ope, quam Castor et Pollux nautis ferunt, notissimum locum Hor. c. I, 3, 2; 12, 27; Prelleri gr. myth. II^3, 105.

573. *implorabilis* ἅπαξ; adiectiva praeterea affert Gebbing in progr. Confluent. 1888 *aegisonus* III, 88; *lustrificus* III, 448; *arcipotens* V, 17; *saxifer* V, 608; *intemerandus* V, 641.

miseri nautae significanter dicuntur, quia, cum deorum opem implorant, gravi premuntur tempestate.

Digitized by Google

Interea medio saevus permissa profundo
carbasa Pangaea Boreas speculatus ab arce
continuo Aeoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
concitus. omne dei rapidis nemus ingemit alis,
strata Ceres, motuque niger sub praepete pontus.
aequore Trinacrio refugique a parte Pelori

575. *Boreae* sedes et domicilium est in Thracia, cuius mons est Pangaeus, unde immani et vehementi impetu erumpere et terras atque maria perflare Boream saepius poetae narrant; cfr. Val. II, 515 seqq.; Luc. I, 389 seqq.; Sil. IV, 244 seq. Optime hoc loco causam furoris affert poeta, sed id mirum, quod Boream in Thracia versari dicit, cum v. 284 secundum Vergilium insulam Aeoliam sedem omnino ventorum Aeolumque eorum regem nominet, sed magis etiam mirum, quod Boreas ipse infra v. 602 se carcere et vinclis clausum esse queritur; vide etiam v. 610.

576. *ad* praepositio alteri demum substantivo additur noto apud poetas usu, velut I, 716, ubi cfr. exempla ex aliis poetis allata; VIII, 375. Apud Valerium solas praepositiones, quae loci vim habeant, ita inveniri vidit Schmitz, de Val. dicendi genere p. 9.

578. *praepes* ut volucer et volandi verbum omnino de celerrimo motu dicitur, cfr. Sen. Phaedr. 1061 de monstro a Neptuno misso *praepeti cursu evolat*; Claud. in Ruf. I, 262 *volucris non praepete cursu Vectus equi*; hoc autem loco vel ideo aptum, quia Boreas volat.

niger pontus est ventis agitatus, ut Hor. c. III, 27, 23 *aequor n.*; Ov. met. XI, 500 (pontus) *Stygia modo nigrior unda*; trist. I, 4, 5 *nigrescunt aequora ventis*; eadem de causa Hor. sat. II, 2, 16 mare *atrum* dicit.

579. *refugum Pelorum* explicat Burmann his verbis: 'cum longe appareat, [et] navigantibus propior videtur quam re vera est ideoque cum credunt se paene tangere Pelorum, longo adhuc spatio distare et quasi refugere videtur'. Sed nihil causae video, cur hoc in Peloro potissimum promontorio fiat, atque prorsus aliter comparatus est locus, quem confert Burmann Verg. Aen. III, 536. Item improbanda Wagneri explicatio cogitantis de antiquissimo illo tempore, quo Pelorum a continenti Italia abscissum dicitur; de hac re vide ad v. 589. Verum ideo refugum Pelorum nominatur, quia navigantibus in Siciliam a Neapoli vel alio eius regionis portu, quando primum Pelorum aspiciunt, cum Italia cohaerere videtur, appropinquantibus autem ab Italia quasi refugit; vide Iust. IV, 1, 18 *ea est enim procul in-*

Digitized by Google

stat rupes horrenda fretis: quot in aethera surgit
molibus, infernas totidem demissa sub undas.
nec scopulos aut antra minor iuxta altera tellus
cernitur: illam Acamas habitat nudusque Pyragmon.
has nimbi ventique domos et naufraga servat
tempestas; hinc in terras latumque profundum
est iter, hinc olim soliti miscere polumque
infelixque fretum (neque enim tunc Aeolus illis
rector erat, Libya cum rumperet advena Calpen

---

spicientibus natura loci (freti Siculi), *ut sinum maris, non transitum putes, quo cum accesseris, discedere ac seiungi promontoria, quae antea iuncta fuerant, arbitrere*; cfr. etiam Lucret. IV, 395 seqq. et Verg. Aen. III, 411.

580. *rupes* haec est una ex insulis Vulcaniis vel Liparaeis. Vulcania a Vergilio Aen. VIII, 422 nominata, ubi Cyclopes Vulcani ministri in officina ferraria desudabant, cfr. Verg. Aen. VIII, 416 seqq.; Iuv. I, 8, qui Valerii locum videtur significare; XIII. 45; Theocr. II, 134; Strab. VI, 2, 10. Iuxta est insula Aeoli, de qua locuturus poeta insulam propinquam non minus formidolosam noluit silentio praeterire.

581. *totiens* Vat.; *totidem* edit. Iunt. et Ald. *infernae* undae contra consuetudinem dicuntur undae. quae sunt sub superficie maris; de sententia cfr. Verg. georg. II, 291; Aen. IV, 445; VI, 578.

582. *scopulos aut antra minor*, cfr. Iuv. VIII, 4 *umerosque minorem Corvinum*; Sil. III, 42 *frontemque minor nunc amnis Acarnan.*

583. *nudus Pyragmon* expressus ex Verg. Aen. VIII, 425; unde Acamantem ministrum Vulcani Valerius sumpserit nescitur. Verg. l. l. nominat praeter Pyracmonem Brontem et Steropem, ut etiam Claud. de cons. III Hon. 193 seqq.; Steropem et Pyracmona de raptu Pros. I, 240; Brontem Steropem Acmonidem Ov. fast. IV, 288; Brontem et Steropem et Argem Hes. Theog. 140; Apollod. I, 1, 2; Callim. hymn. in Dian. 68 et 75; Brontem et Steropem Stat. silv. I, 1. 4; III, 1, 131; solum Brontem silv. IV, 6. 48; Pyracmonem Theb. II, 599.

585. *latum profundum*; Stat. Theb. V, 283.

586. Verg. Aen. I, 133; 124.

588. De *Calpe* ab Africa avolsa cfr. II. 620; Lucan. IX, 415; Avien. orb. 103 seqq.; Senec. nat. quaest. VI, 29; Plin. nat. hist. VI, 1;

Digitized by Google

Oceanus, cum flens Siculos Oenotria fines
perderet et mediis intrarent montibus undae),
intonuit donec pavidis ex aethere ventis
omnipotens regemque dedit, quem iussa vereri
saeva cohors: in monte chalybs iterataque muris
saxa domant Euros. cum iam prohibere frementum
ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
ipse volens placatque data fera murmura porta.
nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto.

---

de *Sicilia* avolsa Verg. Aen. III, 414 seqq.; Ov. met. XV, 290; Luc. II, 435 seqq.; III, 60; Stat. Theb. III, 597; Claud. de r. Pros. I, 142 seqq. Sil. XIV, 11 seqq.; Iust. IV, 1, 1.

590. *mediis intrarent montibus undae*; intrandi verbum cum dativo coniungitur saepe apud Silium: VI, 498; VII, 464; IX, 289; XI, 470 (ubi recte codices *ponto* tradunt); XII, 435; XIII, 814; XIV, 550; apud Statium Theb. I, 255; at cum apud Valerium ceteris quidem locis omnibus ut apud superiores accusativus inveniatur: I, 186; II, 11; V, 191; 482; VII, 646, *mediis montibus* videtur pro ablativo absoluto interpretandum esse.

591. *pavidis* per prolepsin dictum.

593. *chalybs* intellegenda claustra ferrea; *saxa muris iterata* i. e. saxa cohibent ventos, sed iteratur vel duplicatur vis saxorum cohibens muris exstructis; iterandi verbi notio et usus latissime patet atque de omni actione dicitur, quae aliqua ratione repetitur: *aequor iterare* denuo navigare, *agros iterare* denuo arare, *verba iterare* denuo loqui, *lanam iterare* bis inficere, quin etiam *facta iterare* facta narrando iterum quasi ante oculos ponere. Ceterum in hac descriptione carceris ventorum et potentiae Aeoli multo inferior Valerius est Vergilio neque feliciter ei vehementiam ventorum nimis augenti res cessit, cum dixit regem ventorum tunc aditum refringere, cum eos cohibere iam nequeat: quanto melius Vergilius, apud quem venti impotentes frustra obnituntur claustris atque, nisi sua sponte vult vel iubetur eos emittere Aeolus, erumpere non possunt; cfr. etiam Hom. Od. X, 21 seq.; Ov. met. XI, 747 seq.

594. *prohibere—ora* pro eo quod est cohibere, ut Ov. met. III, 450 *exigua prohibemur aqua*; am. III, 8, 63 *me prohibet custos;* trist. II, 192 *Getaeque Danubii mediis vix prohibentur aquis.*

Digitized by Google

'Pangaea quod ab arce nefas' ait, 'Aeole, vidi!
Graia novam ferro molem commenta iuventus
pergit et ingenti gaudens domat aequora velo,
nec mihi libertas imis freta tollere harenis.
qualis eram nondum vinclis et carcere clausus!
hinc animi structaeque viris fiducia puppis,
quod Borean sub rege vident. da mergere Graios
insanamque ratem: nil me mea pignora tangunt,
tantum hominum compesce minas, dum litora iuxta
Thessala necdum aliae viderunt carbasa terrae.'

---

599. *novam ferro molem commenta*; comminiscendi verbum hoc loco duplicem continet notionem: cogitando novum aliquid invenire atque inventum efficere, similiter Suet Ner. c. 34 *solutilem navem, cuius vel naufragio vel camerae ruina periret, commentus est*; id hoc loco singulare, quod *ferro* ablativus ad solam alteram notionem quadrat, non ad utramque.

600. *pergit*, vid. ad. v. 31.

Pro *velo* temere Baehrens scripsit *bello*: domare aequora in sermone poetico nil est nisi navigare mare, velum autem aptissime Boreas commemorat, cum eo ventos secundos esse indicet, qua re Boream vel maxime irritatum esse consentaneum est.

602. Verg. Aen. I, 54.

604. *da mergere*; cfr. 675; IV, 431; 634; V, 515; 617; VII, 246; Verg. Aen. I, 79; 66; 319.

605. *In insana rate* interpretanda longe a vero aberravit Burmann; insanos dicit Boreas homines, qui primi navi mare intrare ausi sint; de hac enallage adiectivi cfr. ad v. 109; de sententia autem vide Sen. Med. 607 seqq., ubi chorus inter alia haec canit 614 seqq.: *exitu diro* (Iason) *temerata ponti iura piavit*; *Exigit poenas mare provocatum: Tiphys inprimis domitor profundi — litore externo procul a paternis occidens regnis tumuloque vili tectus ignotas iacet inter umbras.*

pectora Vat.; *pignora* ed. Bonon. et Ald. et recentiores; sunt Boreae filii Zetes et Calais, v. 468.

606. *tantum* c. imperativo coniunctum pro eo quod est *modo* praeter consuetudinem dictum.

iuxta adverbium pro adiectivo: dum propinqua sunt.

Digitized by Google

Dixerat. at cuncti fremere intus et aequora venti
poscere. tum validam contorto turbine portam
impulit Hippotades. fundunt se carcere laeti
Thraces equi Zephyrusque et nocti concolor alas
nimborum cum prole Notus crinemque procellis
hispidus et multa flavus caput Eurus harena;
induxere hiemem raucoque ad litora tractu
unanimi freta curva ferunt nec sola tridentis
regna movent; vasto pariter ruit igneus aether

---

609. *contortam* Vat.; *contorto* Lennep (vid. stud. Vindob. V, 140) et Thilo. *turbo* hoc loco est cardo, quo ianua vertitur, vel ut artis vocabulo utar, cardo masculus, qui cardini feminae immissus torquetur: nihil aliud igitur dicit Valerius quam Aeolum portam aperuisse, ut Verg. Aen. IX, 724 habet haec: *portam vi magna converso cardine torquet.* Adiectivum autem *validam* multo magis aptum ad portam quam ad cardinem, quare non probo, quod receperunt Schenkl et Baehrens *valido contortam turbine portam.*

610. *Hippotades* Aeolus Hippotae filius Hom. Od. X, 2; Apoll. Rhod. IV, 776; Serv. Verg. Aen. I, 56.

611. *equi* ventis tribuuntur propter celeritatem item atque alae; Wagner confert Hor. c. IV, 4, 43 *Eurus per Siculas equitavit undas* et Euripid. Phoeniss. 211 seq. Ζεφύρου — ἱππεύσαντος.

Enumerat Valerius quattuor ventos primarios a quattuor diversis mundi partibus flantes; multo simplicior est descriptio ventorum apud Verg. Aen. I. 85 seq.; cfr. descriptionem Noti Ov. met. I, 264 seqq.; Boreae VI, 703 seqq.

613. Verg. Aen. VII, 31 (Tiberinus) *multa flavus harena.*

615. *freta curva* sunt undae ventis sublatae ideoque curvatae, convexae; Verg. georg. IV, 361; Aen. III, 564; Ov. met. XI, 505; XV, 508 *cumulusque immanis aquarum In montis speciem curvari et crescere visus*; Luc. V, 459; Sil. I, 472; XV, 154; Stat. Theb. V, 374; XI, 437; Avien. orb. 296; κύμα κυρτόν apud Homerum Il. IV, 426; XIII, 796 vel κυρτωθέν Od. XI, 244.

616. *ruit igneus aether*; hoc sine dubio de fulmine dictum, quasi totus aether inflammatus in terram ruere videatur; moderatius Verg. Aen. I, 90; aliter comparati sunt loci georg. I, 324; Luc. II, 290.

Digitized by Google

cum tonitru piceoque premit nox omnia caelo.
excussi manibus remi conversaque frontem
puppis in oblicum resonos latus accipit ictus,
vela super tremulum subitus volitantia malum
turbo rapit. qui tum Minyis trepidantibus horror,
cum picei fulsere poli pavidamque coruscae
ante ratem cecidere faces, antemnaque laevo
prona dehiscentem cornu cum sustulit undam!
non hiemem missosque putant consurgere ventos
ignari, sed tale fretum. tum murmure maesto
'hoc erat, inlicitas temerare rudentibus undas
quod nostri timuere patres. vix litore puppem
solvimus, et quanto fremitu se sustulit Aegon!

617. *piceo—caelo* explico ablativum loci et *piceo* per prolepsin dictum.

618. Verg. Aen. IX, 474 *excussi manibus radii.*

619. Verg. Aen. I. 104 seq.; Luc. III, 628 *per obliquum crebros latus accipit ictus.*

resonus aut dicitur locus, qui aliquo strepitu resonat, ut *valles* Lucan. VII, 480; *ripae* Sil. VI, 285, aut de sonitu ipso qui repercutitur, ut *voces* Ov. met. III, 496; sed hoc loco sonus ictuum non repercutitur, verum percutiendo latere efficitur demum.

620. Lucan. V, 595 . . . (turbo rapax) *fragilemque super volitantia malum Vela tulit.*

622. *picei—poli* i. e. caelum atrum, cfr. Verg. Aen. I, 90.

623. In laevam partem cum navi inclinatur antemna tantopere, ut vel dehiscentes undas tangat et tum rursus assurgens aquam adhaerentem in aera tollat.

De collocatione *cum* coniunctionis cfr. I, 82; 181; 240; 291; II, 467; III, 163; IV, 45; 164; 281; 583; 607; VI, 140; VII, 648 al.; (*quia* III, 623).

625. Non tam imperitus hiemis apparuit Iason v. 197.

627. *hoc erat—quod* ut VIII, 160 expressum ex Verg. Aen. II, 664; de collocatione *quod* particulae cfr. praeterea I, 446; II, 398; IV, 754; V, 642; VII, 422.

illicitas temerare—undas, cfr. ad 605.

629. Aegonem pro mari Aegaeo ex Graeco sermone videtur

Digitized by Google

hocine Cyaneae concurrunt aequore cautes?
tristius an miseris superest mare? linquite, terrae,
spem pelagi sacrosque iterum seponite fluctus.'
haec iterant segni flentes occumbere leto.
magnanimus spectat pharetras et inutile robur
Amphitryoniades; miscent suprema paventes
verba alii iunguntque manus atque ora fatigant

Valerius sumpsisse, cfr. anthol. Pal. XI, 247, 3; idem habet IV, 715 et imitatus est Statius Theb. V, 56.

630. *Cyaneae—cautes* vel per se periculosissimae videbantur Argonautis, sed multo magis horrendae, si in tam concitato mari concurrerent.

631. *terrae* i. e. incolae terrae (continentis), ut Verg. Aen. VI, 869; Sen. Herc. fur. 250; Sil. III, 75; Claudian. in Eutrop. I. 157.

632. *seponite fluctus*; cfr. Sen. Med. 337 seqq. *iussitque* (Thessala pinus) *pati verbera pontum partemque metus fieri nostri mare sepositum*; Stat. Ach. I, 64 seq. *maiestatemque repostam* (freti) *rupit — puppis Pagasaea.*

633. *flendi* verbum cum accusativo cum infinitivo iunctum invenitur VII, 574 — *virgineis servari cantibus Idas Flebat*; Prop. I, 7, 18 *agmina septem Flebis in aeterno surda iacere situ*; Crescon. Coripp. Ioh. III, 444 *flevit tunc tristis arator Disiunctos fugiens hostes rapuisse iuvencos*; cfr. praeterea Dracont. de deo II, 536 *legem violari deflet Averni*; Paul. Nol. 35, 12 *tum dulci e pignore fructum Defleo in exiguo* (exiguum?) *temporis esse datum*; subiectum infinitivi omisit Valerius Graeco more, cfr. ad II, 10.

segne letum est imbelle hoc loco ut *segnia fata* Lucan. IX, 849; cfr. Liv. XL, 4: *capite ferrum aut haurite poculum, si segnior mors iuvat*; Sil. III, 351 *tellurem vertere aratro segne viris*; 508 *segnes submittere rupibus arma*; sic dicitur etiam Ov. met. VII, 544 *letum* (scriptura incerta, optimi cdd. habent *longo moriturus inerti*, deteriores *leto*, editur etiam *morbo) iners*; VIII, 518 et Sil. XIV, 607 *ignavum letum.*

634. *robur* est clava Herculea ut II, 534; Verg. Aen. VIII, 221; (georg. III, 420); Sen. Herc. fur. 1119; Stat. Theb. IV, 163; silv. III, 1, 35; IV, 6, 42; Pseudo-Claud. laud. Herc. 112. Non recte Wagner robur lacertorum intellegit.

635. *miscent suprema — verba*: inter se vale dicunt.

636. *ora fatigant* interpretes de osculis recte intellexisse docet totius loci sententia; nil opus coniecturis.

Digitized by Google

aspectu in misero toti, cum protinus alnus
solvitur et vasto puppis mare sorbet hiatu.
illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
nunc stridens Zephyris aufert Notus; undique fervent
aequora, cum subitus trifida Neptunus in hasta
caeruleum fundo caput extulit. 'hanc mihi Pallas
et soror hanc' inquit 'mulcens mea pectora fletu
abstulerint; veniant Phariae Tyriaeque carinae
permissumque putent. quotiens mox rapta videbo
vela Notis plenasque malis clamoribus undas!

---

637. *tota* Vat., *toti* Beck. 'ganz versunken, die Unglücklichen, in den Anblick, wie sie von einander Abschied nehmen'. Hor. sat. I. 9, 2 *nescio quid meditans nugarum, totus in illis*; Terent. Ad. 589 *Ctesipho autem in amore est totus*; Ov. met. VI, 586 et XIII, 546 *poenaeque in imagine tota est*; fast. VI, 251 *in prece totus eram.*

638. Iam in eo periculo navis versatur, ut naufragio pereat, cum Neptunus apparet, qui quassatam et iam fractam navem opera Thetidis et Nerei servat rimasque resarcit, quod brevissime indicatur 657.

641. *trifida Neptunus in hasta*; haec notio praepositionis proprie pertinet ad vestimenta indicanda, quibus quis indutus est, ut *esse in veste domestica, casta in veste, in toga laxa, in crepidis, cothurnis, caliga, armis* (armis indutum), similiter *in vitta* i. e. vitta redimitum I, 840 et V, 348; tum dicitur de hasta, qua quis nititur 'gestützt auf' IV, 281; V, 462; VIII, 133; Stat. Theb. IV, 221 *procul ipse gravi metuendus in hasta Eminet*; Ach. I, 41 *patria iam se metitur in hasta*; Claud. de IV cons. Hon. 525; Ap. Sid. IX, 15 *Mavors tum lusit in hasta*; sed etiam longius progressus est Vergilius, cum dixit Aen. V, 37 *horridus in iaculis* et eum secutus hoc loco Valerius: non enim describitur Neptunus nixus hasta, qualis saepe in gemmis nummis aliisque artis operibus apparet; similiter Stat. Theb. VII, 669 *aeria Capaneus occurrit in hasta*; cfr. etiam Ap. met. III, 5 *cum me viderent in ferro* i. e. gladio armatum.

642. Verg. Aen. I, 127.

643. De re cfr. Mopsi vaticinium v. 214 seq.

644. *hanc — abstulerint*, ut Sil. II, 633 seq. *Poenoque parentis Dum properas auferre necem.*

Digitized by Google

non meus Orion aut saevus Pliade Taurus
mortis causa novae. miseris tu gentibus, Argo,
fata paras, nec iam merito tibi, Tiphy, quietum
ulla parens volet Elysium manesque piorum.'
haec ait et pontum pater ac turbata reponit
litora depellitque notos, quos caerulus horror
et madido gravis unda sinu longeque secutus
imber ad Aeoliae tendunt simul aequore portam.
emicuit reserata dies caelumque resolvit

---

647. *Orion* filius Neptuni II, 507; IV. 123; Apollod. I, 4, 3; huius Pleiadumque autumno occasus matutinus causa vel initium tempestatum habebatur: Hesiod. ἔργα 618 seqq.; Polyb. I, 37, 4; Arat. Phaen. 264; Stat. silv. I, 3, 95; I, 6, 22; Val. II, 405; IV, 268; Plin. nat. hist. XVIII, 278. Neptunus dicit, non futurum fuisse ut homines in mari tempestate interirent, nisi Argo viam monstrasset; cfr. Luc. III, 193 seqq.

647. *saevus Pliade taurus*; Pleiades sive Vergiliae in cauda tauri sunt: Plin. nat. hist. II, 110; singularis autem *Plias* saepius apud poetas pro Pleiadum sidere invenitur: Val. II, 357; 406; IV, 269; Verg. georg. IV, 233; Ov. her. XVII, 188; ex Pont. I, 8, 28; Luc. II, 722; VIII, 852; Stat. silv. I, 6, 22; III, 2, 76; Grattius cyneg. 59; Germ. phaen. 266; progn. IV, 9; Namat. I, 187; Claudian. in IV cons. Hon. 438; de bello Poll. 209.

649. *tam* Vat.; *iam* edit. Bonon. et Ald. Nolent matres eorum, qui posthac mare navigabunt, manes te in Elysio placide ac libenter excipere.

653. Poetica imagine ventorum comites describuntur, sed in *unda* eis adiungenda res poetae non feliciter cessit, quippe quae a mari disiungi vel disiuncta cogitari nequeat. nec eam Wagner recte explicavit nubes undis gravidas, cum Valerius imbrem postea commemoret; imber autem longe sequitur, bene: nam etiamsi venti abscedunt, non statim imber desinit.

754. *aequora portae* Vat.; sed cum non liqueat, quae sint aequora Aeoliae portae, locum ut potui sanare conatus sum.

655. *reserata dies*; ita reserandi verbum aut ad initium diei, veris al. indicandum adhibetur, ut Stat. Theb. V, 479; Lucr. I, 11; Verg. georg. IV, 52, Coripp. VI (V) 22; aut ad serenitatem restitutam, ut Boeth. de cons. phil. I, 3, 7 seq. *Hanc si Threicio boreas*

Digitized by Google

arcus et in summos redierunt nubila montes.
iam placidis ratis extat aquis, quam gurgite ab imo
et Thetis et magnis Nereus socer erigit ulnis.
ergo umeros ductor sacro velatur amictu
Aesoniamque capit pateram, quam munere gaudens
liquerat hospitio pharetrasque rependerat auro
Salmoneus, nondum ille furens, qui fingeret alti

emissus ab antro Verberet et clausum reseret diem e. q. s.; cfr. Ov. fast. I. 681 *caelum ventis aperite serenis*; Sil. XII, 665 *laeta serenati facies aperitur Olympi*; contrarium est Sil. XII, 613 *caelumque tenebris clauditur*; vide etiam quae statim apud Valerium sequuntur: *caelum resolvit arcus.*

657. Verba *gurgite ab imo* vix divelli possunt interpretando ab eo quod est *erigit*: sed dum Vergilii tempestatis descriptionem superare studet Valerius, eam corrupit; nam neque in eis quae antecedunt navem profundo mersam esse dixit, neque si esset, Argonautae non perissent.

658. Verg. Aen. 144 seq. Satis breviter Valerius indicat, cur Thetis potissimum et Nereus navi auxilium ferant, cum hunc socerum nominet sc. Pelei, qui navigationis particeps erat.

659. De amictu sacerdotis poeta videtur cogitasse; cfr. Verg. Aen. III, 405; 545.

661. *pharetrasque rependerat auro* i. e. pro pharetra dederat hanc pateram auream Salmoneus patruus idemque avus Aesonis.

662. *cum fingeret* Vat.; recte Baehrens: 'Non possunt haec per latinitatem aliter intellegi quam Salmonea tum cum Iovem aemularetur nondum furentem fuisse'. Neque licet cogitando addere verba *qualis erat,* quod fecit Thilo praef. XXIII coll. II, 103; 453. At horum locorum alter incertissimus est, alter aliam admittit explicationem. Scripsi *qui*, quod primus quantum scio proposuit de Clerq apud Dureau I, p. 198. Cfr. quae Verg. dicit de Salmoneo Aen. VI, 590 seq. *demens, qui nimbos et non imitabile fulmen Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.* Offendit porro Baehrens in *quadrifida trabe.* Sane poetae Iovi trifidam fulminis facem tribuunt: Val. VI, 54 *dispersos trifidis ardoribus ignes*; Ov. am. II, 5, 52 *tela trisulca*; met. II, 325 *trifida flamma*; 848 *trisulci ignes*; Stat. silv. I, 1, 92 *ignis tergeminus*; Theb. III, 321 *trisulca coma*; VII, 324 *ignis trisulcus*; Sen. Phaedr. 189 *trisulcum fulmen*; 681 *trisulca fax*; Thyest. 1089 *trisulcum telum*; Herc. Oet. 1994 *fulmina trisulca*; Avien. phaen.

Digitized by Google

quadrifida trabe tela Iovis contraque ruenti
aut Athon aut Rhodopen maestae nemora ardua Pisae
aemulus et miseros ipse ureret Elidis agros. 665
hac pelago libat latices et talibus infit:
'di, quibus undarum tempestatisque sonorae

---

220 *trisuica fulmina*; Claud. praef. in III cons. Hon. 14 *tela trisulca*; Auson. idyll. XI, 9 *trisulca fulmina*; Anthol. lat. 211, 87 B. *tergeminum telum*; Drac. ed. B. IV, 5 *fulmen trisulcum*; Paulin. c. X, 121 *ignis trifidus*; Dracont. satisf. 278 *flamma trisulca*. At minime ita res constitit apud artifices, in quorum operibus diversissimae formae conspiciuntur, et saepe quidem ab utraque parte habet fulmen quosdam quasi ramos, fere semper impari numero, plerumque sane tres ab utraque parte, sed etiam quinque et septem vel tres et quinque vel quinque utrimque vel septem utrimque vel septem vel tres ab altera tantum, uno loco apud Gerhard auserles. Vasenb. I Tab. 7 fulmen ab utraque parte duos ramos habet, quod possit haberi quadrifidum. Quae cum ita sint, sane etiam praeter artificum consuetudinem quadrifidum fulmen a Valerio dictum videtur; sed eum consulto puto a tradita narratione discessisse, ut dementiam Salmonei indicaret, qui non satis habuerit trisulcum Jovis fulmen imitari, sed gravius telum iacere sibi visus sit. Ceterum etiam Vergilius in descriptione operae Cyclopum fabricando fulmine occupatorum Aen. VIII, 428 eam sibi sumpsit licentiam, ut non tres radios, sed quater ternos telo Iovis tribueret. Ad irridendam Salmonei insaniam pertinet etiam trabis vocabulum vero Iovis fulmini sane non aptum.

663. *ruente* Vat., *ruenti* Heinsius; dativus pendet ab adiectivo *aemulus*; notio verbi eadem est atque Hor. c. I, 16, 12 *nec tremendo Iuppiter ipse ruens tumultu*, cfr. supra v. 616. *contra* praepositio a suo casu divellitur ut *iuxta* V, 187; *inter* V, 375; VIII, 227, cfr. Kuehn. gramm. lat. II, § 313 g. *Athos* et *Rhodope* coniunctim nominantur secundum Verg. georg. I, 132. Ne haec quidem sententia irrisione Salmonei caret, cum Valerius dicat aemulum Iovis, qui altissimos montes fulmine tangat, nemora et agros campi incendere.

665. *ipse* i. e. ipse dominus suos incendit agros. De superbia hac Salmonei Iovem imitantis cfr. Apollod. I, 9, 7; Verg. Aen. VI, 585 seq. cum Servio; Hyg. fab. 61; Man. astron. V, 91 seqq.

667. *tempestatisque sonorae*, Verg. Aen. I, 53; cfr. praeterea Aen. III, 528; V, 235.

Digitized by Google

imperium et magno penitus par regia caelo,
tuque, fretum divosque pater sortite biformes,
seu casus nox ista fuit, seu, volvitur axis
ut superum, sic stare loco tollique vicissim
pontus habet, seu te subitae nova puppis imago
armorumque hominumque truces consurgere in iras
impulit, haec luerim satis et tua numina, rector,
iam fuerint meliora mihi. da reddere terris

669. *divi biformes* sunt ei, quorum corpus humanum desinit in piscem, ut Tritonum.

670. *nox*; vid. 617.

axis superum est caelum, quod certa et aeterna lege volvitur; hoc expertus scit Iason neque de ea re dubitare potest; falso igitur plerumque coniunguntur verba *seu volvitur axis*.

671. *staret opus* Vat.; *stare loco* Madvig advers. II, 136; *stare* dicitur mare ventis non motum, ut Verg. eclog. II, 26 *cum placidum ventis staret mare*; Ov. met. IV, 731 seq. *qui* (scopulus) *vertice summo Stantibus exstat aquis, operitur ab aequore moto*; VII, 201 *stantia concutio cantu freta*. *loco* non plane certa est coniectura, sed melior adhuc non reperta; lenissima sine dubio est Spitzeri in stud. Vindob. XVI, 336 *stare et opus*, in qua tamen illud *et* prorsus displicet.

672. *habet* c. infinitivo coniunctum interdum idem significat atque *necesse est*, vide Senec. controv. I, 1, 19 *venit ad me pater: quid habui facere? perducere illum ad patrem? non feci*; Frontin. strateg. I, 5, 1 (Sertorius) *cum a tergo instante hoste flumen traicere haberet*; sic codices, Gunderm. Hartel *haveret*, Oudend. *necesse haberet*. Saepius haec necessitatis notio participio futuri exprimitur: habeo dicendum, faciendum, ut scripsit Cic. in Verr. II, I, 130 *aedem Castoris, iudices, P. Iunius habuit tuendam*.

673. *consurgere in iras*; expressum videtur ex Verg. Aen. IX, 749 (XII, 729) *sublatum alte consurgit in ensem*; Valerium contra ad verbum imitati sunt Iuvenc. I, 499; II, 27; IV, 563; Coripp. Ioh. VII (VI), 408.

674. *impulit* c. infinitivo coniunctum ut Verg. Aen. I, 11; II, 55; 520; Ov. am. II, 12, 21; Stat. Theb. X, 737; Hor. c. III, 7, 16.

numina—meliora, cfr. ad 327.

675. *fuerint meliora* 'möge günstiger geworden sein'; sic VII, 205 *si quando fuerit tamen ulla potestas* i. e. facta erit; Ov. trist. I, 9, 6 *tempora si fuerint nubila, solus eris*; Mart. IV, 13, 9 seq. *sed et*

Digitized by Google

has animas patriaeque amplecti limina portae.
tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
pascet honos, ubicumque rotis horrendus equisque
stas, pater, atque ingens utrimque fluentia Triton
frena tenet, tantus nostras condere per urbes.' 680
dixerat haec. oritur clamor dextraeque sequentum

---

ipsa marito Tum quoque cum fuerit, non videatur anus; similiter legitur apud Valerium *defuerint* V, 207 et VII, 94.

676. Verg. Aen. III, 351.

677 seqq. Locus multo magis corruptus, quam vulgo putatur: *quocumque* et *ubicumque* sanam sententiam non habent, sed intacta reliqui, quae sanare non potui.

678. *pascit* Vat., *pascet* Pius; futurum necessarium est, quia Iason se aliquid facturum promittit.

plurimus—honos i. e. permulta sacrificia; notissimus est locus Verg. Aen. I, 49 *supplex aris imponet honorem*; cfr. Val. I. 736; Aen. I, 636; III, 118; 547; georg. III, 486; Ov. met. VIII, 740; al.

plurimus dicitur ut Iuv. III, 232 *plurimus aeger*; Verg. georg. II, 183 *oleaster pl.*; III, 147 *asilus*; IV, 419 *unda*; Aen. II, 369 *imago*; IX, 533 *flamma*; Hor. c. I, 7, 8; Claud. in Ruf. II, 253 *cuspis*; in 4. cons. Hon. 572 *sacerdos*; Avien. orbis 1138 *gens*.

aras pascet honos, cfr. Ov. trist. IV, 4, 64 *ubi Taurica dira Caede pharetratae pascitur* (sic recte Florent.) *ara deae*.

horren et equis Vat., *horrendus equisque* edit. Bonon. et Ald.

679. *fluentia—frena*; cfr. Sil. VIII, 283 *frena—fluitant*; Ov. art. II, 433 *fluitantia lora*; Verg. Aen. V, 146; XII, 471 *undantia lora*; similiter dicuntur *sinus fluentes* Verg. Aen. I, 320 et Sen. Agam. 895; *tunicae fl.* Ov. artis III, 301; *vestis* Prop. III, 17, 32; *crinis* Prud. cathem. VII, 150; *vela—flutant* (em. Turnebus) Lucr. IV, 75.

680. *concede* Vat; *condere* Heins. coniectura incerta, sed optime quadrat ad Valerii breviloquentiam, ut dicatur *tu condere* pro eo quod est *simulacrum tuum condetur*.

681. *dextraque* Vat., *dextraeque* Ald. Plausum hoc loco designari putat Heinsius; at plausus notio ita exprimi non potest, neque mos erat applaudere precanti deos, sed dextris sublatis suas preces cum Iasonis coniungunt Argonautae et facili zeugmate ex *oritur* mente additur *tolluntur* ad subiectum *dextrae*; *sequi verba* autem facilem explicatum habet ex nota illa formula *verba praeire*, quod fecerat Iason.

Digitized by Google

verba ducis. sic cum stabulis et messibus ingens
ira deum et Calabri populator Sirius arvi
incubuit, coit agrestum manus anxia priscum
in nemus et miseris dictat pia vota sacerdos.
ecce autem molli zephyros descendere lapsu
aspiciunt; volat immissis cava pinus habenis
infinditque salum et spumas vomit aere tridenti:
Tiphys agit tacitique sedent ad iussa ministri;
qualiter ad summi solium Iovis omnia circum
prona parata deo, ventique imbresque nivesque
fulguraque et tonitrus et adhuc in fontibus amnes.
At subitus curaque ducem metus acrior omni
mensque mali praesaga quatit, quod regis adortus
progeniem raptoque dolis crudelis Acasto

---

683. *Calabri populator Sirius arvi*; Calabria multum laborabat calore aestivo, inde apud Hor. c. I, 31, 5 *aestuosa* nominatur; cfr. epod. I, 27.

687. Rudentes velorum interdum a poetis *habenae* vocantur, cum eis, ut equi habenis, vela dirigantur: IV, 679; V, 436; VIII, 139; Ov. fast. III, 593; Verg. Aen. VI, 1; Sen. Med. 347; cfr. etiam ad V, 604.

688. Verg. Aen. I, 35; *infindunt — sulcos* legitur Aen. V, 142. *aere tridenti*, rostrum navis trifidum invenimus etiam Verg. Aen. V, 143 *convolsum remis rostrisque tridentibus aequor*; idem versus legitur VIII, 690; Sil. VI, 358 *trifidi splendentis in aequore rostri.*

689. *Tiphys agit* sc. navem gubernando; similiter Hor. ep. II, 1, 114 *navim agere ignarus navis timet*; Ov. fast. I, 499 *iamque ratem doctae monitu Carmentis in amnem egerat*; met. II, 60 *vasti quoque rector Olympi — non agat hos currus*; contra Stat. Theb. V, 412 dixit *clavum lassat agens Tiphys.*

690. Item parati sunt Argonautae ad iussa Tiphyis exsequenda, ut ministri qui circum Iovem sunt. Audaci imagine fontes amnium apud solium Iovis esse dicit Valerius: imbribus scilicet Iovis fontes aluntur; cfr. nummum apud Mueller-Wieseler II, 2, 14, ubi Iuppiter in solio sedens pluviam in deum fluvii demittit.

694. Verg. Aen. X, 843.

Digitized by Google

cetera nuda neci medioque in crimine patrem
liquerit ac nullis inopem vallaverit armis
ipse procul nunc tuta tenens, ruat omnis in illos
quippe furor: nec vana pavet trepidatque futuris.
Saevit atrox Pelias inimicaque vertice ab alto
vela videt nec qua se ardens effundere possit.
nil animi, nil regna iuvant; fremit obice ponti
clausa cohors telisque salum facibusque coruscat.
haut secus, aerisona volucer cum Daedalus ora

---

696. *cetera* i. e. ceteri qui ei cognati sunt: pater mater fraterque. *medioque in crimine* ita explicatur, quasi sit Aeson in suspicione criminis et credatur filio suasisse, ut Acastum secum duceret; mihi quidem multo probabilius videtur, de scelere cogitare, quod Pelias in senem inermem commissurus est; haec sententia vel *medio* adiectivo indicari videtur.

699. *quippe* in fine fere sententiae positum invenitur etiam VI, 452; *trepidatque futuris*: non angitur eis rebus, quae futuro demum tempore fiant, sed iam in eo est, ut patri exitium paretur; *que* pro particula *aut* scriptum est, vid. ad v. 111.

701. *se — effundere*; clarius dicit Valerius quamquam paullo alia sententia IV, 273 *urgentes effudit nubibus iras ardoremque viri*; cfr. VII, 34 *talique effunditur ira* et Cic. parad. III, 21 *qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit.*

702. Apparet ex hoc loco, armatis littus occupasse Peliam, sed frustra, cum ipse montem ascenderit atque iam procul avectos Argonautas conspiciat.

obice ponti; Verg. Aen. X, 377 *ecce maris magna claudit nos obice pontus*; solet ea res, quae impedimento est, ad *obicem* in genetivo addi, velut Verg. georg. IV, 422 *intus se vasti Proteus tegit obice saxi*; Luc. X, 246 *ille mora cursus adversique obice ponti Aestuat in campos*; Ov. fast. I, 563 *ille aditum fracti praestruxerat obice montis*; Claud. de bello Gild. I, 10 *nullis victoria nodis Haesit, non spatio terrae, non obice ponti.*

703. Mare splendet telis et facibus, quae ex superficie aquae tamquam ex speculo repercutiuntur.

704. *ira Vat.*; *ora* cod. Carr.; *aerisonam* Cretae *oram* alii putant dici propter Telchines metallorum opifices, de quibus vide Diod. V,

Digitized by Google

prosiluit iuxtaque comes brevioribus alis,
nube nova linquente domos, Minoia frustra
infremuit manus et visu lassatur inani
omnis eques plenisque redit Gortyna pharetris.
quin etiam in thalamis primoque in limine Acasti
fusus humo iuvenis gressus et inania signa
ore premit, sparsisque legens vestigia canis
'te quoque iam maesti forsan genitoris imago,
nate', ait 'et luctus subeunt suspiria nostri,
iamque dolos circumque trucis discrimina leti
mille vides. qua te, infelix, quibus insequar oris?
non Scythicas ferus ille domos nec ad ostia Ponti

55; Strab. XIV, 2, 7; Prelleri gr. myth. I,[4] 605; alii rectius propter Curetes, de quibus cfr. Hyg. fab. 139; Sil. II, 93; Prelleri gr. myth. I,[4] 134, vel Corybantes, vid. Ov. fast. IV, 210; Prelleri gr. myth. I,[4] 655.

706. *nubes nova* cum translatione non eleganti Daedalus et Icarus dicuntur, qui volantes per aera umbram faciebant, ut nubes solent; domus sunt habitacula hominum, quae volaturi relinquunt.

707. *visu lassatur inani*, cfr. III, 661 *vacuos cur lassant aequora visus?*

708. *in limine Acasti;* cfr. Liv. II, 48, 10 *iussi armati postero die ad limen consulis adesse.*

710. *fusus humo* pro eo quod est *f. humi* raro invenitur, sed dixit Ov. met IV, 121 *et iacuit resupinus humo* (sic optimus Marcianus) et Verg. Aen. I, 193 *corpora fundat humo* (sic omnes optimi codd.), ubi falso Ribbeck georg. II, 460 affert: *ipsa procul discordibus armis Fundit humo facilem victum iustissima tellus,* cum hoc loco ablativo exprimatur, unde oriatur victus.

gressus hoc loco idem quod vestigia.

711. *cani* sc. capilli saepius apud Ovidium, etiam apud Silium Senecam trag. Persium, sed apud Ciceronem quoque de senect. 62.

712. Verg. Aen. II, 560.

716. *ad* praepositio etiam cum accusativo *Scythicas — domos* coniungenda est; cfr. Hor. c. III, 25, 2 *quae nemora aut quos agor in specus?* Verg. Aen. V, 512 *illa notos atque atra volans in nubila*

Digitized by Google

tendit iter, falsae sed captum laudis amore
te, puer, in nostrae durus tormenta senectae
nunc lacerat. celsis an si freta puppibus essent
pervia, non ultro iuvenes classemque dedissem?
o domus, o freti nequiquam prole penates!'
dixit, et extemplo furiis iraque minaci
terribilis, 'sunt hic etiam tua vulnera, praedo,
sunt lacrimae carusque parens.' simul aedibus altis
itque reditque fremens rerumque asperrima versat.

---

fugit; VI, 692 *quas ego te terras et quanta per aequora vectum accipio*; Ov. art. I, 333; her. VI, 107; Stat. Theb. VIII, 384; Ach. II. 390; Lucr. IV, 145.

717. *tendit iter*; Ov. met. II, 547 *ad dominum tendebat iter.*

718. *in nostrae — tormenta senectae* i. e. ut senectutem nostram torqueat; notus hic usus praepositionis ad consilium exprimendum, velut Verg. Aen. VI, 395 *Tartareum ille manu custodem in vincla petivit* vel VII, 306 seq. *concessit in iras* (ut iram expleret) *Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae.*

719. Conturbatus aliqua ratione est hoc loco tenor orationis, quod Valerius fortasse de industria fecit, ut animi Peliae conturbationem indicaret; duplex enim est periculum Acasti ex sententia patris: proprium ab crudeli ira Iasonis, de quo solo adhuc Pelias dixit, et commune Argonautarum, de quo cogitat inde ab hoc demum versu, sed ita pergit, quasi etiam antea de hoc communi discrimine questus sit.

celsis ad *puppibus* additur nulla alia nisi ornandi causa; cfr. Verg. Aen. I, 183; II, 375; hoc non intellexit Burmann.

721. *nepotes* Vat.; *penates* Laurent. Balbus.

722. Verg. Aen. XII, 946.

723. Verg. Aen. I, 461.

725. *itque reditque* i. e. in aedibus ambulat; amant poetae hac locutione uti: VIII, 331 *itque reditque ratis*; Verg. Aen. VI, 122: *itque reditque viam*; Tib. II, 6, 46 *tabellas Occulto portans itque reditque sinu*; Ov. trist. V, 7, 14; Sil. XIII, 861; Stat. Theb. I, 102 *itque reditque vias*; Mart. I, 48, 2 *fugax itque reditque lepus*; VI, 10, 8 *capitolinas itque reditque vias*; cfr. Claud. carm. min. 36, 4; Coripp. Ioh. II, 311; IV, 524; VII, 12; Dracont. de deo I, 592; satisf. 86;

Digitized by Google

Bistonas ad meritos cum cornua saeva Thyoneus
torsit et infelix iam mille furoribus Haemus,
iam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
porticibus coniunxque fugit natique Lycurgum.
Tartareo tum sacra Iovi Stygiisque ferebat

244; atque etiam Val. II, 166; 121; IV, 47; VI, 414; VII, 112; Verg. Aen. IV, 438; V, 709; XII, 753; 866.

regumque Vat., *rerumque* ed. Ald.

726. Saepe *cornua* Baccho tribuuntur: II, 271; V, 79; Hor. c. II, 19, 30; Tib. II, 1, 3; Ov. art. I, 232; III, 348; met. IV, 19; fast. III, 500; 789; her. XIII, 33; am. III, 15, 17; Prop. III, 17, 19; Stat. silv. III, 3, 62; Theb. VII, 150; IX, 435; Sen. Phaedr. 756; Nemes. III, 36; cfr. graeca epitheta βουκέρως ταυροκέρως χρυσοκέρως et Prelleri gr. mythol. I⁴, 714 cum annot. 2; ita etiam fingitur ab artificibus, ut Mueller-Wies. mon. II, tab. 33; tab. 36, 425.

Furor Peliae comparatur cum insania Lycurgi, regis Edonorum, sed haec comparatio paullum obscuratur eo, quod enuntiata collocatione inter se mutata sunt; etenim post v. 725 statim sequi debuerunt verba *talem incita longis* e. q. s. Lycurgus, quod Bacchum cum Nymphis ludentem pepulerat, a Iove gravi poena affectus dicebatur vel a Baccho ipso in furorem actus; hanc narrationem sequuntur Apollod. III, 5, 1; Hyg. fab. 132 et 242; cfr. Ovid. fast. III, 722; ipse Bacchus adest furenti in sarcophagi imagine apud Baum. mon. ant. I, 836 et in vase musei Neapol. Mueller-Wies. mon. II, 38, 442. *Meriti* dicuntur Bistones (i. e. Thraces, ut III, 83), quia culpae regis participes sunt; *meritus* idem est atque noxius, ut I, 797; II, 213; IV, 754; Ov. am. I, 4, 28; Stat. Theb. I, 46; *merens* est noxius Ov. met. VIII, 116; *meritum* scribitur pro culpa Ov. her. XI, 96; trist. II, 546; III, 9, 15; ex Pont. III, 6, 10.

727. *infelix iam mille furoribus Haemus* dicitur propter furores Baccharum infesta Lycurgo insania vagantium.

729. Verg. Aen. II, 528.

730. *Tartareo—Iovi*; cfr. III, 385 *tremendus Iuppiter*; Verg. Aen. IV, 638 *I. Stygius*; sic etiam Sil. I, 386 et Ov. fast. V, 448; *Tartareus I.* Sil. II, 674; *niger I.* Sil. VIII, 116; *profundus I.* Stat. Theb. I, 615; Ζεὺς καταχθόνιος Hom. Il. IX, 457; Ζεὺς χθόνιος Soph. Oed. Col. 1606; Hes. ἔργ. 465. Etiam Neptunus a Graecis Ζεύς nominatur, cfr. Prelleri gr. myth. I⁴, 566 annot. 4 et Apoll. Sid. XXII, 158 seq. *sacra tridentiferi Iovis hic armenta profundo Pharnacis immergit genitor.*

Digitized by Google

manibus Alcimede tanto super anxia nato,
siquid ab excitis melius praenosceret umbris.
ipsum etiam curisque parem talesque prementem
corde metus ducit, facilem tamen, Aesona coniunx.
in scrobibus cruor et largus Phlegethontis operti
stagnat honos, saevoque vocat grandaeva tumultu
Thessalis exanimes atavos magnaeque nepotem
Pleiones. et iam tenues ad carmina vultus
extulerat maestosque tuens natumque nurumque
talia libato pandebat sanguine Cretheus:
'mitte metus, volat ille mari quantumque propinquat,

---

733. Verg. Aen. I, 209. Ceterum apte ad naturam viri poeta dicit Aesona dissimulasse metum, quam uxor aperte prae se ferebat, sed facile tamen adduci potuisse, ut sacris interesset; de *facili* adiectivo cfr. ad v. 151.

735. Cfr. Hom. Od. XI, 25 seqq.; hunc imitati sunt etiam Verg. Aen. VI, 243 seqq.; Ov. met. VII, 243 seqq.; Sil. XIII, 427 seqq. *aperti* Vat., *operti* cod. Carr.

736. Non victimae ipsae, sed sanguis earum tantum manibus offertur; ideo licebat poetae dicere *stagnat honos*.

saevo — tumultu nihil aliud videtur significare nisi magno clamore; voluit poeta in sacrificio terribili etiam terribili verbo uti, sed non feliciter res ei hoc loco cessit.

737. De industria Alcimeden hoc loco vocat Valerius *Thessalidem* utpote artis magicae peritam.

738. Pleiones nepos est Mercurius, filius Maiae natae ex Atlante et Pleione; cfr. Ov. met. II, 742; her. XVI, 62; fast. V, 83 seqq.; Apollod. III, 10, 1.

tenues vultus sunt ut unius ex umbris, sic *tenue collum* Sen. Herc. Oet. 1555 et *tenues animae* Ov. met. XIV, 411; fast. II, 565; *imago* Val. V, 52.

740. *libato — sanguine*: Hom. Od. XI, 98.

741. *quantumque propinquat* pro eo quod est *quanto magis prop.*, cfr. IV, 544. Sic etiam in prosa oratione, ut Liv. V, 10, 5: *quantum autem augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat*; vel XXXII, 5, 2: *Philippum quantum ab assiduis laboribus itinerum pugnarumque laxaverat annus, tanto magis intentum in universum eventum belli curae angunt*; solent ablativi *tanto hoc eo* sequi,

Digitized by Google

iam magis atque magis variis stupet Aea deorum
prodigiis quatiuntque truces oracula Colchos.
heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
pergit! mox Scythiae spoliis nuribusque superbus
adveniet; cuperem ipse graves tum rumpere terras.
sed tibi triste nefas fraternaque turbidus arma
rex parat et saevos irarum concipit ignes.
quin rapis hanc animam et tremulos citus effugis artus?
i, meus es, iam te in lucos pia turba silentum
secretisque ciet volitans pater Aeolus arvis'.
Horruit interea famulum clamore supremo

---

a qua consuetudine hoc loco Valerius discessit; cfr. Kuehn. gramm. lat. II, § 81, annot. 21.

742. *stupe acta* Vat.; *stupet Aea* Gronovius.

745. *qui gentibus horror pergit:* cfr. ad v. 31; hoc loco *pergere* significat 'unabänderlich herannahen'.

spoliis nuribusque plurali numero cum superlatione veritatis dicuntur de solo vellere aureo et de Medea sola; neque cogitandum de captis feminis, quod a tradita narratione prorsus abhorret.

749. *famulos* Vat.; Lemaire intellegit artus, qui animae serviant, sed hic non erat occasio philosophandi; Burmann corpus imperio Peliae subiectum, at Aeson nullo modo famulabatur Peliae; recepi *tremulos*, quod Thilo in annotatione proposuit.

Ut quis interficiendo alterius animam rapit, sic hoc loco Aeson perducitur, ut ipse se interficiendo animam suam quasi rapiat.

750. *i, meus es* i. e. age, cum filius meus sis, iure a te postulo, ut te fortem et me dignum praestes.

751. Verba *ciet* et *secretis volitans arvis* pariter etiam ad subiectum *pia turba* referenda, cfr. ad v. 136.

volitans, ut umbra, cfr. Stat. Theb. III, 75 seq. *te diro horrore volantes quinquaginta animae — adsilient*; Lucr. IV, 38 *ne — reamur umbras inter vivos volitare;* Verg. Aen. VI, 329 (animae inhumatorum) *volitant haec littora circum.*

752. *famulum clamore supremo* paullo obscurius dictum: Wagner intellegit clamorem famulorum Peliae propter Acastum sublatum Koestlin Philol. 50, 732 planctum, quasi iam interiisset Acastus; sed ex totius loci sententia apparere videtur esse famulos Aesonis, qui clamorem tollunt, postquam domino necem imminere compererunt.

Digitized by Google

maesta domus, regemque fragor per moenia differt
mille ciere manus et iam dare iussa vocatis.
flagrantes aras vestemque nemusque sacerdos
praecipitat, subitisque pavens circumspicit Aeson,
quid moveat. quam multa leo cunctatur in arta
mole virum rictuque genas et lumina pressit,

---

clamor supremus plerumque in funere dici solet ut III, 349; sed hoc loco est clamor, qui fit in extrema desperatione, ut VIII, 172.

horruit — clamore — domus poetice dictum pro eo quod est horrendo clamore domus completur.

753. *fragor* inusitate pro rumore scriptum est; similiter certe ad sermonem hominum indicandum hoc vocabulo usus est Prudentius perist. II, 181 *fragor rogantum tollitur*; cathem. VII, 28 seq. *fragore ab omni quem remotum et segregem Sprevisse tradunt criminum frequentiam.*

755. Verba obscurissima et diversis modis explicata aut mutata. Equidem Wagnerum secutus Valerium dicere voluisse puto, Aesonem quam celerrime, postquam certior factus esset de consilio Peliae, aram reliquisse vestem exuisse ex nemore exiisse, sed non intellego sacrificium 'finitum', verum interruptum; ad hoc absolvendum postea rediit; vid. v. 774. Quomodocumque explicabimus, *praecipitare aras vestem nemus* magna cum audacia dictum inveniemus. Ne id quidem laudaverim, quod poeta versu 755 sacerdotem commemorat, quasi alius sit sacerdos, alius Aeson, sed ex tota narratione, imprimis ea, quae sequitur inde a v. 774, apparet illum sacerdotem ipsum Aesonem esse. Sacro igitur interrupto deliberat, utrum ipse pugnam capessat an populum auxilio vocet contra Peliam, sed precibus uxoris motus fortitur morte, quam sibi ipse consciscat, perire constituit.

757. *quid moveat* i. e. moliatur, cfr. II, 102; V, 291; VI, 14; Ov. her. VII, 4; XVII, 10; Sapph. ep. 4; am. III, 1, 6; art. I, 341.

De comparatione, quae sequitur, cfr. Hom. Il. XII, 41 seqq.; Verg. Aen. IX, 551 seqq. Sil. X, 1 seqq.

cunctatus Vat., *cunctatur* Thilo in annotatione.

in arta mole; *densam* molem dicit Verg. Aen. XII, 575.

758. *rictum* tanto hiatu aperit leo vehementi ira commotus, ut genae contrahantur et oculi non iam appareant.

Digitized by Google

sic curae subiere ducem, ferrumne capessat
imbelle atque aevi senior gestamina primi,
an patres regnique acuat mutabile vulgus.
contra effusa manus haerensque in pectore coniunx
'me quoque' ait 'casus comitem quicumque propinquat
accipies, nec fata traham natumque videbo
te sine, sat caeli patiens, cum prima per altum
vela dedit, potui quae tantum ferre dolorem'.
talia per lacrimas. et iam circumspicit Aeson,
praeveniat quo fine minas, quo fata capessat

---

759. *sic curae subiere*; sententia eadem est, atque si dixisset poeta accuratiore responsione *tot c. s.*

760. *ferrum — imbelle*; vide ad 109; *gestamina* i. e. clipeum, ut Ov. met. XIII, 116; Sil. V, 349; de plurali cfr. praeterea Ov. met. XV, 163 *cognovi clipeum, laevae gestamina nostrae.*

761. *patres*; cfr. ad v. 72.

acuat, sollicitet instiget, ut Verg. Aen. VII, 330; 406; Ciris 138, Stat. silv. V, 2, 25; Sil. I, 113; 559; V, 228; X, 605; Ov. ex Pont I, 5, 57.

762. Ad sententiam cfr. Verg. Aen. II, 673 seqq. et 506 seqq. *effundere manus* dicitur ut *lacertos* IV, 375, *palmas* Lucan. IV, 176.

763. Verg. Aen. IX, 275.

764. *que* pro particula *aut*, vide v. 111. *fata traham* i. e. morabor, idem legitur III, 221; cfr. IV, 459 *trahitur egestas*; V, 548 *illos — mora saeva trahebat*; Ov. met. IX, 766 *moram trahit*; VIII, 498 et fast. III, 686 *spem*, aliaque non pauca; usitatum in prosa oratione *bellum tr.*

765. *te sine*; idem invenitur V, 44 et VIII, 433 (Verg. Aen. XII, 883); *dextra sine* V, 210; *se sine* VII, 475. *caeli patiens*, cfr. Verg. Aen. IV, 451 *taedet caeli convexa tueri.*

cum prima — vela dedit i. e. cum primum vela dedit, cfr. II, 207 *ut prima — intonuit — Mavortia coniunx.*

767. *talia per lacrimas*; de ellipsi verbi dicendi cfr. ad I, 174.

768. Tecte indicat poeta, Aesonem voluntaria morte perire constituisse.

fata capessere dicitur Aeson, quia sua voluntate fata subit

Digitized by Google

digna satis: magnos obitus natumque domumque
et genus Aeolium pugnataque poscere bella.
est etiam ante oculos aevum rudis altera proles,
ingentes animos et fortia discere facta
quem velit atque olim leti meminisse paterni.
ergo sacra novat. veteris sub nocte cupressi
sordidus et multa pallens ferrugine taurus

---

similiter, ut dicunt Romani bellum laborem munia militiam officia pericula al. capessere.

769. *magnos obitus* i. e. magnanimos, ut Stat. Theb. IX, 491 *magnae copia mortis*; X, 835 *magnae data fama neci.*

770. *pugnata — bella.* ut Hor. ep. I, 16, 25; Verg. Aen. VIII, 629; saepius, etiam in prosa, *pugnam* pugnare.

771. Filius minor Aesonis apud Diod. IV, 50 et Apollod. I, 9, 27, 2 *Promachus* nominatur.

aevum rudis nota constructione graeca dicitur puer; apud Martialem vel solo adiectivo pueritia indicatur VII, 95, 8 *filia rudis.*

772. *ingentes animos*; Ov. met. I, 166; Verg. georg. IV, 83; Luc. VIII, 266 al.

773. De *quem* pronomine relativo postposito cfr. I, 373; 414; 476; II, 139; 487; III, 619; IV, 368; 557; 589; 611; 614; 650; 684; 742; 744; V, 86; 660; VI, 204; 358; 593; VII, 20; 51; 316; VIII, 59; 256; aliaque exempla non pauca; post nonum adeo sententiae vocabulum legitur VI, 641.

774. 'Omnia hic infernalia fere verba' Burmann.

nocte i. e. spissa umbra; cfr. VIII, 25.

775. *sordidum* hoc loco praeter usum Valerius nominat taurum, quem dis inferis Aeson immolaturus est; fortasse ei ante oculos obversabatur notio *sordium* et *sordidati*, quae voces pertinent ad luctum propter mortuum indicandum; cfr. etiam Verg. Aen. VI, 301, ubi Charonti sordidus amictus tribuitur.

ferrugo indicat colorem fere atrum 'dunkelbraun', cfr. Serv. ad Verg. georg. I, 467; non multum differt color ferrugineus a caeruleo, cfr. Plaut. Mil. 1179 *palliolum habeas ferrugineum: nam is colos thalassicust*; ut autem caeruleus color proprie dicitur maris, sic inferorum, unde *caeruleae* vittae v. 776, et fere idem indicat ferrugineus tauri color; sic Vergilius quoque cymbam Charontis ferrugineam nominat Aen. VI, 303; cfr. etiam Dureau ad hunc locum de ferruginis colore accuratius disputantem. Sane huic colori *pallendi*

Digitized by Google

stabat adhuc, cui caeruleae per cornua vittae
et taxi frons hirta comis; ipse aeger anhelans
impatiensque loci visaque exterritus umbra.
hunc sibi praecipuum gentis de more nefandae
Thessalis in seros Ditis servaverat usus.
tergeminam tum placat eram Stygiasque supremo

---

notio contraria videtur esse; sed omnia, quae sunt apud inferos, pallida dici notum est eademque rursus atra vel nigra; cfr. Sil. IX, 250 *pallenti laetus in unda Laxabat sedem venturis portitor umbris*; contra XIII, 569 *Styx* nominatur *palus picis horrida rivo* et *atra Styx* legitur Verg. georg. I, 243; *pallidam* mortem vocat Hor. c. I, 4, 13; eandem *atram* c. I, 28, 13; id autem non recte fecit Valerius, quod has duas notiones tam arte coniunxit. Plerumque a poetis hostiae deis inferis immolandae *atrae nigrae pullae furvae* dicuntur, ut Verg. Aen. VI, 243; 249; Sil. I, 119; VIII, 119; XIII, 429; Sen. Oedip. 556 al.

776. *caeruleae — vittae*; cfr. Verg. Aen. III, 64; *caerulea puppis* est Charontis VI, 410 et *equi caerulei* Ditis Ov. fast. IV, 446.

stabat adhuc taurus ad sacrificandum iam ornatus, non enim ad finem sacra Aeson perduxerat.

777. *taxus* arbor inferis sacra; Ov. met. IV, 432; Luc. VI, 645; Sil. XIII, 595.

Sequitur locus inde a 779 usque ad 786 dubitationibus gravibus et difficultatibus refertus, ex quibus te nullo modo expedias. Iam primum v. 779 et 780 de interpolatione suspecti, quamquam quomodo quis adduci potuerit, ut eos interpolaret, vix dici potest. Non enim poterat Valerius narrare, Alcimeden *nefandae gentis* morem secutam esse, nec est hic mos taurorum nigrorum Diti immolandorum gentis Thessalae proprius, sed communis totius antiquitatis, neque intellegitur, quid sibi velint verba *in seros Ditis servaverat usus*. Versus autem 781—784 interrumpunt cohaerentiam sententiarum, quare Thiloni in annotatione post 816 collocandi videbantur, in praefationis autem p. XXIX hac sententia improbata locum non perpolitum esse a poeta putat. Schenkl censet 779—84 esse ex priore recensione, eosque deleturum fuisse poetam, si ei carmen retractare licuisset.

781 et qui sequuntur versus Koestlino Philol. 48, 654 videntur pertinere ad Cretheum, qui antea ex inferis excitatus erat, rursus in

obsecrat igne domos iam iam exorabile rite
carmen agens; neque enim ante leves niger avehit umbras
portitor et vinctae primis stant faucibus Orci.
illum ubi terrifici superesse in tempore sacri
conspexit, statuit leto supremaque fatur
ipse manu tangens damnati cornua tauri:
'vos, quibus imperium Iovis et non segne peractum

---

sedem suam reducendum; de hoc more autem apud nullum alium poetam quidquam invenitur; cfr. quae ad v. 818 dicentur.

tergemina era est Hecate, de qua cfr. ad VII, 395; *supremo igne*, quia post hoc sacrum iam aliud non oblatura est.

782. *retro carmen agens* Vat., quod sana sententia caret, *rite* Braun; *exorabile* carmen potest id esse, quo quid exoratur, ut *placabile iubar* V, 331; *genetabilis aura favoni* Lucr. I, 11; *mactabilis plaga* VI, 105; *dissociabilis Oceanus* Hor. c. I, 3, 22; *penetrabile telum* Verg. Aen. X, 481 et Ov. met. V, 67; *penetrabile fulmen* XIII, 857.

agere carmen i. e. recitare legitur etiam IV, 87; similiter certe dixit Claud. de VI cons. Hon. 122 *sed mihi iam pridem captum Parnassia Maurum Pieriis egit fidibus chelys*; et Avian. fab. 37, 14 *ferox animi nobile murmur agit.*

784. *cunctae* Vat., quod quomodocumque locum interpretabimur, probari non poterit; *vinctae* Jacobs.

primis — faucibus Orci: Verg. Aen. VI, 273.

785. Ne haec quidem verba sic reliquisset Valerius, si carmen perpolivisset; qui enim talia dicere potuit, cum antea 775 narravisset, taurum ad sacrificium ornatum iam astitisse: nempe Aeson eum ornaverat; quid igitur illud est *superesse illum conspexit?* sane supererat, cum nondum immolatus esset; quid denique *statuit leto?* quasi non iam antea eum immolare constituisset; neque vero omnino aptum videtur victimam dici leto statutam esse, ut omittam exemplo hanc locutionem carere, quod sane apud Valerium offensioni non esse debet.

786. *suprema — cornua* dicuntur ut *extrema aestas pueritia* sim.; cfr. VII, 375 *qualis adhuc teneros supremum callida fetus mater ab excelso produxit in aera nido* e. q. s.; an *suprema* (sc. verba) *fatur?*

787. *damnati* i. e. morti destinati; II, 153; 483; Verg. Aen. XII, 727; anthol. lat. ed. B. 181, 6; Claudian. de bell. Poll. 43; cfr. etiam Stat. silv. II, 1, 21 *saevos damnati turis acervos — vidi.*

Digitized by Google

lucis iter, mihi consiliis, mihi cognita bellis
nomina magnorum fama sacrata nepotum;
tuque, excite parens umbris, ut nostra videres
funera et oblitos superum paterere dolores,
da placidae mihi sedis iter meque hostia vestris
conciliet praemissa locis. tu, nuntia sontum
virgo Iovi, terras oculis quae prospicis aequis,
ultricesque deae Fasque et grandaeva Furorum
Poena parens, meritis regis succedite tectis
et saevas inferte faces. sacer effera raptet
corda pavor; nec sola mei gravia adfore nati
arma ratemque putet: classes et Pontica signa

---

789. *conciliis* Vat., *consiliis* cod. Vat. 1613.

792. *oblitos superum paterere dolores* i. e. dolores, quos homines in terra viventes patiuntur, inferi autem iam obliti sunt; *oblitus* participium cum passiva notione legitur etiam II, 389; IV, 532; Verg. ecl. IX, 53; Prop. I, 19, 6.

superi si de eis, qui sunt aput inferos, sermo est, significant eos, qui in terra vivunt: Verg. Aen. VI, 481; 568; 780; Prop. II, 1, 37; Sil. XIII, 607; 665; frg. pall. inc. inc. 51 R. *si nunc redire posset ad superos pater.*

793. De singulari *da* vide ad 135.

795. *virgo* Astraea intellegitur ab interpretibus coll. II, 362; commemoratur etiam apud Ovidium met. I, 150; Iuven. VI, 19; Oct. trag. 424; easdem partes agit apud poetas Latinos, quas apud Graecos Δίκη, filia Astraei; cfr. Arat. phaen. 98.

797. *Poena* dea singulari numero hoc loco cogitatur ut Stat. Theb. VIII, 25; saepius plurali quasi pro Furiis nominantur: Val. VII, 147; Cul. 376; Sil. II, 551; Stat. Theb. V, 60; 360; Orph. Arg. 982; aperte distinguuntur a Furiis Stat. Theb. XII, 646; Lucan. VI, 695; cfr. Dieterich Necyae p. 58.

meritis — tectis, noxiis, cfr. ad 726; tecta ipsa culpa implicantur, in quibus rex habitat, neque opus est hypallagen statuere.

798. *sacer* (dis inferis devotus itaque) horrendus, ut IV, 185 *arma sacra metu*; VII, 165 *sacro — veneno*; Catull. XIV, 12 *horribilem et sacrum libellum*; Verg. Aen. VI, 573 portae Tartari sacrae nominantur.

800. Luc. VIII, 26.

Digitized by Google

atque indignatos temerato litore reges
mente agitet semperque metu decurrat ad undas
arma ciens; mors sera viam temptataque claudat
effugia et nostras nequeat praecurrere diras,
sed reduces iam iamque viros auroque coruscum
cernat iter. stabo insultans et ovantia contra
ora manusque feram. tum, vobis siquod inausum
arcanumque nefas et adhuc incognita leti
sors superest, date fallaci pudibunda senectae
exitia indecoresque obitus. non Marte nec annis
aut nati precor ille mei dignatus ut umquam
ense cadat; quin fida manus, quin cara suorum
diripiat laceretque senem nec membra sepulchro

---

801. *reges* dicuntur omnino Ponticae regionis neque certos neque solum Aeetem Aeson cogitat.

temerato littore dictum ex sententia eorum, ad quorum littora Argonautae appulerint; cfr. I, 627; Lucan. III, 193 *cum rudis Argo Miscuit ignotas temerato littore gentes.*

802. *metu* sc. agitatus; est ablativus causam exprimens, quales etiam in prosa oratione inveniuntur, cfr. VIII, 390 et Kuehneri gramm. lat. II, § 81, 12; sed audacius dixit Valerius III, 64 *fatis extrema in proelia tendit*, ubi ablativo non affectus animi exprimitur, sed causa, quae est extra hominem agentem.

803. *viam temptataque — effugia* i. e. viam temptati effugii, mortis voluntariae.

805. *auro* i. e. vellere aureo.

808. *incondita* Vat.; quod non satis defendit Schenkl coll. Tertull. adv. Hermog. 18; *incognita* ed. Junt. et Ald. Obscure indicat poeta Medeae facinus in Peliam commissum; inde etiam explicandum *inausum nefas*; paullo apertius dicit v. 812 seq.

809. *senecta* pro sene, ut Sil. VIII, 6; XV, 651 ex imitatione Verg. georg. III, 96, ubi sane substantivum aliter explicandum est.

810. *non Marte nec armis Vat.;* bis idem vix tolerabili modo repetitur neque placet Loehbachii explicatio censentis verba dicta esse pro armis Martis; Baehrens scripsit *annis*, quod recepi.

811. *nati* om. Vat.; add. Monac.

812. *quae — quae* Vat.; *quin — quin* cod. Carr.

Digitized by Google

contegat. haec noster de rege piacula sanguis
sumat et heu cunctae quas misit in aequora gentes
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
adstitit et nigro fumantia pocula tabo
contigit ipsa gravi Furiarum maxima dextra;

---

814. *noster sanguis* i. e. filius, ut saepius apud poetas.

Post hunc versum editores ponunt eum, qui in Vat. sequitur post 822: *sumat et heu cunctae quas misit in aequora gentes.* Sed maiores sunt turbae et plures versus exciderunt, ex quibus ille solus alieno loco forte servatus est. Neque enim gentes, sive sunt Argonautae, sive, quod ego verum puto, omnes orbis terrarum gentes, quae Argonautarum exemplum secutae mari intrando se periculis obicient, ullo modo possunt poenam illam a Pelia repetere, neque *adstitit*, quod sequitur in v. 816, bene cohaeret cum eis, quae antecedunt, neque debebat deesse narratio de tauro immolato eiusque sanguine poculo excepto; haec dubitatio aliquomodo tolleretur coniectura *porrigit* pro *contigit*, quam proposuit Caussin apud Lemairium. Tauri sanguinem apud antiquos venenum mortiferum habitum esse vel ex fabula illa de Themistoclis morte tradita notum est, vid. Plut. Themist. 31; eodem modo Psammenitum Aegyptiorum regem periisse narravit Herodotus III, 15. Cfr. Plin. nat. hist. XI, 222 *taurorum* (sanguis) *celerrime coit atque decrescit, ideo pestifer potu maxime*; Sophocl. frg. 663; Aristoph. Equ. 83. Ceterum Apollodorus eadem ratione, qua Valerius, Aesonem interiisse tradit, nisi quod rogaverit Pelian, ut sibi voluntaria morte interire liceret, uxorem eius laqueo vitam finivisse dicit I, 9, 27, 1; apud Diod. IV, 50 Aeson a Pelia cogitur sanguinem bibere et uxor gladio se interficit. At nisi omnia fallunt, Valerius sibi non constans VI, 444 alteram fabulam tangit, qua Aeson reditum filii vidisse et a Medea magicis artibus in iuvenem conversus esse tradebatur in carmine, quod Νόστοι inscribitur; cfr. arg. Medeae Eurip., ubi tres versus ex hoc carmine servati leguntur: αὐτίκα δ'Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα Γῆρας ἀποξύσασα ἰδυίῃσιν παραπίδεσσι Φάρμακα πόλλ' ἔψουσ' ἐπὶ χρυσείοισι λέβησιν; cfr. Ov. met. VII, 129 seqq.; 250 seqq.; myth. Vat. I, 188; II, 137.

817. *Furiarum maximam* sumpsit poeta ex Verg. Aen. III, 252

Digitized by Google

illi avide exceptum pateris hausere cruorem.
Fit fragor; inrumpunt sonitu qui saeva ferebant
imperia et strictos iussis regalibus enses.
in media iam morte senes suffectaque leto
lumina et undanti revomentes peste cruorem
conspiciunt; primoque rudem sub limine rerum
te, puer, et visa pallentem morte parentum
diripiunt adduntque tuis. procul horruit Aeson

et VI, 605; cfr. Stat. Theb. VII, 477 *Eumenidum antiquissima*; Eurip. Iphig. Taur. 963 πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐρινύων.

818. Post hunc versum versus supra tractati 781—784, siquidem locum certum eis Valerius iam tribuit, aptius inseri posse puto quam ullo alio loco: etenim cum se ipsi interficiant Aeson et Alcimede, non statim ad sedes inferorum eis adire licuisse fingere poterat poeta, nisi antea Hecaten et domus Stygias placavissent, cfr. Verg. Aen. VI, 434 seqq., ubi non eandem quidem poenam, sed tamen poenam irrogari eis *qui sibi letum insontes peperere manu* narratur.

819. *sonitus* Vat.; *sonitu* Vatic. 1653; de hoc ablativo cfr. ad 158.

821. *media — morte* III, 326; Verg. Aen. II, 533. *suffectaque leto lumina*: mortem appropinquantem oculi indicant 'Die Augen sind gebrochen', dictum ex similitudine locutionum quae sunt: *oculi sanguine suffecti* Verg. Aen. II, 210; *maculis suffecta genas* Val. II, 105; de oculis morientium Verg. Aen. X, 418 *leto — lumina solvit*; XI, 818 *labuntur frigida leto lumina*.

822. *reste* Vat.; *peste* Madvig adv. II, 136; de *undandi* notione cfr. ad 539.

823. *primoque — sub limine*; duas proposuit explicationes Burmann, alteram, qua verba haec significent introitum et vestibulum aedium; at sacra facit Aeson non in aedibus, sed in luco, quare falsa est etiam Heinsii coniectura Thiloni probata scribentis v. 819 *foribus* pro *sonitu*. Limen primum igitur dictum est de pueritia et initio vitae ut III, 679; quem praeterea locum Burmann attulit Verg. Aen. VI, 427, aliter explicandus est. Atque additur fere semper genetivus *vitae*: Luc. II, 106; Sen. Herc. fur. 1133; Stat. Theb. V, 260; 535; VII, 166; Claud. de III. cons. Hon. 10; de laud. Stil. II, 63 et Sil. XIII, 548 (*lucis*).

825. *diripiunt*, laniant ut II, 240 *Thressas*; Coripp. Ioh. IV, 146

Digitized by Google

excedens memoremque tulit sub nubibus umbram.
Cardine sub nostro rebusque abscisa supernis
Tartarei sedet aula patris, non illa ruenti
accessura polo, victam si volvere molem
. . . . . .
ingenti iacet ore Chaos, quod pondere fessam
materiem lapsumque queat consumere mundum.
hic geminae infernum portae, quarum altera dura
semper lege patens populos regesque receptat;
ast aliam temptare nefas et tendere contra:

---

armenta; V, 644 *caput. adduntque suis:* Sen. Thyest. 727 *adicitque fratri* (Plisthenem) sc. caedendo. De caede ipsa cfr. Apollod. I, 9, 27, 2.

826. *tulit sub nubibus umbram*: confundit hoc loco Valerius poetarum de umbris mortuorum narrationem cum doctrina quorundam philosophorum, qua anima ex corpore excedens ad aethera originem suam redire putabatur, quod idem accidit Euripidi Electr. 59.

827. *cardo noster* est polus arcticus.

828. *sedet aula*; sedendi verbum adhibetur ad indicandos locos depressos et res in vallibus profundis sitas: Sil. VI, 647 *sedet — Mevania*; VIII, 507; XII, 162; Luc. III, 380; Stat. Theb. VI, 256 *vallis in amplexu nemorum sedet.*

830. deest in Vat., in margine cod. C scriptus erat hic: *Iuppiter et primae velit omnia reddere massae*, quo apte lacuna expletur; sed fortasse plus unus versus excidit atque pendet ab eis, quae exciderunt, ex parte etiam explicatio v. 831 et 832. Caussin lacuna non statuta in v. 829 scribit *victus si volverit orbis.*

831. *Chaos* videtur sedem inferorum significare ut II, 86; IV, 123; V, 95; VII, 402; Ov. met. X, 30; fast. IV, 600; Verg. Aen. IV, 510; VI, 265; Luc. VI, 696 al.

iacet dicitur ut antea *sedet*, cfr. Sil. XII, 132; Tibull. I, 3, 67.

832. Chaos omnia interitura in se recipit, cfr. Luc. l. l.; Sen. Troad. 400; Gratt. cyneg. 347.

833. *aeternum* Vat., *infernum* Jeep ind. phil. V, 150; inferni dicuntur pro inferis ut Prop. II, 1, 37 *Theseus infernis, superis testatur Achilles*; II, 28, 49 *sunt apud infernos tot milia formosarum.*

geminas portas Valerius videtur finxisse ex loco Vergiliano Aen. VI, 893 seqq. et 540 seqq., ubi viam in duas partes findi narratur.

Digitized by Google

rara et sponte patet, siquando pectore ductor
vulnera nota gerens, galeis praefixa rotisque
cui domus aut studium mortales pellere curas,
culta fides, longe metus atque ignota cupido;
seu venit in vittis castaque in veste sacerdos.
quos omnes lenis plantis et lampada quassans
progenies Atlantis agit. lucet via late
igne dei, donec silvas et amoena piorum
deveniant camposque, ubi sol totumque per annum

---

ab altera parte ad Elysium, ab altera ad Tartarum perveniri, illa est porta dextra Valerio, haec porta sinistra, vid. v. 848.

836. Tria genera hominum commemorat poeta, quibus contingat in Elysium pervenire: *duces*, apud Verg. Aen. VI, 660 *ob patriam pugnando vulnera passi;* tum ei *quibus studium est mortales pellere curas:* ante *studium* enim audiendum: *si quando venit cui*, apud Vergilium l. l. *inventas — qui vitam excoluere per artes Quique sui. memores alios fecere merendo*; denique *casti sacerdotes*, apud Verg *sacerdotes casti — Quique pii vates et Phoebo digna locuti.*

837. Ornamenta describuntur domus ducis victoris vel triumphatoris Romani, cfr. Verg. Aen. VII, 183 seqq.; Tib. I, 1, 54; Prop. III, 9, 26; Sil. I, 617 seqq.; VI, 434 seqq.; cons. ad Liv. 180.

galeis praefixa domus eadem constructione dicitur ut *tabula litteris inscripta, homo nota censoria inustus* sim.; vid. Verg. georg. III, 399 *ferratis praefigunt ora capistris*; Aen. V, 557 et XII, 489 *praefixa hastilia ferro*; Val. IV, 739 *tecta — Bebryciis praefixa tropaeis*; Ov. met. VII, 112 *praefixaque cornua ferro.*

840. *in vittis*; cfr. ad 641.

841. *lenis plantis* i. e. leniter incedens; cfr. Hor. c. III, 18, 3 *Faune — per meos fines et aprica rura Lenis incedas.*

843. *amoena* i. e. amoenas regiones; Tac. ann. III, 7: *amoena Asiae atque Achaiae.*

844. *sol totumque per annum durat aprica dies*: Verg. Aen. VI, 640 *largior hic campos aether et lumine vestit Purpureo solemque suum, sua sidera norunt*; Claud. de raptu Pros. II, 284: *Elysiumque magis mirabere solem*; Pind. Ol. II, 109 seq. ἴσον δὲ νύκτεσσιν αἰεί, ἴσα δ'ἐν ἁμέραις ἄλιον ἔχοντες ἀπονέστερον ἑσλοὶ δεδόρκαντι βίον; Coripp. de laud. Iust. min. III, 34 *et frueris meliore die sub lumine solis Nox cui nulla subest.*

Digitized by Google

durat aprica dies thiasique chorique virorum
carminaque et quorum populis iam nulla cupido.
has pater in sedes aeternaque moenia natum
inducitque nurum. tum porta quanta sinistra
poena docet maneat Pelian, quae limine monstra.
mirantur tantos strepitus turbamque ruentem
et loca et infernos almae virtutis honores.

Traiectio *que* particulae (*totumque per annum*) ut adiungatur notioni duabus sententiis communi, satis usitata est apud poetas; Valerii haec habe exempla: I, 103 *studiumque*; 848 *inducitque*; II, 224 *prohibetque*; II 268 *heredisque*; II, 431 *transitque*; III, 225 *fractoque*; 233 *placeatque*; 561 *turbavitque*; VI, 384 *confectaque*; VII, 157 *mensque*.

845. De sententia cfr. Verg. Aen. VI, 642 seqq.; Tib. I, 3, 59 *hic choreae cantusque vigent*; Aristoph. ran. 156 seq.; 448 seqq.

846. *quorum populis iam nulla cupido*; verba obscura, quae hoc modo explicat Wagner: 'tam multa alia laeta atque iucunda, ut hominum in terra viventium spem omnem atque opinionem adeo excedant'. Sed haec explicatio refutatur *iam* particula, qua indicatur, antea talium rerum cupidinem populis fuisse. Suspicor igitur populos eosdem esse, qui v. 834 nominati sunt, quibus ut umbris inanibus nullarum rerum amoenarum neque sensum neque cupidinem esse significare voluerit Valerius.

849. De collocatione *docet* verbi cfr. ad 284.

quo limine monstrat Vat.; sententia molesta et intolerabili ratione repetita, magis placet Baehrentis coniectura *quod limine monstrum* quam Schenkelii *ac limine monstrat*, sed praefero pluralem *quae limine monstra*; nam etiam apud Verg. Aen. VI, 574 seqq. duo monstra Tartari introitum servant, alterum extra alterum intra limen.

850. Cfr. Verg. Aen. VI, 305.

851. *et loca et infernos — honores*; ut priore versu agitur de multitudine ad Tartarum poenamque ruente, quod non intellexit Wagner, sic hoc versu de sede beatorum; verba *et loca* offensioni fuerunt Schenkelio et Baehrenti, sed videntur explicanda ea figura, quae dicitur ἓν διὰ δυοῖν: *loca infernorum honorum*, ut IV, 557 *fata locosque — expediam*; 641 *auditi sonitus insanaque saxa*; VII, 207 *ossaque, quis tauri saevusque pepercerit ignis*.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON

LIBER SECVNDVS.

Interea scelerum luctusque ignarus Iason
alta secat; neque enim patrios cognoscere casus
Iuno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis
ac temere in Pelian et adhuc obstantia regis
fata ruat placitosque deis ne deserat actus.
Iamque fretis summas aequatum Pelion ornos

1. Quod Iason medio in mari nisi deorum auxilio omnino cognoscere non poterat, tamen Valerius nimio hoc quidem loco deorum adhibendorum studio ductus ipsa Iunone intercedente eum non cognovisse dicit. At omnino non constitit sibi poeta, cfr. ad III, 302.

3. *ardens* sc. ira, ut I, 701; Verg. Aen. VI, 467; VII, 345; X, 514; Hor. sat. I, 4,48; Ov. trist. IV, 2,31; Stat. Theb. I, 662; Sil. IX, 262.

5. *neu* Vat.; *ne* Heins.; *que — ne* ponitur pro particula *neu* ut VII, 81; sic etiam *et — ne*, cfr. IV, 37; 125 (ubi falso Vat. *nec*); Ov. ex Pont. I, 2, 113; cfr. *et nullo* VII, 47.

6. *freti* Vat., *fretis* cod. Carr.; Valerius, dum studet rem non simpliciter narrare, confugit ad nimis artificiosum et inusitatum genus dicendi; nautis provehentibus terrae montes templa sim. mari mergi videri notum est; sic dicit poeta v. 8 *Sciathos subsedit aquis*; minus liquet, quomodo *mergunt* v. 7 intellegi voluerit poeta; de hoc verbo dicit Burmann: 'potest sumi de Argonautis qui mergunt loca — vel mergunt pro merguntur'; priorem explicationem Wagner ratione non addita secutus est; sed sive hanc sive alteram probabimus, poetam ab usu recessisse inveniemus, nam *mergere* pro eo quod est *mergi*

Digitized by Google

templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae.
iam Sciathos subsedit aquis, iam longa recessit
Sepias; attollit tondentes pabula Magnes
campus equos; vidisse putant Dolopeia busta

altero exemplo carere videtur et nautae littora, a quibus recedunt navigando, aliis locis non *mergere* sed *abscondere* dicuntur, ut Verg. Aen. III, 291; Claud. de rapt. Proserp. III, 140; cfr. Sen. epist. 70,1 et Graecum ἀποκρύπτειν γῆν Plat. Protag. c. 24 (p. 338); Orph. Argon. 462. Qui *mergunt* volunt esse pro *merguntur*, possunt afferre usum verborum mutandi vertendi movendi et ipsum emergendi verbum atque commendatur haec explicatio etiam v. 8. Pelion quoque mergitur aquis vel, ut poeta dicit accusativo *ornos* Graeco more posito, aequatur undis Pelion cum summis ornis in cacumine positis.

7. *Pisaeae* Vat., *Tisaeae* ed. Ald.; Tisaeum promontorium est Magnesiae; de *Diana Tisaea* cfr. Apoll. I, 568 sqq. *Obliqua* nominantur templa, quia a latere posita conspiciuntur; cfr. Cic. somn. Scip. XIX, 20 *vides — eos qui incolunt terram — partim obliquos partim transversos partim etiam adversos stare vobis.*

8. Inter Sciathum insulam et Sepiadem promontorium provehuntur, Apoll. I, 582; de nomine promontorii cfr. schol.; *recessit Sepias*: Verg. Aen. III, 72 *terraeque urbesque recedunt.*

9. *Magnes* adiectivum masculinum est, ut *Magnetis* femininum apud Ov. her. XII, 9; *attollit equos campus*, ut eos conspicere possint, appropinquantibus Argonautis, ut verbis *mergunt* et *subsedit* contrarium indicatur; cfr. Verg. Aen. III, 552 *attollit se diva Lacinia contra.*

10. *Dolopeia busta* i. e. Dolopis, filii Mercurii, Apoll. I, 585; cfr. schol. Ἑρμοῦ υἱὸς ὃς ἐν Μαγνήσῃ τῇ πόλει ἀπώλετο καὶ αὐτόθι τάφον παρὰ τῷ αἰγιαλῷ ἔσχεν. Subiectum *se* infinitivi omissum est ut I, 633 *flentes occumbere leto*; II, 372 *zephyrosque audire—dissimulant*; IV, 57 *pudet potuisse relinqui*; V, 29 *avellique negant*; VI, 246 (Oebasus) *evasisse ratus*; VII, 306 *tectisque negat procedere virgo*; 319 *neque cessuram—proclamat*; 574 *servari—Idas flebat*

Hoc loco ventum adversum sub nocte incidisse Apollonius narrat I, 586 seqq. ibique duos dies remansisse nautas, tertio die, cum ventus rursus secundus esset, ancoras solvisse, tum nocte demum ad Pallenen pervenisse, quam noctu praeternavigarent. Haec praeter veritatem nimis contraxit poeta Romanus in talibus rebus minus diligens; sed quod viros non tam morae patientes descripsit quam Apollonius, laudandus est.

intrantemque Amyron curvas quaesita per oras
aequora, flumineo cuius redeuntia vento
vela legunt. remis insurgitur; inde salutant
Eurymenas; recipit velumque fretumque reversus
auster et in nubem Minyis repetentibus altum
Ossa redit. metus ecce deum damnataque bello

---

11. *Amyron*, nomen fluminis in Vat. corruptum restitutum est ex Apoll. I, 596; *ora* pro *ripa*, cfr. ad I, 2.

12. Ventus a fluminis ore et septentrione flans navem iam in eam partem repulsurus est, a qua provecta erat.

13. *vela legunt*: Verg. georg. I, 373; Aen. III, 532; Ov. ep. Sapph. 216; Claud. de bell. Gild. I, 481.

remis insurgitur i. e. a transtris assurgendo in remos incumbunt. cfr. I, 450 et Verg. Aen. III, 207; 560; V, 189; Dracont. X, 580 B. non felici imitatione dixit *insurgunt clipeis*; Arator act. apost. II, 709 *insurgite telis*.

14. *Eurymenas*; Apoll. I, 597.

recipit auster velum sc. in suam potestatem; proprie sic dicitur de urbibus provinciis castris, sed cfr. Plaut. Capt. 103; Curc. 464.

15. Orientem versus per altum littore relicto Argonautae ad Pallenen navigant conspiciuntque campum Phlegraeum ibi situm, ubi gigantes cum deis pugnasse dicebantur, cfr. Prelleri gr. Mythol. I⁴, 75.

16. *metus* nominatur Pallene i. e. res (vel regio) quae metum inicere possit, cfr. ad I, 23.

deum ad *bello* referendum, de traiectione *que* particulae cfr. ad I, 49. *bello* interpretandum videtur ita, ut sit dativus: destinata bello, ut Lucr. VI, 1229 *morti damnatus*; Lucan. II, 733 *Phariae busto damnantur harenae*; VI, 641 *quem* (montem) *tristis Erichtho damnarat sacris*; VIII, 483 *Pompeium leto damnare*; cfr. 570; IX, 87; Verg. Aen. IV, 699 *Stygioque caput damnaverat Orco*; Stat. Theb. VI, 55 *damnatus flammae torus*; VII, 239 *qui* (campus) *proximus urbi Damnatus bellis patet*; Sil. V, 242 *nisi quem deus ima colentum damnasset Stygiae nocti*; XV, 557 *damnavi tumulis Poenorum atque ossibus agros*; 76 *degeneres tenebris animas damnavit Avernis*; Claud. in Ruf. II, 395 (fera) *damnatur arenae muneribus*; de cons. III. Hon. 114 *iuga deseris Oetes Herculeo damnata rogo*; Dracont. VIII, 150 B. *qui damnet Pergama flammis*; Prud. c. Symmach. I, 93 *alias damnasse neci*; Coripp. Ioh. IV, 235 *leto damnare tyrannum*.

Digitized by Google

Pallene, circumque vident immania monstra
terrigenum caelo quondam adversata gigantum,
quos scopulis trabibusque parens miserata iugisque
induit et versos extruxit in aethera montes.
quisque suas in rupe minas pugnamque metusque
servat adhuc; quatit ipse hiemes et torquet ab alto
fulmina crebra pater; scopulis sed maximus illis
horror abest, Sicula pressus tellure Typhoeus.

---

17 seq.; de re cfr. Lucan. IX, 655 seqq., sed cum Lucanus dicat Gorgonis aspectu gigantas in montes versos esse (cfr. Claud. gigantom. 91 seqq.), Valerius id fecisse Terram matrem affirmat, ut eos neci a deis instanti eximeret.

19. *trabibus* matrem Terram gigantes induisse valde improbabile, sententiae optime respondet id quod coniecit Meyncke p. 35 *saxisque*; de constructione verbi induendi cfr. Verg. Aen. VII, 20 *quos hominum ex facie — induerat Circe in vultus ac terga ferarum*; *scopulis* dativus igitur positus est pro eo quod est *in scopulos*.

21. De sententia cfr. Sil. V, 673.

22. *quatit—hiemes*, cfr. ad I, 82.

24. Nomen eius gigantis, qui sub Aetna iacet, varie traditur. Typhoeum eum esse dicunt praeter Valerium Ov. met. V, 348; fast. I, 573; IV, 491; ep. Sapph. 11; Sil. XIV, 196 (qui ipse sibi non constitit, vid. VIII, 540); Hyg. 152 (Typhon); myth. Vat. I, 86; Aesch. Prom. 364 (Typhon); Pind. Ol. IV, 11; Pyth. I, 35 (Typhon); (Apollod. I, 6, 3, 12 et Anton. Liber. c. 28 ed. Westerm. Typhonem discernunt a gigantibus); Enceladus sub Aetna iacere narratur a Verg. Aen. III, 578; Lucil. Aetnae 70; Lucan. VI, 294; Sen. Herc. Oet. 1159; Stat. Theb. III, 595; XI, 8; Sil. XIV, 579; Claud. in III. cons. Hon. 161; de raptu Pros. I, 155; III, 123; de VI. cons. Hon. praef. 18; carm. min. XVII ed. Birt (XXXIX ed. Jeep) v. 32; myth. Vat. II, 53; Apollod. I, 6, 2, 3; Orph. Arg. 1251; at Typhoeus sub Inarime Verg. Aen. IX, 713; Sen. Herc. Oet. 1156; Luc. V, 101; Sil. VIII, 540; Claud. de VI. cons. Hon. praef. 18; de raptu Pros. III, 183; hoc ortum est ex falsa interpretatione loci Homerici Il. II, 782 seq. ὅτε δ' ἀμφὶ Τυφωέι γαῖαν ἰμάσσῃ (Ζεύς) εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶν Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς; cfr. Plin. nat. hist. III, 82 *Aenaria ipsa a statione navium Aeneae, Homero Inarime dicta*. Apollon. II, 1214 eum in campo Nysaeo sub undis lacus Serbonidis latere

hunc profugum et sacras revomentem pectore flammas,
ut memorant, prensum ipse comis Neptunus in altum
abstulit implicuitque vadis totiensque cruenta
mole resurgentem torquentemque anguibus undas
Sicanium vehit usque fretum cumque urbibus Aetnam
intulit ora premens; trux ille eiectat adesi
fundamenta iugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem
commovet experiens gemituque reponit inani.
Iamque Hyperionius metas maris urguet Hiberi
currus et evectae prono laxantur habenae
aethere, cum palmas Tethys grandaeva sinusque

---

commemorat, consentiens cum Herodot. III, 5. Cfr. etiam ad III, 130 et Plut. vitae Anton. c. 3.

25. Mutatis verbis narrat Valerius, quod Verg. Aen. I, 44 de Aiace Oilei dixerat.

28. *torquentem—undas*, cfr. ad I, 362.

29. *dedit* Vat., *vehit* Phil. Wagner Philol. XX, 631; Ellis journal of phil. IX, 53 proposuit v. 29 *tulit* et v. 30 *indidit*.

30. *eiectat—fundamenta*: Ov. met. V, 352 *arenas eiectat—Typhoeus*.

33. *experiens* sc. num deicere possit.

reponit verbo indicare voluit poeta robur immensum Gigantis, qui sane paullum montem commovet, sed tamen evellere a fundamentis non valet; cum igitur rursus quiescit Typhoeus, mons pristinam suam sedem occupat.

35. *prono—aethere* equi celerius decurrunt; magna audacia transfertur notio evehendi a curru ad habenas; sed non desunt apud Valerium similia exempla: II, 44 *noctivagum qui carpit iter*; III, 613 *iamque morae impatiens cunctantes increpat ausus Tiphys*; II, 487 *iam cui candentes votivo in gramine pascit cornipedes genitor*, votivi sunt equi; III, 660 *quid deside terra haeremus?* IV, 625 *dedit tacitis iterum responsa tenebris* (Phineus, qui ipse tacet); V, 609 *quae* (gens) *picta pharetris venerit*; VI, 229 *per agmina—vadit eques densa spargens hastilia dextra*.

36. Tethys sinu excipit solem, cfr. Ov. met. II, 68 seq. *tunc etiam quae me subiectis excipit undis, Ne ferar in praeceps, Tethys solet ipsa vereri*.

sustulit et rupto sonuit sacer aequore Titan.
auxerat hora metus, iam se vertentis Olympi
ut faciem raptosque simul montesque locosque
ex oculis circumque graves videre tenebras.
ipsa quies rerum mundique silentia terrent
astraque et effusis stellatus crinibus aether.
ac velut ignota captus regione viarum
noctivagum qui carpit iter non aure quiescit,
non oculis, noctisque metus niger auget utrimque
campus et occurrens umbris maioribus arbor,
haud aliter trepidare viri. sed pectora firmans
Hagniades 'non hanc' inquit 'sine numine pinum
dirigimus, nec me tantum Tritonia cursus
erudiit; saepe ipsa manu dignata carinam est.

37. Sol in mare ruens sonitum edit, cfr. II, 63; Iuven. sat. XIV, 280; Stat. silv. II, 7, 27; Sil. I, 210; Dracont. X, 91; Orest. trag. 804; Auson. epist. XIX. 2; de sole oriente idem habet Dracont. VIII, 371 et Orest. trag. 683.

38. Sequitur descriptio noctis appetentis, cuius Argonautas in mari deprehendentis horrorem dum nimis augere studet Valerius, aliquomodo obliviscitur vicissitudines dierum noctiumque etiam in terra continenti viros expertos esse et novisse.

vertentis Olympi; dictus Olympus pro caelo, cfr. ad I, 4.

42. *crinis* plerumque cometis tribuitur vel stellis quae ad terram cadere videntur; de stellis fixis cfr. Anthol. 139, 32 B.; Claud. de bello Gild. 496; Avien. phaen. 81; cfr. etiam Val. V, 369, ubi nox dicitur *luciferas crinita faces.*

43. Venusta est descriptio hominis, qui anxietate plenus per tenebras iter facit.

44. *noctivagum iter*; cfr. ad 35.

45. *utrimque* i. e. a fronte et a tergo.

48. *non hanc—sine numine pinum dirigimus: non* particula paullo liberius in initio collocatur. cum sit sententia 'hanc pinum non sine numine d.'; cfr. IV, 179.

49. Scite Valerius Tiphyn a Minerva ipsa eruditum esse narrat; nam ipse ex se omnia, quae postea profert, discere non

Digitized by Google

an non experti, subitus cum luce fugata
horruit imbre dies? quantis, pro Iuppiter, austris
restitimus! quanta quotiens et Palladis arte
incassum decimae cecidit tumor arduus undae!
quin agite, o socii; micat immutabile caelum
puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu,

---

poterat. *erudire* cum accusativo rei coniungitur Ov. met. VIII, 215 *hortaturque sequi damnosasque erudit artes* (sc. Icarum); Stat. Theb. X, 507 *praeceptaque fortia belli Erudiit genetrix*; de partic. *eruditus* cfr. Kuehn. gramm. lat. II, § 73, 4, a, annot. 3.

51. *experti* sc. *sumus* Brevitati studens Valerius, ut omittam *est* et *sunt* tertias personas et infinitivum *esse*, saepe varias formas praesentis et imperfecti temporis verbi substantivi non addit. *Sum* deest saepius, si *ego* subiectum est, cfr. Schmitz de Val. dicendi genere p. 33, ut II, 471; IV, 213 al., raro aliter: VII, 73; *es* IV, 242; 467; V, 37; 223; 556; *sumus* V, 658; (Iuv. sat. XIII, 142); *estis* III, 703; V, 150; IV, 650; (Iuv. sat. VIII, 44). *eram* I, 343; *erat* I, 34 al.; *erant* 1, 23; VI, 129; *sim* V, 652; (Iuv. sat. I, 1); *sis* VII, 159; *sit* II, 66; 251; VII, 541 al.; *sitis* IV, 438; (Iuv. sat. XIV, 46); *sint* IV, 204; V, 467; VII, 332; *esset* IV, 379; VI, 44 (*erat?*); *essent* I, 51; 336. Rarius aliae formae omittuntur, ut *fuerit* V, 138, nisi quod *erit* deest in interrogationibus, cfr. Schmitz p. 34.

subitus; saepe hoc adiectivum additur eis, quae subito oriantur vel fiant vel appareant, sed admodum raro de eis, quae subito evanescant, unum tantum praeter Valerianum novi exemplum Verg. Aen. IX, 473 *at subitus miserae calor ossa reliquit.*

53. *quanta quotiens et Palladis arte* non recte putant dictum esse pro *quanta et quotiens*, sed sine coniunctione iuxta ponuntur secundum consuetudinem *quanta quotiens*, *et* autem traiectione post *quotiens* positum proprie ponendum erat ante *quanta*; cfr. ad I, 89.

54. *decimae—undae*; hanc undam ut ceteris multo maiorem saepius poetae commemorant: Ov. met. XI, 529 seq. *sic ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus, Vastius insurgens decimae ruit impetus undae*; trist. I, 2, 50; Lucan. V, 672; Sil. XIV, 122; Sen. Agam. 502; cfr. Paul. p. 71 *fluctus decimus fieri maximus dicitur.*

55. *agite* hoc loco altero imperativo non addito solum adhortationi inservit, cfr. Plaut. Amph. 302.

56. *pura—Cynthia* i. e. non nebula aut nubibus velata; *cornu*

Digitized by Google

nullus in ore rubor, certusque ad talia Titan
integer in fluctus et in uno decidit Euro.
adde, quod in noctem venti veloque marique
incumbunt magis: it tacitis ratis ocior horis. 60

---

gravidum sc. imbribus, cfr. Luc. I, 217 seq. *auxerat undas tertia iam gravido pluvialis Cynthia cornu;* sic etiam *nubes gravidae* dicuntur Ov. trist. I, 2, 107; et *genae gravidae* sc. lacrimis epist. Sapph. 174; indicat Valerius coronam, quam Graeci ἅλω vocant. Contrarium describitur Luc. V, 546 *lunaque non gracili surrexit lucida cornu—tum lurida pallens Ora tulit voltu sub nubem tristis ituro.*

57. *nullus in ore rubor,* Ciris 180; rursus contrarium legitur Luc. V, 549 *ventorumque notam rubuit*; cfr. Theophr. de not. vent. 2, 27 ἔστι δὲ σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ τὰ μὲν μέλανα ὕδατος, τὰ δ' ἐρυθρὰ πνεύματος.

58. *in uno decidit Euro*; tempestates turbulentae ita plerumque apud poetas describuntur, ut plures venti simul coorti caelum et mare turbare atque miscere dicantur, cfr. Val. I, 610 seqq.; II, 365; Verg. Aen. I, 85 seqq.; Sil. XVII, 246 seqq.; Sen. Agam. 479 seqq.; Phaedr. 1128 seqq.; Luc. V, 599 seqq.; Ov. trist. I, 2, 26 seqq. Itaque vel hoc signum est tranquillitatis, quod unus ventus flare dicitur; accedit, quod Eurus, qui latine Volturnus nominatur (Sen. nat. quaest. V, 16, 3 *ab oriente hiberno* ('Südosten') *Eurus exit, quem nostri vocavere Volturnum,* cfr. Plin. nat. hist. II, 119), serenum efficit caelum et liquidam tempestatem, vid. Plin. II, 126: *sicci Corus et Volturnus.* Singularis sane est locutio *in uno decidit Euro* i. e. dum solus Eurus flat, sed non prorsus dissimiles videntur loci, quales reperiuntur apud Terent. Haut. 568 *vel heri in vino quam immodestus fuisti* i. e. dum bibisti; vel apud Catull. XII, 1 seq. *manu sinistra non belle uteris in ioco atque vino;* vel apud Ciceron. in Cat. II, 10 *quod si in vino et alea comissationes solum et scorta quaererent* e. q. s.

59. Memorabilis est locutio *adde quod,* quam notione imperativi plane evanescente nihil aliud significare nisi *accedit quod, tum, deinde* hoc loco aperte demonstratur; cfr. inter alia exempla Lucr. VI, 330; Stat. silv. I, 1, 14; Claudian. in Eutrop. I, 187. Ceterum id quoque mirum, quod haec locutio minime poetica saepissime apud poetas reperitur.

in noctem i. e. nocte oriente. ut Verg. georg. IV, 190.

60. *et* Vat.; *it* ed. Bon. et Ald.

Digitized by Google

atque dei non illa sequi mihi sidera monstrant,
quae delapsa polo reficit mare: tantus Orion
iam cadit, irato iam stridet in aequore Perseus:
sed mihi dux, vetitis qui numquam conditus undis
axe nitet serpens septenosque implicat ignes.' 65
sic ait et certi memorat qui vultus Olympi,
Pleiades Hyadumque locos, quo sidere vibret
Ensis et Actaeus niteat qua luce Bootes.

---

61. Verba corrupte tradita sunt, sed vitium in *adeo*, non in *monstrant* latere videtur; scripsi *dei* pro eo quod est in Vat. *adeo* (*deus—monstrat?*); monstrandi verbum cum dativo et infinitivo coniunctum invenitur etiam Iust. II, 6, 5 *arare quoque et serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt*; cfr. etiam ad III, 435.

62. *mare reficit* et alit solem stellasque cursu fatigatas, cfr. Luc. X, 258 *nec non Oceano pasci Phoebumque polosque Credimus*; Sil. VII, 639; XII, 248; Anthol. lat. 4, 1 seq. ed. B.; Namat. I, 123; Avien. phaen. 1141; Claud. laud. Ser. 52 seq.; Dracont. de deo I, 682; reficiendi notio subest etiam verbis illis Homericis Od. V, 275 οἵη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

63. *iratum* aequor dici putat Burmann, quia Tethys in Iunonis honorem Iovis filios adulterinos odio haberet, inter quos erat Perseus; at licet poetis Tethyn nominare pro aequore, aequor pro Tethye non licet. Rectius vir doctus apud Harl. explicat mare irasci, quod Perseus olim Andromedam a monstro marino defenderat. De stridendi notione cfr. supra ad v. 37.

65. *serpens* in polo septentrionali volvitur circum ursam maiorem et minorem, quae septenas habent stellas; vid. Verg. georg. I, 244 seq.

67. *Pleiones* Vat.; sed Pleionen matrem Pleiadum pro Pleiadibus ipsis posuisse Valerium vix credibile est; duce Heinsio scripsi *Pleiades*.

quo sidere vibret Ensis; *sidus* de splendore stellarum scribitur ut Avien. phaen. 269; 1271; lunae Sil. XIII, 557; Stat. Theb. I, 371; solis Ov. am. II, 16, 3; met. XIV, 172; omnino pro splendore ponitur Val. VI, 606; Stat. silv. III, 4, 26; Theb. VII, 695. *ensis* Orionis intellegitur, cfr. Ov. art. II, 56; fast. IV, 388; met. VIII, 207; XIII, 294; Arat. phaen. 588.

68. *Actaeus* Bootes dicitur, quia idem est atque Atheniensis Icarius ab civibus interfectus, a Iove inter astra relatus; Hyg. fab. 130; cfr. Sen. Med. 314.

Digitized by Google

haec ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
restituunt vires et parco corpora Baccho;
mox somno cessere; regunt sua sidera puppem.
Iamque sub Eoae dubios Atlantidis ignes
albet ager, motisque truces ab ovilibus ursi
tuta domosque petunt, raras et litus in altum
mittit aves, cum primus equis exegit anhelis

69. *haec ubi dicta dedit*: Verg. Aen. II, 790.

70. *fessas—vires*: Coripp. Ioh. III, 411.

71. *sua sidera* i. e. quasi propria navium regendarum; non raro ita *suus* pronomen ad subiectum appositum pertinet ad id, quod obiecti proprium est; cfr. V, 487; Hor. epist. I, 18, 79; Ov. artis II, 60; 551; 643; remed. 176; met. II, 186; XV, 115; trist. III, 1, 66; IV, 4, 75; Stat. Theb. IV, 146; VIII, 236; Ciris 133; Claud. de raptu Pros. III, 243; utrum praecedat obiectum an sequatur, nihil interest apud poetas quidem neque necesse est, subesse eam notionem ut *suo* pronomine contrarium alieno efficiatur, quod fit plerumque in prosa oratione, velut apud Cic. pro Sest. 142 *Hannibalem sui cives* (seine eigenen) *e civitate eiecerunt*.

72. Postquam Argonautae patria relicta unum diem et unam noctem vecti sunt, secundo die eos iam Lemnum pervenisse Valerius narrat contra veritatem. At apud Apollon. I, 600 seqq. noctu Pallenen praetervecti usque ad Athonem montem et inde unum diem et unam noctem provecti postero die Lemnum venerunt; cfr. ad II, 10.

dubii ignes sunt siderum, quae sub oriente sole (*Eoae Atlantidis*, cfr. Verg. georg. I, 221) hebetantur; cfr. Iuv. V, 20 seqq. *sollicitus ne Tota salutatrix iam turba peregerit orbem Sideribus dubiis*; eodem modo dies dicitur dubius Sen. Tro. 1142 *premiturque dubius nocte vicina dies*; neque aliter explicanda est *dubia lanugo* i. e. quae vix conspiciatur, ut de ea dubitare possis, apud Ov. met. IX, 398; XIII, 753.

Atlantides sunt Pleiades, filiae Atlantis et Pleiones, cfr. Verg. georg. I, 221; singularem scripsit poeta, ut aliis locis *Pleiadem* pro *Pleiadibus*, cfr. ad I, 647.

75. *exegit* quid significet hoc loco, non liquet. Burm. 'ascendit (Phoebus) eo usque ut radiis Atho vicerit', quod nihili est; Wagner 'conspicuum subito facit' sana sententia, sed exemplis ut solet non additis; neque, opinor, addi possunt. Nisi fallor, Valerius scripsit

Digitized by Google

Phoebus Athon mediasque diem dispersit in undas.
certatim remis agitur mare rostraque cursu
prima tremunt; et iam summis Vulcania surgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
ignipotens; nec te furiis et crimine matrum

---

accendit, cfr. ad V, 370; primi radii solis, *primus Phoebus*, illustrant cacumen Athonis, tum etiam undae illustrantur.

77. *remis agitur mare*: Luc. IX, 319.

79. Nota ex Homero fabula de Vulcano in Lemnum insulam a Iove deiecto Il. I, 590 seqq.; cfr. XV, 18 seqq. Perperam interpretes propter *varios labores* cogitant de Vulcano bis ex caelo deiecto; nam cum Iuno eum modo natum de caelo deiceret, non decidit in Lemnum, sed in mare, vid. Il. XVIII, 394 seqq. Varii labores intellegendi et ipsius Vulcani miseria et ira Veneris caedesque virorum, quam poeta iam enarraturus est. Atque de ea re multo fusius exponit, quam Apollonius, qui eam viginti quattuor versibus I, 609—632 breviter comprehendit. Sed maioris est momenti, quod Valerius prorsus culpa vacantes maritos describit, ut caedes nulla ratione excusanda et maxime miserabilis sit et apta ad animos legentium commovendos, cfr. Meieri quaest. Argon. p. 38. Contra Apollonius gravem culpam tradidit virorum mulieres suas repudiantium captasque puellas amantium (cfr. Hyg. fab. 15 et schol. Il. VII, 468), qua re horribile facinus mulierum aliquomodo excusaretur; cfr. I, 804 seqq., ubi Hypsipyle multis verbis Iasoni culpam virorum exponit. A longe plurimis scriptoribus culpa quidem viris tribuitur, sed elevatur mira narratione de foedo mulierum odore, quo viri eis abstinere coacti sunt: mythogr. Vat. I, 133; II, 141; schol. Stat. Theb. V, 28; Apollod. I, 9, 17; schol. Pind. Pyth. IV, 88; schol. Apoll. I, 609; 615; idem de Locris Ozolis tradit Serv. ad Aen. III, 399. Scythicas mulieres in culpa fuisse indicatur Orest. trag. 434 seqq. Ex Valerio sua hausit Stat. Theb. V, 49—498. Eo autem Pindarus Pyth. IV, 447 ab omnibus ceteris discessit, quod Argonautas ex Colchis redeuntes Lemnum appulisse dicit; cfr. etiam schol. Apoll. I, 615 et Theocr. idyll. XIII, 29, qui Argonautas tertio die ad Hellespontum pervenisse tradit.

80. *furiae* hoc loco idem valent atque vehemens furor, furores, ut III, 590; IV, 235; VI, 1; 293; Verg. Aen. VII, 392; Ov. her. IV, 47; Stat. Theb. VI, 488; Sil. I, 146; XVII, 236; Auson. idyll. VI, 83; contra *Furor* dictus pro *Furia* Val. VII, 510.

Digitized by Google

terra fugat meritique piget meminisse prioris.
Tempore quo primum fremitus insurgere opertos
caelicolum et regni sensit novitate tumentes
Iuppiter aetheriae nec stare silentia pacis,
Iunonem volucri primam suspendit Olympo
horrendum chaos ostendens poenasque barathri.
mox etiam pavidae temptantem vincula matris
solvere praerupti Vulcanum vertice caeli
devolvit; ruit ille polo noctemque diemque
turbinis in morem, Lemni dum litore tandem
insonuit. vox inde repens ut perculit urbem,
adclinem scopulo inveniunt miserentque foventque
alternos aegro cunctantem poplite gressus.

---

81. De *que* particula pro *aut* posita cfr. ad I, 111.

83. *tumentes*, sc. ira, ut Stat. Theb. III, 443; 600; sic *tumidus* Stat. Ach. I, 36; 189; Theb. VI, 823; VIII, 636; IX, 79; *tumescere* Ov. her. VIII, 57; *intumescere* met. II, 508; fast. II, 607; III, 201; VI, 487; ex Pont. IV, 14, 34. De duro Iovis imperio, quale fuerit in initio, cfr. Aesch. Prom. 34 seq., 149.

84. *stare silentia pacis* i. e. stare pacem tranquillam, cfr. I, 159 *fremitus canum*; 452 *clari decus adiacet orbis.*

85. Huic de Iunone narrationi sumptae, ut iam dictum, ex Hom. I, 590 seqq. et XV, 18 seqq. coniunxit poeta ea, quae Homerus dicit de rebellione deorum Il. I, 399 seqq. et de Tartaro Il. VIII, 13.
volucer est Olympus, qui celeriter circumvertatur, cfr. II, 38.

86. Minatur Iuppiter, se deiecturum Iunonem in Tartarum; *chaos* pro inferis dictum, cfr. ad I, 831; *barathrum* autem est pars infima Tartari: Hom. Il. VIII, 16 τόσσον ἔνερθ' Ἄιδεω ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης; Claud. in Ruf. II, 523 seqq. *vacuo mandate barathro* (Rufinum) *Infra Titanum tenebras infraque recessus Tartareos.*

90. *cum* Vat.; *dum* Schenkl.

91. *insonuit* poetica imagine et felici brevitate dictum pro eo quod est *cum sono decidit*; cfr. III, 79 *hasta—transtris insonuit*; VI, 366; fere eadem sententia legitur hoc verbum Verg. Aen. XII, 366; Sil. XIV, 428; Claud. fescenn. IV, 35.

93. Imitatus est Valerius Verg. Aen. XII, 386; *cunctari gressus* est tarde, cunctanter gressus facere, cfr. Stat. Theb. I, 410 *minas*

hinc reduci superas postquam pater adnuit arces,
Lemnos cara deo, nec fama notior Aetne
aut Lipares domus: has epulas, haec templa peracta
aegide et horrifici formatis fulminis alis
laetus adit: contra Veneris stat frigida semper
ara loco, meritas postquam dea coniugis iras
horruit et tacitae Martem tenuere catenae.
quocirca struit illa nefas Lemnoque merenti
exitium furiale movet; neque iam alma videri
tunc avet aut tereti crinem subnectitur auro,
sidereos diffusa sinus; odio effera et ingens

---

cunctantur; VII, 1 *cunctantes Tyrii primordia belli Iuppiter haud aequo respexit corde Pelasgos.*

94. *hinc* referendum ad *Lemnos cara.*

96. *has epulas* i. e. huius loci, insulae epulas, ut *hic nuntius* est nuntius huius rei.

97. Fulminis *alae* eaedem sunt, quos *radios* nominat Verg. Aen. VIII, 429; sed *alae* fulmini tribuuntur etiam Aen. V, 319; Val. VI, 56; Claud. de rapt. Pros. II, 229.

99. Alludit poeta ad notam Homeri de amore Veneris et Martis narrationem Od. VIII, 266 seqq., cfr. Ov. met. IV, 171 seqq.; hanc Lemniis cognitam esse fingit poeta, cfr. schol. Stat. Theb. V, 59 *quia adulterium Veneris in honorem Vulcani damnaverant* (Lemniades), *inde nulla Veneris sedes in Lemno est.*

100. *tacitae catenae*; satis audacter hoc loco poeta notionem *taciti* transtulit ad ea, quae oculis occuluntur, cfr. ad I, 479.

101. *merenti* i. e. noxiae, ut Verg. Aen. II, 229; 585; videlicet ex sententia Veneris.

102. Gravibus corruptelis laborant verba in Vaticano ita tradita: *neque enim alma videri Iam tum ea cum reti crinem subnectitur auro Sidereos diffusa sinus, eadem effera* e. q. s.; v. 103 sana sententia omnino caret; *enim* v. 102 non habet quo referatur, neque *eadem* v. 104 hoc loco aptum est neque infinitivus qui dicitur historicus *videri* in v. 102. Quae recepi, eis probabilis saltem sententia effici videtur; *odio* proposuit Sandstroem emend. p. 26.

103. Verg. Aen. X, 138.

104. *sidereos diffusa sinus*; sinus laxus est signum laetitiae et voluptatis, Hor. c. I, 30, 5 *fervidus tecum* (cum Venere) *puer et solutis*

Digitized by Google

et maculis suffecta genas pinumque sonantem
virginibus Stygiis nigramque simillima pallam.
Iamque dies aderat, Thracas quo fuderat armis
dux Lemni puppes tenui contexere canna
ausus et inducto cratem defendere tergo.
laeta mari tum signa refert, plenasque movebant

Gratiae zonis (properent); Tib. I, 6, 39 seq. *tum procul absitis quisquis colis arte capillos Et fluit effuso cui toga laxa sinu*; eleg. in Maec. 59 *et tibi securo tunicae fluxere solutae*; Sen. Oed. 422 seq. *inde tam molles placuere cultus Et sinus laxi fluidumque syrma.* Contrarium describitur Stat. Theb. XII, 108, ubi poeta narrat orbas viduasque viris ante portas Thebarum interfectis advenisse ad propinquos plangendos: *par habitus cunctis: deiecti in pectora crines, Accinctique sinus. sidereus* adiectivum adhibetur ad candorem corporis indicandum ut IV, 190; 331; Ov. met. XI, 445; Stat. silv. I, 2, 141; II, 1, 42; Ach. II, 135; Theb. I, 577; V, 613; Mart. IX, 36, 10; X, 66, 7; Sen. Oed. 410; Claud. de nupt. Hon. 252; laudis Ser. 219; epithal. 3; de rapt. Pros. III, 178; *sidus* legis pro pulchritudine dictum Stat. silv. III, 4, 26; Theb. II, 159.

105. *pinumque sonantem—simillima*; accusativus Graeco more ex adiectivo pendens plerumque significat, si de homine dicitur, partem ipsius hominis, ut *nuda genu, os umerosque deo similis, similis vocem, animum mitis*; hoc loco longius progressus est poeta.

pinus sonans significat facem pineam, quae cum vehementer vibratur, sonitum edit, cfr. V, 33 *rapidae sonuere faces*; *pinus* pro face saepius invenitur, ut Verg. Aen. VII, 397; IX, 72; Sil. X, 549; XIV, 303; 420; Claud. de rapt. Pros. I, 40; Prud. psychom. 43; Orient. common. I, 135.

107. Ab audacia Valerii non alienum est, quod legitur in Vat. *Thracas q u i fuderat armis*; sed si ita scribimus, ducem Lemni ad reditum demum puppes contexuisse putandus est, quod ineptum. Schenkl (sic iam ante eum Maserius et Caussin) puncto post *aderat* posito *qui* ad *ducem* rettulit; at hoc probari ita demum posset, si antea de nocte dictum esset, vel certa dies iam commemorata. Recepi coniecturam Burmanni, de plusquamperfecto cfr. Plaut. Aul. 33.

108. Quoniam Argo primam fuisse navem iustam ex arboribus factam cum aliis poetis Valerius tradidit, sibi constitit hoc loco, ut diceret has puppes ex alia materia factas esse, quales erant apud barbaras nationes, cfr. Luc. IV, 130 seqq.

Digitized by Google

armentis nuribusque rates: it barbara vestis
et torques, insigne loci; sonat aequore clamor
'o patria, o variis coniunx nunc anxia curis,
has agimus longi famulas tibi praemia belli';
cum dea se piceo per sudum turbida nimbo
praecipitat Famamque vagam vestigat in umbra,
quam pater omnipotens digna atque indigna canentem
spargentemque metus placidis regionibus arcet

---

111. Permultis poetarum locis *nurus* significant feminas iuvenilis aetatis, at *matres* maturioris, ut v. 160; III, 358; IV, 369; II, 80; VII, 113; Ov. met. VII, 363; XIII, 560 al., vel coniunctim nominantur, ut Val. VIII, 141; Ov. met. III, 529; IV, 9; XII, 216 al.

et Vat., *it* ed. Bonon. et Ald. i. e. navibus vehitur, cfr. Hor. epod. IX, 30; Ov. her. II, 36; 92; VII, 40; X, 125; XVIII, 30; met. XIV, 227; Luc. III, 228; Tib. I, 4, 45; IV, 1, 193.

112. *torques* inter ornamenta Thracum fuisse indicat poeta; *loci*, unde veniebant, ubi vicerant.

113. Non sine consilio amantes coniugum viros Lemnios describit Valerius, cfr. ad v. 79.

anxia curis; Ov. met. IX, 275.

114. *praemia belli*; Luc. I, 341.

115. Ut hoc loco Venus, sic apud Verg. Aen. X, 633 Iuno nimbo contecta se ad terram praecipitat.

116. De *Fama* locus notissimus est Verg. Aen. IV, 173 seqq.; cfr. etiam Ov. met. XII, 39 seqq. Vergilius nimis indulsit cupiditati huius deae accuratius describendae, eo moderatius egit Valerius, qui paucissima a Vergilio, pauca ab Ovidio sumpsit; etiam breviores quam Valerius sunt Luc. I, 471 seq. et Claud. de laud. Stilich. II 408 seqq. et Stat. Theb. III, 425. Conferantur praeterea Ov. met. II, 760 seqq., ubi sedes Invidiae describitur, et VIII, 788 seqq., ubi similiter de Fame agitur et XI, 592 seqq., ubi Somni domicilium nobis ante oculos proponitur.

117. Etiam apud Ovidium Famam inter caelum et terram habitare legimus in confinio quidem terrae caeli maris, sed ideo, quia ab eo loco omnia, quae in mundo fiant, conspici possunt, apud Valerium Iuppiter eam quasi indignam caelo prohibet.

digna atque indigna canentem; Verg. Aen. IV, 190 *facta atque infecta canebat.*

Digitized by Google

aetheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
non erebi, non diva poli, terrasque fatigat,
quas datur; auditam primi spernuntque foventque;
mox omnes agit et motis quatit oppida linguis.
talem diva sibi scelerisque dolique ministram
quaerit avens. videt illa prior, iamque advolat ultro
impatiens, iamque ora parat, iam suscitat aures.
hanc superincendit Venus atque his vocibus implet:
'vade age et aequoream, virgo, delabere Lemnon
et cunctas mihi verte domos, praecurrere qualis
bella soles, cum mille tubas armataque campis
agmina et innumerum flatus confingis equorum.
adfore iam luxu turpique cupidine captos
fare viros carasque toris inducere Thressas.
haec tibi principia, hinc rabidas dolor undique matres
instimulet: mox ipsa adero ducamque paratas.'
Illa abit et mediam gaudens defertur in urbem;
et primam Eurynomen ad proxima limina Codri

---

121. *audentem* Vat.; *auditam* Thilo; spernunt quidem, sed tamen animo, quae audiverunt, servant.

124. *avens*: cfr. ad I, 100.

126. *superincendit* i. e. insuper incendit; verbum est ἅπαξ λεγόμενον ut *protonat* IV, 205.

implet, excitat; v. 167; III, 220; IV, 81; (Ov. am. II, 3, 11;) Stat. Theb. III, 619; cfr. etiam Ov. met. VII, 428 *muneribusque deos implet.*

127. Verg. Aen. III, 462; IV, 223.

130. *flatus – equorum* i. e. fremitus: Verg. Aen. XI, 911; Sil. V, 433; Nemes. cyneg. 256; paullo aliter se habent loci Verg. georg. III, 111 et Sil. XVI, 421, ubi *flatu* anhelitus equorum currentium indicatur; cfr. Stat. silv. I, 1, 21.

131. Verg. Aen. IV, 194.

133. *rapidas* Vat.; *rabidas* ed. Bonon. dolor undique quasi impetum faciat in matres.

136. *proxima limina* sc. sibi.

Vat. *a c proxima*, quod si servamus, intolerabili ratione constructio turbatur obiecto quod est *proxima littora* inter *Eurynomen* et *exesam* interposito; recepi cum Baehrente *ad* coniecturam Carrionis.

Digitized by Google

occupat exesam curis castumque cubile
servantem: manet illa viro famulasque fatigat
velleribus, tardi reputant quae tempora belli
ante torum et longo mulcent insomnia penso.
huic dea cum lacrimis et nota veste Neaerae
icta genas 'utinam non hic tibi nuntius essem,
o soror, aut nostros' inquit 'prius unda dolores

---

137. Verg. Aen. VIII, 411 seqq.; sine dubio etiam Lucretiae historia poetae ante oculos versabatur.

138. *manet illa viro* i. e. se viro castam servat.

139. *littoribus* Vat., *velleribus* ed. Ald. Thilo praef. p. XVI putat significasse poetam, famulas fatigatas esse iterum iterumque ad littora missas; sane non aliena est ab audaci Valerii breviloquentia talis dicendi ratio, sed quominus hanc sententiam probemus, aperte prohibemur eis, quae Valerius v. 139 seq. exponit.

tardi reputant quae tempora belli recte explicari videtur, famulas consolatas esse dominam sollicitam, quod vir nondum redierit, cum reputarent propter longinquitatem belli virum nondum redire potuisse.

140. *longo—penso*, Verg. Aen. VIII, 411.

141. Fama se assimulat Neaerae, id quod varia ratione poetae licebat exprimere; poterat dicere *nota voce* Neaerae, quam coniecturam Heinsii receperunt Schenkl et Baehrens; sed videtur etiam dicere potuisse *nota veste*, quod in Vat. legitur; tutius igitur duxi nihil mutare, cfr. etiam Verg. Aen. V, 620 (Iris a Iunone missa) *faciemque deae vestemque reponit* et Val. ipsius VII, 211.

142. *icta genas* de planctu dictum quidem praeter consuetudinem, sed non inepte, quare recte nihil mutandum censuerunt recentiores editores.

nuntius dictus de femina exemplo caret, sed cfr. quod legitur IV, 667 *advertere dei* i. e. Iuno et Minerva; vide etiam quae ad VI, 657 dicta sunt. *esset* pro *essem* probaverunt at non receperunt Burmann Wagner Thilo.

143. *dolores* significant eum vel eos, qui dolorem afferunt, sive maritos sive Thressas mulieres; cfr. *amores* dictos pro homine amato et quae ad VI, 499 de *curae* notione dicentur; vide etiam I, 23. Immerito autem offendit Thilo in praef. p. XXIV in eo, quod post imperfectum *essem* sequatur praesens *obruat*: illud infectum fieri nequit, hoc etiam tum accidere potest; *prius* sc. quam Lemnum appellant. Neque sine causa mutantur tempora in v. 147.

Digitized by Google

obruat, in tali quoniam tibi tempore coniunx
sic meritae, votis quem tu fletuque requiris,
heu furit et captae indigno famulatur amore.
iamque aderunt thalamisque tuis Threissa propinquat
non forma, non arte colus, non laude pudoris
par tibi nec magni proles praeclara Dorycli,
picta manus ustoque placet sed barbara mento.
attamen hos aliis forsan solabere casus
tu thalamis fatoque leges meliore penates;
me tua matris egens damnataque pelice proles
exanimat, quam iam miseros transversa tuentem

---

146. *captae* dativus est pendens a *famulatur*.

148. Hom. Il. I, 115. *fama* Vat., *forma* Ald. edit.

150. Thraces, ut etiam aliae barbarae gentes et antiquitatis et nostri temporis, manus et ora aliasque corporis partes notis compungere vel pingere solebant, cfr. Cic. de off. II, 25, qui barbarum compunctum notis Thraeciis commemorat; de Gelonis idem traditur Verg. georg. II, 115; Claud. in Ruf. I, 313; de Agathyrsis Verg. Aen. IV, 146; Prisc. perieg. II, 302; de Parthis Mart. X, 72, 7; saepissime de Britannis: Caes. bell. gall. V, 14; Mel. III, 6; Prop. II, 18, 23; Mart. XI, 53, 1; XIV, 99, 1; Claud. de III. cons. Hon. 54; de laud. Stil. II, 248; de bell. Poll. 417; vid. etiam Herod. V, 6; Xenoph. anab. V, 4, 32. *usto—mento* i. e. mento notis inusto.

sed coniunctio praeter consuetudinem hoc loco post quartum demum vocabulum positum est; post quintum adeo invenitur IV, 484; post tertium VI, 653; post secundum III, 194; IV, 544; V, 554; VII, 160; 174; VIII, 318; post primum I, 236; 475; 522; IV, 231; 691; V, 460; 663; VI, 93; 126; 687 aliisque locis non paucis.

151. *tales* Vat., *aliis* Heinsius; cfr. Stat. Theb. V, 138 *ipsa faces alias melioraque foedera iungam*.

153. *damnata* participium (sc. morti, cfr. ad I, 787) cum ablativo personae, qui est *pelice*, coniungitur ut apud Hor. epist. I, 1, 94 *curatus inaequali tonsore*; c. I, 6, 2 *scriberis Vario—Maeonii carminis alite*; Iuv. III, 91 *ille—quo mordetur gallina marito*.

154. *transversa tuentem* cfr. ad I, 38, et praeterea Verg. eclog. III, 8 *transversa tuentibus*; Aen. V, 19 *transversa fremunt*; Stat. Theb. I, 348 *transversa frementes*.

quam pronomen ad pelicem referendum apparet.

Digitized by Google

letalesque dapes infectaque pocula cerno.
scis simile ut flammis simus genus; adde cruentis
quod patrium saevire Dahis. iam lacte ferino,
iam veniet durata gelu. sed me quoque pulsam
fama viro, nostrosque toros virgata tenebit
et plaustro derepta nurus.' sic fata querellas
abscidit et curis pavidam lacrimisque relinquit.
transit ad Iphinoen isdemque Amythaonis implet
Oleniique domum furiis; totam inde per urbem
personat, ut cunctas agitent expellere Lemno,
ipsi urbem Thressaeque regant. dolor iraque surgit.

---

155. *infecta* sc. veneno, ut II, 496; VII, 552; Lucan. VII, 851.

156. *scis—ut—simus; ut* particula i. e. *quomodo* ponitur post verba dicendi et sentiendi pro accusativo cum infinitivo etiam statim infra 164; cfr. praeterea Verg. georg. I, 56; eclog. IV, 52; V, 6; legitur in prosa quoque oratione velut Cic. de fin. V, 48.

157. *patrium saevire Dahis*; pro Thracibus omnibus nominavit Valerius certam quamlibet gentem sane more poetico, at hoc loco eam, quae longissime a Thracia remota habitet ad littus maris Caspii et inter Scythas numeretur, vid. Plin. nat. hist. VI, 50; Strab. VII, 3, 12; XI, 8, 2; sed omnino poeta Scytharum et Thracum gentes in unum confundit, cfr. ad VI, 42.

lacte ferino i. e. equino; cfr. Verg. Aen. XI, 571; Hippemolgos gentem Scythicam commemorant Hom. Il. XIII, 5; Strab. VII, 3, 2; Prisc. perieg. 301; cfr. etiam ad V, 603.

158. *durata gelu* sc. pelex; cfr. Stat. Ach. II, 393 *durataque multo Sole geluque cutis*; de frigore Thraciae notae sunt querelae Ovidii; cfr. infra v. 177.

159. *virgata* a nonnullis de veste dictum intellegitur, sed hoc quidem loco sine dubio rectius explicatur de corpore notis compuncto, quod iam supra poeta tetigerat v. 150. Eadem sententia *virgae* dicuntur ab Ov. art. III, 269 *pallida purpureis tangat sua corpora virgis*. Sic apud Nicandrum Theriac. 725 ῥάβδοι dicuntur de notis, quas araneae quaedam in corpore habent.

160. *directa* Vat., *derepta* Vossius. Indicatur vita Nomadum cum plaustris vagantium; cfr. II, 178 et VI, 80; Claud. de IV. cons. Hon. 53; est mos Scytharum notissimus et saepe ab antiquis commemoratus.

161. *curis—lacrimisque* dativos recte explicat Burmann.

Digitized by Google

obvia quaeque eadem traditque auditque neque ulli
vana fides. tum voce deos, tum questibus implent,
oscula iamque toris atque oscula postibus ipsis
ingeminant lacrimisque iterum visuque morantur.
prosiliunt nec tecta virum thalamosque revisunt
amplius; adglomerant sese nudisque sub astris
condensae fletus acuunt ac dira precantur

---

167. *implent*; cfr. ad II, 126. *tum*, quod est ante *questibus*, om. Vat; add. Vaticanus 1613.

168. *oscula postibus ipsis ingeminant*: de re cfr. Verg. Aen. II, 490; IV, 659; de verbis Stat. Theb. V, 594 *ingeminat misera oscula tantum Incumbens*; Ov. met. III, 369 *ingeminat voces*; Stat. Theb. I, 419 *crebros ictus—ingeminant*.

170. Neque Heinsius, qui *moratae* pro *morantur* scribendum proposuit, neque Schenkl, qui ante 170 versum excidisse aut locum a poeta imperfectum relictum esse putat, mentem Valerii assecuti videntur: ipso asyndeto abruptoque sermone poeta subito et fortiter captum consilium mulierum indicavit, quae mentis ira abreptae amplius non cunctentur.

171. *adglomerandi* verbo Vergilius primus usus videtur, sed modeste, ut dativum adiungat, cui quid se adglomerat: Aen. II, 339 *lateri*; XII, 457 *cuneis coactis* (sic etiam Mar. Vict. Aleth. III, 273); studiose id verbum arripuit Valerius, sed neglecta propria significatione dicit adglomerare pro simplici glomerandi verbo, ut hoc loco 'sich zum Knäuel ballen' et simili notione *latera adgl.* III, 87; *tenebras* II, 197; *fretum* II, 499; ex imitatione Valeriana autem Silius scripsit V, 238 *tunc alacres arma adglomerant*.

Domibus relictis noctem caelo sideribus illustri sub divo agunt mulieres; *nudis sub astris*, nubibus non obtectis i. e. sub divo sine exemplo dictum videtur.

172. *fletus acuunt* duabus rationibus explicare licet: aut fletus, qui antea iam fiebant, *augent* aut *acriter flent*, illud usitatius est, hoc magis poeticum, cfr. Verg. Aen. XII, 108 *Aeneas acuit Martem* i. e. acriter bellum parat, indutiis enim factis nondum pugnabatur; Sen. Troad. 834 (Chiron) *tunc quoque ingentes acuebat iras bella canendo* i. e. acrem Achillis iram ad pugnandum, quam nondum habebat, excitat.

A deis petunt Lemniades, ut nova cum Thressis coniugia maritis dira evadant.

Digitized by Google

coniugia et Stygias infanda ad foedera taedas.
Has inter medias, Dryopes in imagine maestae,
flet Venus et saevis ardens dea planctibus instat
primaque 'Sarmaticas utinam Fortuna dedisset
insedisse domos tristesque habitasse pruinas
plaustraque; quin etiam patriae vidisse per ignes
culmen agi stragemque deum! nam cetera belli
perpetimur. mene ille novis, me destinat amens
servitiis? urbem aut fugiens natosque relinquam?
non prius ense manus raptoque armabimus igne,
dumque silent ducuntque nova cum coniuge somnos,
magnum aliquid spirabit amor?' tunc ignea torquens

---

173. De re cfr. Ov. her. VI, 45 seq. *at mihi nec Iuno nec Hymen sed tristis Erinys Praetulit infaustas sanguinolenta faces*; Senec. Octav. 23 seq. *illa illa meis tristis Erinys thalamis Stygios praetulit ignes.* Omnino id, quod exitium fert, a poetis *Stygium* dicitur, ut Ov. met. III, 76; Lucan. VI, 91; Sil. XII, 137; Val. VI, 155; VIII, 87.

174. *Dryopes in imagine*; plerumque dicitur *sub imagine*, sed cfr. IV, 391 et Ov. amor. I, 10, 4 *quam* (Ledam) *Callidus in falsa lusit adulter ave*; imitatus est Valerium Statius silv. V, 3, 289 et Theb. III, 528.

176. *primaque* sc. ait, cfr. ad I, 174.

177 sq. Locum imperfectum putat Schenkl, mihi potius corruptelis inquinatus videtur; in 178 Vat. habet *plaustra sequi vel iam*, ego scripsi *plaustraque*; *quin etiam*. Dryope falsa optat, ut ipsa sit inter Thracias mulieres, quae antea Sarmaticas domos et plaustra habitaverint, tum autem novae futurae sint coniuges virorum Lemniorum. At etiam ea quae sequuntur *per ignes culmen agi* sana non sunt; probabilis autem emendatio nondum inventa, nam quae proposuit Burmann *per arces fulmen agi* non apta sunt propter verba *cetera belli perpetimur. stragem deum* explicat Wagner caedem a deis immissam; Lemaire statuas (cur non potius templa?) deorum stratas fractasque. Cfr. Verg. Aen. IV, 670.

181. *aut* coniunctio primo sententiae vocabulo postposita reperitur etiam IV, 103; 448; V, 453; secundo V, 164; VIII, 168.

183. *silent* i. e. quiescunt, ut IV, 281. *ducunt somnos*, cfr. Verg. Aen. IV, 560; *educere somnos* dixit Sil. XI, 403; aliis locis significat somnum *adducere*, efficere. cfr. Bentl. ad Hor. ep. I, 2, 31.

Digitized by Google

lumina praecipites excussit ab ubere natos.
ilicet arrectae mentes evictaque matrum
corda sacer Veneris gemitus rapit: aequora cunctae
prospiciunt simulantque choros delubraque festa
fronde tegunt laetaeque viris venientibus adsunt.
iamque domos mensasque petunt; discumbitur altis
porticibus; sua cuique furens festinaque coniunx
adiacet, inferni qualis sub nocte barathri
accubat attonitum Phlegyan et Thesea iuxta
Tisiphone saevasque dapes et pocula libat
(tormenti genus) et nigris amplectitur hydris.
Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum

---

186. *ilicet* mutata significatione pro particula *ilico* ponitur inde a Vergilio, ut Aen. II, 424; VII, 583; VIII, 223 al.; apud Val. ipsum III, 58; 730; IV, 451; etiam apud posteriores, velut Martianum Capellam, Paulinum Nolanum, Alcimum Avitum, Apollinarem Sidonium, Cresconium Corippum.

186. *arrectae mentes*; Verg. Aen. V, 643.

187. *sacer—gemitus*; cfr. ad I, 798.

188. *delubra—fronde tegunt*; Verg. Aen. II, 248 seq.

191. *festinaque coniunx* Vat., quod a multis viris doctis in suspicionem vocatum est, sed immerito, ut videtur. Burmann explicat 'per epulas ad facinus festinabant'; nullam moram mulieres interponebant aliud agendo, cfr. Verg. Aen. IX, 488 *tibi quam* (vestem) *noctes festina diesque Urgebam.*

193. Theseus et Phlegyas una nominantur etiam a Verg. Aen. VI, 618. Phlegyae filiam Coronidem Apollo vitiavit, unde Aesculapium suscepit, sed pater dolore correptus templum Apollinis Delphici incendit ideoque eius sagittis confossus et in Tartarum deiectus est; vid. Serv. ad Verg. Aen. VI, 618; myth. Vat. I, 205; II, 128.

194. De re cfr. Stat. Theb. I, 712 seqq., ubi Megaera nominatur pro Tisiphone. Ex Statii verbis apparet Tisiphonen praegustandis dapibus fastidium edendi Phlegyae et Theseo movisse, ita ut fame gravissime vexarentur; apud Verg. Aen. VI, 606 ipsis manibus furia prohibet Ixionem Pirithoumque, quominus epulas splendidissime apparatas attingant.

195. *tormenti genus*; Verg. Aen. VIII, 487.

196. Thilo praef. XXVII putat poetam ipsum secum pugnare,

Digitized by Google

adglomerat tenebras pugnaeque accincta trementem
desilit in Lemnon; nimbis et luce fragosa
prosequitur polus et tonitru pater auget honoro.
inde novam pavidas vocem furibunda per auras
congeminat, qua primus Athos et pontus et ingens
Thraca pavet pariterque toris exhorruit omnis

---

cum 174 seqq. Venerem in imagine Dryopes Lemniades ad coniuges interficiendos adhortatam esse dixerit, v. 197 autem e caelo eam desiluisse narret. At hae duae res non continuo tempore actae sunt, sed intercedit spatium aliquod, quo ea fiunt, quae 187—191 narrantur. Venus interim evanuerat, quod Valerius sane aperte addere omisit, iamque vera dea ex caelo revertitur; vide praef. p. 8.

undantem pinum i. e. facem pineam; *undare* si ad ignem transfertur, proprie dicitur de igne liquido, quem montes evomunt, vid. Verg. georg. I, 472; tum de motu flammarum undulato, ut Verg. Aen. XII, 672; Sil. IX, 446.

198. *luce fragosa* i. e. fulmine cum tonitru coniuncto; *fragosus* de vehementi et rauco sonitu, qualis est tonitrus, dicitur etiam Verg. Aen. VII, 566; Claud. de cons. Stil. 337; Iuvenc. III, 229; proxime ad locum Val. accedit Prudent. cathem. VII, 94 seq. *nimbos crepantes et fragosos turbines Vibrans tonantum nube flammarum quatit.*

desilit in Lemnon; Stat. Theb. XI, 472 de Pietate narrans *desiluitque polo*; cfr. Merobaud. paneg. in Aetium 69 *hanc ubi diva nocens liquido de trami* [te vidit], *desilit* sc. in terram.

200. Advocat Venus horrenda voce, qua tota regio terrore completur, deos inde a 204 nominatos; imitatus esse videtur Valerius in universum Verg. Aen. VII, 511 seqq., cfr. praeterea Stat. Theb. I, 114 seqq.

201. *vocem—congeminat*, cfr. VI, 513 *congeminare paeana*; Verg. Aen. XI, 698 et Val. VI, 378 *securim*; XII, 714 et Val. II, 535 *ictus*; Sil. III, 196 *sonitus*; XVI, 267 *suspiria*; Stat. Theb. I, 116 *sibila*; VI, 41 et Val. IV, 71 *fragorem*; Coripp. Ioh. IV, 397 *sonos*.

201. Primum Athonem clamore Veneris exhorruisse non inepte dicitur, cum montibus potissimum omnis sonus repercutiatur.

202. *Thraca palus* Vat., sed commemoratio Thraciae paludis post pontum commemoratum non apta est; *pavet* Pierson (cfr. stud. Vindob. V, 140); *Thraca* pro *Thracia* legitur apud Verg. Aen. XII, 335; Hor. epist. I, 3, 3; 16, 13.

Digitized by Google

mater et adstricto riguerunt ubere nati.
accelerat Pavor et Geticis Discordia demens
e stabulis atraeque genis pallentibus Irae
et Dolus et Rabies et Leti maior imago
visa truces exerta manus, ut prima vocatu

---

203. Verg. Aen. VII, 518; Apoll. IV, 136 seqq.

204. Amant poetae Romani notiones, quae sub sensus non cadunt, tanquam personas vel deos deasque fingere; quae hoc loco leguntur, plerumque in comitatu Martis nominantur, ex parte tantum praeierant Graeci. Δεῖμος Φόβος Ἔρις commemorantur Hom. Il. IV, 440; Δεῖμος et Φόβος Il. XV, 119; Hesiod. scut. Herc. 195; 463; cfr. Il. XI, 37; Hesiod. Theog. 934; Φόβος Il. XIII, 299.

Apud poetas Romanos haec fere imprimis notabilia: *Pavor* Ov. met. IV, 485; Stat. Theb. III, 425; VII, 108; 127; Claud. de laud. Stil. II, 373; in Ruf. I, 343; pro eo *Formido* Verg. Aen. XII, 335; cfr. Claud. in Ruf. I, 343; vel *Metus* Verg. georg. III, 552; Aen. VI. 276; Stat. Theb. VII, 49; Sil. IV, 325; Claud. de laud. Stil. II, 373; in Prob. et Olybr. cons. 78; vel *Terror* Sil. IV, 325; Ov. met. IV, 485; vel *Timor* Verg. Aen. IX, 716.

Discordia Stat. Theb. V, 74; VII, 50; Ennius apud Hor. sat. I, 4, 60; Verg. Aen. IV, 280; VIII, 702; cfr. omnem modum egredientem Claud. in Ruf. I, 28 seqq.

Irae Verg. Aen. XII, 336; Stat. Theb. III, 424; VII, 48; IX, 833; (vel totus exercitus irarum) Sil. IV, 437.

Dolus; pro eo habet *Insidias* Verg. Aen. XII, 336; Stat. Theb. VII, 50.

Rabies; pro ea *Furor* invenitur Stat. Theb. III, 424; Sil. IV, 325; *Furores* Stat. Theb. IX, 833; *Insaniam* habet Ov. met. IV, 485.

Letum Verg. Aen. VI, 277; auget Sil. IV, 438, ubi legitur *Leti innumerae facies*; *Mortem* habet Stat. Theb. VII, 53. Praeterea non ab re erit dicere, *Nefas* tanquam personam cogitari Stat. Theb. VII, 48; *Luctum* Verg. Aen. VI, 274; Ov. met. IV, 484; *Fugam* Val. VI, 181; Verg. Aen. IX, 716; *Impetum* Stat. Theb. VII, 47; Claud. in Prob. et Olybr. cons. 78. Huic ipsi loco Valerii omnino maxime similis est enumeratio, quae reperitur apud Stat. Theb. VII, 48 seqq.; cfr. etiam Verg. Aen. VI, 274 seqq.

207. *exerta manus:* Claud. rapt. Pros. III, 377. *ut prima*; cfr. ad I, 765.

Digitized by Google

intonuit signumque dedit Mavortia coniunx.
hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum
orsa nefas gemitus fingit vocesque cadentum
inrupitque domos, et singultantia gestans
ora manu taboque sinus perfusa recenti
arrectisque comis 'meritos en prima revertor
ulta toros, premit ecce dies'. tum verbere victas
in thalamos agit et cunctantibus ingerit enses.

208. *Mavortiam coniugem* Venerem poeta non sine acerbitate dixit, quia ab eius cum Marte consuetudine tota haec calamitas initium ceperat.

209. Verg. Aen. II, 199. Non praetereundum hoc loco videtur, quod poeta ut viros prorsus innocentes describit, sic etiam culpam mulierum, quantum fieri poterat, elevare conatur. Iam primum reputandum est, nisi dea ipsa intercessisset, tantum nefas eas neque ausuras neque omnino mente concepturas fuisse. Neque solum post Famam ipsa Venus sub imagine Dryopes feminas instigavit, sed etiam vera dea caelum et terras, ut aiunt, miscuit. At ne hoc quidem satis esse ei videbatur, sed foeda fraude caedis iam initium factum esse postquam indicavit, ipsa in thalamos agit mulieres atque dat arma: ita demum caedes re vera oritur. Simili modo Medea apud Valerium sola fere dearum opera ad Iasonem amandum quasi cogitur.

211. Non veretur poeta Romanus foedissimam imaginem nobis ante oculos proponere, dummodo imminuat, ut antea dictum, mulierum culpam: apparet Venus manu gestans caput abscisum viri.

212. *singultandi* verbum saepius invenitur, cum de morientibus dicunt poetae, sed varia ratione usurpatur: simpliciter significat nostrum 'roecheln' hoc loco, tum Sil. I, 388 et Stat. Theb. VIII, 753; cfr. substantivum *singultus* Val. III, 107; Verg. georg. III, 507; Aen. IX, 415; Ov. met. VI, 509; Luc. VIII, 683; Stat. Theb. III, 90; Coripp. Ioh. IV, 934. *anima* dicitur *singultare* Sil. XIV, 551; *animam singultare* transitiva vi legitur Ov. met. V, 134; Stat. Theb. V, 261; denique audacius scripsit Verg. Aen. IX, 332 *tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit Sanguine singultantem.*

213. *arrectasque comas* Vat., *arrectisque comis* Peerlkamp ad Verg. Aen. X, 726. *meritos—toros*, cfr. ad I, 727.

215. *invenit* Vat.; *ingerit* Heinsius; cfr. Nemes. cyneg. 5 *Castaliusque mihi nova pocula fontis alumnus Ingerit*; Koch coniect. p. 17

Digitized by Google

unde ego tot scelerum facies, tot fata iacentum
exsequar? heu vatem monstris quibus intulit ordo!
quae se aperit series! o qui me vera canentem
sistat et hac nostras exsolvat imagine noctes!
invadunt aditus et quondam cara suorum
corpora: pars ut erant dapibus vinoque soporos,

---

scripsit *induit*, quod probarem, si repertum esset exemplum, quo non arma sed gladium induere legeretur; Baehrens scripsit *inserit* coll. loco Stat. Theb. V, 230, quem non intellexit.

216. *scelerum facies*; VIII, 312; Verg. Aen. VI, 560; *scelerum figuras* dixit de eadem re Stat. Theb. V, 206.

217. *vatem monstris quibus intulit ordo*; *ordinis* substantivum simpliciter scribitur pro ordine rerum, ut versu qui sequitur *series*, cfr. Stat. silv. III, 3, 63 *laeta series* i. e. series laetarum rerum et Theb. I, 7 *longa series*. Pronomen interrogativum hoc loco et IV, 438; 441 post alterum vocabulum collocatum est, post tertium IV, 569 et VII, 426.

218. *o, qui me vera canentem sistat*: o utinam sit, qui me sistat; imitatus est poeta Verg. georg. II, 488 *o, qui me gelidis in vallibus Haemi sistat*.

219. *noctes* intellegit Pius lucubrationes, carmen per noctes confectum, quem secutus est Wagner; Burmann rectius somnia per noctes apparentia coll. III, 362; sed vel ipse hic locus libri tertii ostendit, non solum de imaginibus per somnum oblatis cogitandum, sed etiam de eis rebus, quae homini per noctem vigilanti vel insomni imaginandi vi plures et vividiores et magis horribiles offerri solent quam interdiu aliis rebus occupato et districto; varias virorum doctorum coniecturas ut *voces mentes cartas* prorsus supervacaneas puto; cfr. etiam Sil. II, 563. Ceterum *nostras noctes* scripsit poeta, quamquam antea *me sistat* scripserat, de qua varietate cfr. Catull. 6, 16; 64, 139 seq.; 68, 37; 132; 77, 4; 116, 3.

220. *invadunt aditus* sc. thalamorum.

221 seqq.; in explicandis his versibus longe a vero aberraverunt Heinsius Burmann Baehrens: tres partes mulierum (vel si 239 seqq. comprehendimus, quattuor) distinguit poeta: unam partem, quae viros suos somno vinoque sopitos trucidet; de his quidem accuratius quidquam addere non opus erat, nisi quod fortasse breviter comprehenduntur cum tertia parte v. 233 et 234; alteram, quae facibus et gladiis armata domibus incensis viros comburat; de his loquitur

Digitized by Google

pars, conferre manus etiam magnisque paratae
cum facibus, quosdam insomnes et cuncta tuentes.
sed temptare fugam prohibetque capessere contra
arma metus; adeo ingentes inimica videri
diva dabat, notaque sonat vox coniuge maior.
tantum oculos pressere manu, velut agmina cernant
Eumenidum ferrumve super Bellona coruscet.

fusius poeta 235—238; tertia pars aggreditur ferro viros vigilantes quidem sed metu torpentes, de his accuratius dicit v. 224—234. Haec omnia plana et aperta, sed eo paullum hanc sententiam obscuravit poeta, quod variandi studio v. 223 dicit *quosdam insomnes*, non, ut debebat, *pars insomnes*: at hoc leve, illud potius vituperandum, quod *conferre manus paratae* si verba spectamus, ad alteram tantum mulierum partem pertinet, si sententiam, etiam ad tertiam.

221. *soporus* aliis locis significat id, quod somnum facit, Verg. Aen. III, 630 dicit *dapibus vinoque sepultus*. Conferre licet adiectivum *honorus*, quod plerumque activa significatione usurpatum, pro *honesto honorato* scripsit Stat. Theb. V, 40.

222. *paratae*, unde pendent verba *manus conferre*, audacia Valerio quidem non insolita post *magnisque* traiectum est, cfr. ad I, 284.

223. *insomnes et cuncta tuentes*; Verg. Aen. IX, 345 *vigilantem et cuncta videntem*.

225. *metus*; posteriore syllaba producta ut *sanguis* III, 234; *subiit* IV, 188; *impulerit* V, 164; *saevus* VI, 152; *genitor* VI, 305; *brevibus* VI, 571; *abiit* VI, 612; *impediit* VIII, 259.

226. *nota—vox coniuge maior*, i. e. quam vox coniugis; talia brevitatis ad comparationes adhibitae exempla notissima sunt et apud Graecos et apud Romanos; satis sit afferre Iuv. III, 90; de sententia cfr. Sil. III, 699 *ac maior nota iam vox prorumpit in aures*.

227. *manu* om. Vat., add. Burmann; *agmina* dicuntur Eumenidum, quamquam tres tantum numerantur, rhetorica et poetis Romanis solita superlatione; cfr. VII, 148; Verg. Aen. IV, 469; VI, 572; Sen. Thyest. 78; Prud. in Symm. I, 362; sic *turbam* Furiarum dixit Sen. Med. 958 et *cohortem* Thyest. 250. Item *turba* et *agmen* de tribus pueris dicitur apud Stat. silv. IV, 8, 43 et 44; et *tot iuvenes* de duobus pueris Thyestae Sen. Thyest. 523 et *omnes* de tribus hominibus Tacit. ann. I, 13; Suet. Cal. 24.

228. *ferrumve—coruscet*: cfr. Verg. Aen. V, 641 *corripit ignem Sublataque procul dextra conixa coruscat Et iacit*; VIII, 661 *duo—coruscant gaesa*; XII, 431 *hastamque coruscat*; Sil. I, 434 *telumque coruscans*.

Digitized by Google

hoc soror, hoc coniunx, propiorque hoc nata parensque
saeva valet; prensosque toris mactatque trahitque
femineum genus, immanes quos sternere Bessi
nec Geticae potuere manus aut aequoris irae.
it cruor in thalamis et anhelo in pectore fumant
vulnera seque toris misero luctamine trunci
devolvunt. diras aliae ad fastigia taedas
iniciunt adduntque domos: pars ignibus atris

230. *mactatque trahitque*; Verg. Aen. IX, 340 *manditque trahitque* de leone.

231. *Bessi* et *Getae* Thraciae gentes coniunguntur etiam ab Ovidio trist. III, 10, 5; IV, 1, 67; cfr. Strab. VII, 5, 12; Plin. nat. hist. IV, 40. De *nec* particula ad Bessos addenda cfr. ad I, 18. Ceterum Valerio videtur obversatus esse locus Verg. Aen. II, 196 seqq., cfr. Stat. Theb. V, 172 seqq.

233. *his* Vat.; *it* Sabellicus, cfr. Verg. Aen. IX, 434; Koestlin Philol. 38, 55 et Loehbach in obs. critic. *his* servare student interpungendo post *genus* v. 231 et *quos* referendo ad *his*: at opponuntur feminae Bessis et Getis neque haec interpungendo vel interpretando divellere licet. *anhela* Vat; *anhelo* Heinsius.

236. Vitia huius versus sanare varie temptaverunt viri docti neque facile dici poterit, quid Valerius scripsisse videatur. Certe corrupta sunt verba *adduntque domos*; nam vix probabilis est ea ratio, qua explicatur etiam domos mulieres exitio dedisse coll. I, 825; optima fortasse est coniectura, quam Bury proposuit Hermathen. VIII, 399 *clauduntque*; Postgate Journ. of phil. XXII, 309 scripsit *obduntque* (sc. seris) coll. Apul. met. V, 9, sed id nemo extra domum stans facere potest. Tum plerisque suspectum *effugiunt* cum ablativo coniunctum neque hercle magis placet *iniciunt* cum *ad* praepositione coniunctum: in simili re Vergilius dixit Aen. VIII, 491 *ignem ad fastigia iactant* et IX, 568 *taedas alii ad fastigia iactant*; effugiendi autem verbum, saepius cum *ex* praepositione coniunctum, cum solo ablativo uno saltem loco legitur apud Plautum Merc. 660 *patria hac effugiam.*

ignes fumo intermixto *atri* vocantur, cfr. Verg. Aen. VII, 456 seq. *atro Lumine fumantis fixit sub pectore taedas*; VIII, 198 *atros ore vomens ignis;* XI, 196 *subiectisque ignibus atris Conditur in tenebras altum caligine caelum*; cfr. praeterea Hor. epod. V, 82, ubi Schuetz prorsus falsam profert interpretationem; Stat. Theb. V, 175; aliter sane explicandi *atri ignes* apud Ov. fast. II, 561 et Ibid. 631.

Digitized by Google

effugiunt propere, sed dura in limine coniunx
obsidet et viso repetunt incendia ferro.
ast aliae Thressas labem causamque furoris
diripiunt; mixti gemitus clamorque precantum
barbarus ignotaeque implebant aethera voces.
Sed tibi nunc quae digna tuis ingentibus ausis
orsa feram, decus et patriae laus una ruentis,
Hypsipyle? non ulla meo te carmine dictam
abstulerint, durent Latiis modo saecula fastis
Iliacique lares tantique palatia regni.
inruerant actae pariter nataeque nurusque
totaque iam sparsis exarserat insula monstris.
illa pias armata manus 'fuge protinus urbem
meque, pater; non hostis,' ait 'non moenia laesi

Pars virorum fuga ex domibus incensis facta salutem petere temptant, sed frustra; quid altera parte factum sit, sua sponte apparet, quare non opus erat id addere.

237. *in limine – obsidet*; cfr. Terent. Adelph. 717 *domi certum obsidere est.*

239. *labes* de hominibus, a quibus exitium oritur, vel in prosa oratione invenitur; de poetis cfr. Sil. XII, 404; Claud. in Rufin. II, 498; Orient. common. I, 337. Videri potest Valerius hoc versu dicere voluisse Thressas omnes interfectas esse, sed cfr. ad 344.

240. *diripiunt*; cfr. ad I, 825.

243. *ora* Vat., *orsa* Heinsius, cfr. V, 471 et Verg. Aen. VII, 435.

244. De hoc epiphonemate cfr. Verg. Aen. IX, 446 seq.; Sil. IV, 397 seqq.; Stat. Theb. X, 445 seq.

245. *Latii fasti* hoc loco sunt indices magistratuum; quamdiu hi magistratusque Romanorum i. e. respublica Romana durabit, tamdiu carmen suum mansurum Valerius dicit; *durent saecula fastis* dictum pro eo quod est *durent fasti saeculis*; de hoc casuum enallage cfr. ad I, 499; *abstulerint* sc. e memoria.

246. *lares* interdum minus accurate pro penatibus ponuntur, ut Luc. IX, 992; Stat. silv. IV, 5, 2.

247. *nataeque nurusque*; Ov. fast. IV, 295.

250. *laesi Thraces* i. e. afflicti, victi, domiti, cfr. Sil. XI, 6 *heu nimium faciles laesis* (i. e. afflictis) *diffidere rebus*; Ov. ex Pont. III,

Digitized by Google

Thraces habent; nostrum hoc facinus. ne quaere, quis auctor.
iam fuge, iam dubiae donum rape mentis et ensem
tu potius, miserere, tene'. tunc excipit artus
obnubitque caput tacitumque ad conscia Bacchi
templa rapit, primoque manus a limine tendens
'exime nos sceleri, pater, et miserere piorum

6, 21 seq. *crede mihi, miseris caelestia numina parcunt Nec semper laesos et sine fine premunt*; Sen. Phaed. 187 *laesumque flammis torret* (Cupido) *indomitis Iovem*; Coripp. Ioh. VIII (VII), 466 *quem si non laeserit hostis, Nomen erit nostrae mansurum in saecula famae.*

252. *dubiae donum rape mentis*; dum dubia est Hypsipyle, quid faciat, vitam tanquam donum celeriter arripere pater iubetur; indicat his verbis, quantam vim habeat exemplum ceterarum mulierum, quo etiam invita filia pia sibi ipsa diffisa abripi possit.

253. *miserere* sc. 'mei eo, ut gladium ex manibus meis accipias, ne ego invita caedem tamen faciam.'

excipit artus; Burmann 'ad filiae sermones (senem) animo linquentem fingere debemus a filia sustentatum' coll. Ov. met. X, 186 *collapsosque excipit artus*; XII, 423 *protinus Hylonome morientes excipit artus.*

254. *conscia* per prolepsin dictum: templa tum demum conscia fiunt, cum pater et filia introierunt; cfr. v. 410.

255. *rapit* pro eo quod est *raptim ducit* (sed vi non adhibita) primum apud Vergilium inveniri dicitur, velut Aen. VII, 725; X, 308; tum apud Livium Tacitum variosque post Vergilium poetas; sed antea in usu fuerat sermonis cotidiani, inde legitur apud Horatium sat. I, 5, 86 *quattuor hinc rapimur viginti et milia raedis* et iam apud Terentium Phorm. 882 *quin ergo rape me: quid cessas?* Valerii exempla sunt II, 273; 289; 650.

256. *pater* est Bacchus; complures dei hoc nomine honorantur, ut omittam Jovem patrem et Ditem patrem, sic appellatur *Bacchus* apud Acc. trag. 241; Verg. georg. II, 4; 7; Hor. carm. I, 18, 6; III, 3, 13; epist. II, 1, 5; Prop. III, 17, 2; *Ianus* Hor. epist. I, 16, 59; Mart. X, 28, 7; Macrob. sat. I, 9, 15 (cfr. Prelleri mythol. rom. I³ 167 annot. 1); *Vulcanus* Aen. VIII, 394; 454; *Neptunus* Val. I, 193 (*aequoreus pater*); 651; 669; 679; Verg. Aen. V, 14; Sen. Oed. 266; Agam. 553; *Phoebus* Val. V, 18; Stat. silv. I, 6, 1; IV, 4, 95; V, 1, 114; Theb. XII, 228; Sil. IV, 526; nemo saepius quam *Mars*, ideo, ut videtur, quod pater est conditorum urbis Romae: Verg. Aen. XII,

Digitized by Google

rursus' ait. tacita pavidum tunc sede locavit
sub pedibus dextraque dei: latet ille receptus
veste sacra; voces tholus et trieterica reddunt
aera sonum fixaeque fremunt in limine tigres.
regina ut roseis Auroram surgere bigis
vidit et insomni lassatas turbine tandem
conticuisse domos, stabilem quando optima facta
dant animum maiorque piis audacia coeptis,
serta patri iuvenisque comam vestesque Lyaei
induit et medium curru locat aeraque circum
tympanaque et plenas tacita formidine cistas.

180; Ov. art. I, 203; II, 563; Stat. silv. I, 6, 62; Theb. III, 431; IX, 841; Prop. III, 4,11; Anthol. 34, 1 B.; Claud. in Ruf. I, 340; denique vid. Lucil. sat. frg. I, 9 ed. M.

257. *rursus* perobscure dictum est. Aut spectat, ut Wagner voluit, ad aliud beneficium antea a Baccho in Thoantem filium collatum, de quo tamen nihil constat, aut, ut Burmanno visum, ad opem, quam Bacchus Ariadnae a Theseo relictae matri Thoantis tulit. Num *pronus* legendum? cfr. Luc. V, 501.

259. Miraculum sine dubio hoc loco narratur factum esse: voces audiuntur neque quisquam conspicitur, aera sonant, statuae tigrium fremunt; de his rebus cfr. Sil. XVII, 41 seqq. ***chorus*** autem, quod est in Vat., si redderet voces, miraculum non esset neque dici potest chorum adfuisse quidem, sed non apparuisse; recepi igitur ***tholus***, quod primus coniecit Waarenburg, vid. stud. Vindob. V, 140.

trieterica alias sacra ipsa dicuntur, quae tertio quoque anno in honorem Bacchi celebrari solebant, hoc autem loco praeter consuetudinem sic nominantur cymbala aenea ad haec sacra celebranda adhibita, prorsus ut ab Aristonoo in hymno nuper Delphis reperto v. 37 (δωροῦνται δέ σ'ἀθάνατοι) τριετέσιν φαναῖς Βρόμιος.

261. Verg. Aen. VII, 26.

262. *turbo insomnis* est turba et tumultus mulierum insomnium, cfr. ad I, 109; *domos* hoc tumultu *lassatas* esse dicit pro mulieribus quae in domibus versantur; iam usitatius est, quod sequitur, sed et hoc poetice dictum *domos conticuisse*; *turbo* autem pro *turba* vel *tumultu* (Gewühl) dicitur etiam Sil. II, 4; XIV, 297; XV, 627.

263. *quando* saepius primo vocabulo postpositum invenitur, ut I, 241; IV, 122; alteri V, 363.

267. De *cista* Bacchica, quae erat viminibus texta, cfr. Roscheri

Digitized by Google

ipsa sinus hederisque ligat famularibus artus
pampineamque quatit ventosis ictibus hastam
respiciens, teneat virides velatus habenas
ut pater, in nivea tumeant ut cornua mitra
et sacer ut Bacchum referat scyphus. impulit acri

---

lex. myth. I, 1087; apparet in multis nummis Asiae minoris, qui dicuntur cistophori. et in sarcophagis Romanis; vid. etiam Mueller-Wiesel. monum. I, 271; 272; II, 116. In hac cista servabantur etiam angues Baccho sacri, quorum unus prorepens conspicitur; hos tangit Val. v. 276; vide praeterea Catull. 64, 259; Tibull. I, 7, 48; Sen. Herc. Oet. 595; Avien. orb. 1369.

268. *hederis—famularibus*, quales habent Maenades, famulae dei.

269. *pampineam—hastam*; Ov. met. III, 667; her. XIII, 33.

270. *velatus* sc. veste Lyaei.

virides habenae explicantur habenae hedera vel pampinis circumvolutae.

271. *mitra* Baccho propria praesertim in picturis vasorum florentis artis; saepe etiam in aliis artis monumentis, velut apud Mueller-Wies. mon. II, tab. 31 et 32; rarius commemoratur a poetis Latinis, ut Prop. IV, 2, 31; Stat. Ach. I, 617; II, 41; miram eius ornatus explicationem invenies apud Diod. IV, 4; de *cornibus* Bacchi cfr. ad I, 726.

pater nivea Vat.; *pater et nivea* cod. Carr., quod praeter alios receperunt Thilo et Schenkl; at non tument cornua mitra, sed contra mitra cornibus, vel etiam cornua sub mitra; *in nivea* recte Baehrens

Aspernatus est hoc loco poeta anaphoram, quam *ut* coniunctione efficere licuit, postponenda vel post quartum sententiae vocabulum; de tali collocatione cfr. I, 127; 281; 282; 421; II, 91; 401; 419; 636; V, 212; 293; al.

272. *ut Bacchum referat scyphus* i. e. repraesentet; II, 467 *liquidi referunt miranda colores;* IV, 361 *primae referentem cornua Phoebes*; Ov. met. XV, 620 *cornua—miram referentia formam;* her. XIII, 150 *quae referat voltus est mihi cera tuos*; Stat. silv. I, 3, 54 *nitidum referentes aera testae*; Sen. Herc. Oet. 1375 *Herculem indomitum refer*; Auson. Mos. 215 seq. *Aut Pompeiani Mylasena pericula belli Euboicae referunt per Averna sonantia cymbae.*

Minus diligenter Valerius *scyphum* commemorat, qui proprius erat Herculis, cfr. Verg. Aen. VIII, 278; at *cantharus* Bacchi: Verg. ecl. VI, 17; Sil. VII, 197; cfr. Macrob. sat. V, 21 de cantharo *pro-*

Digitized by Google

tum validas stridore fores rapiturque per urbem
talia voce canens: 'linque o mihi caede madentem,
Bacche, domum; sine foedatum te funere pontus
expiet et referam lotos in templa dracones.'
sic medios egressa metus; facit ipse verendam
nam deus et flatu non inscia gliscit anhelo.
iamque senem tacitis saeva procul urbe remotum
occulerat silvis, ipsam sed conscius ausi
nocte dieque pavor fraudataque turbat Erinys.
non similes iam ferre choros (semel orgia fallunt)

---

prium Liberi patri poculum, et paullo infra *scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus.*

272. *acri stridore*; de omissa *cum* praepositione cfr. ad I, 158.

276. *dracones*; cfr. ad 267 et Claud. de laud. Stil. III, 367.

277. *metus* res vel loci horribiles; cfr. ad I, 23.

278. *nam* tertio vocabulo postponitur ut IV, 709; alteri I, 499; IV, 158; VIII, 139; primo I, 395; 399; 445 aliisque locis.

flatu non inscia gliscit anhelo; Burm. 'ac si olim iam illum furorem prae se ferre didicerit et inter Bacchas iam magistra esse videretur'; contra Wagner 'ipsa sentit sibique placet superbitque divino acta adflatu'; probandam puto Burmanni explicationem ita, ut statuamus, Hypsipylen furoris Baccharum non insciam, quippe quae eiusmodi sacris iam interfuisset, tum hunc furorem simulasse; cfr. de maenade dicta verba apud Sil. IV, 777 *inclusum suspirat pectore Bacchum*.

280. *occulerat* forma admodum dubia, sed eam mutare non sum ausus.

281. Licentius dixit Valerius *Erinyem fraudatam* esse; nam quod Burmann ait 'quia patrem furto subtraxerat mulieribus furentibus et a Furiis agitatis' falsum est: non a Furiis agitantur mulieres, neque Furiae homines ad scelera committenda impellunt, sed scelera ulciscuntur, neque mulieres vera virorum scelera ultae sunt, sed a Venere ficta. At iam Vergilius discessit ab hac dearum ultricium notione, quam Graeci tenuerunt, ut Furias adhiberet ad explicanda omnino facinora cum furore facta, imprimis ad furores bellicos; vid. Aen II, 337; VII, 323 seqq.; Ov. met. IV, 474 seqq.; Claud. in Ruf. I, 25 seqq.; Val. III, 214 ibique annot.

282. choros ferre i. e. quasi offerre deo; cfr. V, 239; sic *verbera*

Digitized by Google

audet, non patrios furtis accedere saltus,
. . . . . .
et fuga diversas misero quaerenda per artes.
visa ratis saevae defecta laboribus undae,
quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam

ferre Ov. am. I, 7, 6; *oscula* Val. VII, 216; Ov. artis II, 325; III, 310; amor. II, 5, 25; III, 7, 48; Prop. I, 20, 28; II, 6, 8; 18, 18; Plaut. Epid. 573; Stich. 89; Amph. 717; *dicta* Val. IV, 330; Ov. her. XIX, 20; *preces* Val. IV, 547; VIII. 442; Verg. Aen. VIII, 60; Sen. Phoen. 500; *carmina* Maxim. eleg. V, 90; *laudes et carmina* Drac. VI, 43. Saepe autem etiam dativo non addito aut mente addendo *ferre* cum obiecto coniungitur pro simplici verbi notione: *f. pedem* saepius pro eundi verbo; *f. gradum* i. e. gradi Val. V, 395; Ov. art. III, 304; met. VII, 184; fast. VI, 338; Luc. VIII, 718; Sil. IV, 95; Sen. Med. 186; Avian. fab. 29, 4; Plaut. Merc. 883; *gressus (gressum)* Verg. Aen. VI, 677; Lucr. IV, 679; Ov. her. XV, 229; fast. III, 174; met. VI. 275; VII, 185; VIII, 39; Luc. VI, 829; VIII, 718; Sen. Agam. 780; Stat. Theb. II, 547; IV, 480; Prud. c. Symm. II, 582; imprimis Silio amatum: III, 180; IV, 95; V. 537; VI, 437; VII, 291; X, 441; XII, 193; 530; XIII, 402; 445; XIV, 159; XV, 556; XVII, 29; 519; *fugam* i. e. fugere Val. IV, 644; VII, 297; VIII, 5; *iter* i. e. ire Verg. Aen. VII, 811; Stat. Theb. I, 326; 444; XII, 149; Avian. fab. 26, 2; *cursus* Sil. IX, 243; *passus* Ov. met. XIV, 120; *reditum* i. e. redire Catull. 63, 47; 79; 66, 35; *verba* i. e. loqui Ov. met. VII, 501; Sil. VIII, 265; Stat. silv. III, 1, 165; *lamenta* i. e. lamentari Stat. silv. V. 3. 264; *gemitus* Stat. silv. II, 4, 22; *votum* i. e. optare Iuv. sat. III, 276.

283. *furtis* i. e. clam; plerumque *furto* dicitur singulari numero, ut VIII, 229; Ov. fast. II, 183; Stat. Theb. I, 313; VIII, 61; IX, 133; XI, 758; XII, 143; Verg. Aen. IV, 337; Luc. VI, 121 al., plurali nisi fallor apud solum Valerium; nam in exemplis, quale legitur Ov. met. XIII, 104 *furtis incautum decipit hostem*, furtis non pro adverbio est, sed pro substantivo, suntque facinora clandestina. Atque hoc Valerii loco pluralis aliquomodo defenditur eo, quod de accessione repetita cogitatur. Post hunc versum nonnulla excidisse recte vidit Baehrens.

286. Post navigationes consecrata erat navis deis marinis; cfr. pulcherrimum illud carmen quartum Catulli. Ceterum hoc quidem loco Valerius oblitus est, se Argo primam navem iustam dixisse, nisi forte putamus, similem eum cogitasse ratem atque Lemniorum, quae

Digitized by Google

solibus et canis urebat luna pruinis.
huc genitorem altae per opaca silentia noctis
praecipitem silvis rapit et sic maesta profatur:
'quam, genitor, patriam, quantas modo linquis inanis
pube domos! pro dira lues, pro noctis acerbae
exitium! talin possum te credere puppi,
care parens? possum tantis retinere periclis?
solvimus heu miserum furti scelus! adnue votis,
diva, soporiferas quae nunc trahis aequore bigas.
non populos, non dite solum, non ulla parenti
regna peto; patria liceat decedere terra.
quando ego servato mediam genitore per urbem

---

describuntur 108 seqq., sed aliquomodo huic sententiae obstare videtur v. 300.

288. *per opaca silentia noctis*; eadem verba leguntur Sedul. pasch. carm. IV, 219. *opaca silentia noctis* memorabili enallage dicuntur pro silentiis opacae noctis, silentia enim omnino opaca esse non possunt, sed cfr. III, 4 *caris socium digressibus haerent*; IV. 228 *Oeb alius caveae favor*; 402 *ardua flumina ripis*. Longe diversa ab his exemplis sunt ea, in quibus etsi non ad propriam notionem, sed ad aliam cum propria coniunctam adiectivum apponitur, tamen etiam ad hanc notio adiectivi aliquomodo quadret, velut V, 141 *pervigil auditur Chalybum labor*: proprie pervigiles sunt Chalybes, sed etiam eorum laborem poetae pervigilem dicere licebat, vel VI, 296 *populeus cui frondis honor* pro eo quod est *populeae frondis*, sed etiam ipse honor i. e. ornatus recte populeus dicitur; aliaque eiusmodi multa etiam in prosa oratione inveniuntur.

290. *inani* Vat.; *inanis* ed. Bon. et Ald.; *quantas modo linquis inanis pube domos:* domos quae modo tantae fuerunt.

292. *reddere* Vat., *credere* edit. Bon.

294. *serum furtis scelus* Vat.; *miserum* cod. Carr., *furti* Thilo.

furti scelus est quod clam patrem servavit, et miserum dicitur, quia miserias et patri et filiae paraturum est; *scelus solvere* inusitate dicitur pro *scelus luere*, sed similiter certe scripsit Ov. fast. V, 303 *magnis iniuria poenis solvitur*; Prudent. apotheos. 544 *commissa piacula solvit*; cfr. etiam Verg. Aen. II, 229 *scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt.*

298. Exoptat Hypsipyle, ut iam adsit tempus, quo aperte ipsi

Digitized by Google

laeta ferar? quando hic lacrimas planctusque videbo?'
dixerat. ille procul trunca fugit anxius alno
Taurorumque locos delubraque saeva Dianae
advenit. hic illum tristi, dea, praeficis arae
ense dato; mora nec terris tibi longa cruentis.
iam nemus Egeriae, iam te ciet altus ab Alba
Iuppiter et soli non mitis Aricia regi.

Arcem nata petit, quo iam manus horrida matrum
congruerat. rauco fremitu sedere parentum
natorumque locis vacuaeque in moenibus urbis
iura novant; donant solio sceptrisque paternis

---

laetari liceat, quod patrem servaverit, ceterae autem mulieres scelera sua lamententur.

304. Tangit Valerius fabulam de Diana Ariciam ex finibus Taurorum translata; cfr. Ov. met. XIV, 331; Prelleri myth. rom. I³, 315 cum annot. 1. In hoc nemore prope Ariciam sito, in quo delubrum Dianae erat, etiam Egeria nympha colebatur, cfr. Ov. fast. III, 261 seqq., met. XV, 487 seqq., erat autem hoc sacrum Albae Longae subditum, donec eius regnum stabat, ideo dicit poeta ab Alba Iovem deam excivisse.

305. *rex* est sacerdos Dianae Nemorensis, ideoque rex Nemorensis dictus, posteriore tempore servus profugus, qui ita sacerdotium adit, ut eum, qui sacerdos est, interficiat, cfr. Prelleri l. l. Itaque Diana, quae alias victimas humanas iam respuat, ei soli non mitis est.

Ceterum valde inter se dissentiunt poetae et rerum mythologicarum scriptores de ea ratione, qua Thoas servatus sit, cfr. Prelleri myth. graec. II², 325 annot.; Thoantem in fines Taurorum pervenisse praeter Valerium solus Hyginus fab. 15 tradidit.

307. *congruerat* proprie dictum, ut VI, 59; cfr. etiam Ter. Eun. 1033 *quoi tam subito tot congruerint commoda.*

308. *vacuae—urbis*, sc. a viris, sic Ov. met. XIV, 831 viduam Hersiliam viro amisso *vacuam* nominat; cfr. Tac. ann. XIII, 44 *ubi mulier vacua fuit, nectere moras.*

moenia hoc loco sunt ipsa urbis aedificia, ut IV, 58; VII, 374; Verg. Aen. II, 234; 328; VI, 549; IX, 196; Stat. silv. IV, 4. 14; Coripp. laud. Iust. III, 63; etiam in prosa oratione.

309. Stat. Theb. V, 320 seq.

Digitized by Google

ut meritam redeuntque piae sua praemia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
arma notant; rapitur subito regina tumultu
conciliumque vocat. non illis obvia tela
ferre nec infestos derat furor improbus ignes,
ni Veneris saevas fregisset Mulciber iras.
tunc etiam vates Phoebo dilecta Polyxo

311. In brevius contraxit Valerius ea, quae de Argonautarum ad Lemnum appulsu leguntur apud Apollonium, qui plura narrat de concilio Lemniadum et de colloquio inter Hypsipylen et Iasonem habito: I, 633–852. Quamquam non praetereundum, quod apud poetam Romanum in ipsa hac narratione post v. 328 nonnulla exciderunt.

312. *notant* idem quod conspiciunt, sic saepius apud Ovidium, ut her. XVI, 76; 81; XIX, 205; met. II, 740; III, 459 al.; Statium, ut silv. I, 4, 39; II. 6, 102 al.; Petronium, cfr. c. 27 et ibi Friedlaenderi annotationem; rarius apud alios, velut Mart. V, 49, 7; XI, 99, 1; Luc. VIII, 55; Claudian. in Olybr. cons. 96; in Ruf. II, 496; Prud. hamartig. 864.

arma ponuntur pro viris armatis; hoc per se non inusitatum est Romanis vel in prosa oratione, sed ita, ut quae de viris proprie dicenda erant, etiam ad arma quodammodo referri possint, velut cum dicit Ovid. met. VI, 424 *Tereus haec* (agmina) *auxiliaribus armis fuderat*; opera enim armorum hostes impugnantur et funduntur, vel Liv. XXII, 47, 1 *pugna levibus primum armis commissa.* Iam longius progressus Valerius ibi quoque *arma* scribit, ubi agitur aliquid ab viris, qui arma habent, sed non opera armorum; arma enim nullo modo remis Lemnum tendunt. Sed cfr. etiam VI, 582 *quot funderet arma,* ubi certe non maior audacia dicendi apparet quam hoc loco neque Thilo offendere debebat; vide praeterea Statii imitatoris Valerii verba Theb. III, 708 *rauca dabunt abeuntibus armis Signa tubae:* cum armis sane abeunt viri, at non per arma, et IV, 394 *Amazoniis ululatum Caucason armis.*

316. Quae fabulosa narrat Valerius de *Polyxone*, non leguntur apud Apollonium, cui Polyxo est nutrix Hypsipyles I, 668; anus Lemnia est etiam apud Hyg. fab. 15 et Stat. Theb. V, 90, qui eam inducit instigantem mulieres ad caedem virorum faciendam. Non immerito cum Polyxone Valeriana Schenkl comparat Idotheam Homeri Od. IV, 365 seqq.

Digitized by Google

(non patriam, non certa genus, sed maxima taete
Proteaque ambiguum Pharii se . . . . ab antris
huc rexisse vias iunctis super aequora phocis).
haec imis se condit aquis cunctataque paulum
surgit et auditas referens in gurgite voces
'portum demus' ait 'haec hospita, credite, puppis
advenit et levior Lemno deus aequore flexit
huc Minyas; Venus ipsa volens dat corpora iungi,
dum vires utero maternaque sufficit aetas.'
dicta placent portatque preces ad litora Grais
Iphinoe; nec turba nocens scelerisque recentis

317. Locus lacunosus et misere corruptus, de cuius emendatione desperandum: servavi litteras in Vat. traditas. De sententia sane constat: sine dubio dicit poeta, Polyxonem, cuius origo et patria obscura essent, quondam phocis iunctis ab Aegypto et Proteo profectam Lemnum advenisse.

319. *rexisse vias* praeter consuetudinem dictum pro eo quod est huc direxisse cursum, iter, sed tamen ab dicendi ratione Valeriana non videtur alienum; *iniunctis* Vat.; *iunctis* cod. Monac. a manu sec.

320. *saep* Vat., *haec* Baehrens.

321. *ut* Vat., *et* Koestlin Philol. 39, 248.

322. *hospita* om. Vat., add. cod. Carr.; de *ait* syllaba posteriore producta cfr. ad II, 225. Ceterum non improbabiliter Summers 'a study of the Arg.' p. 72 *fatis* excidisse putat.

323. *levior* i. e. magis propitius, benignus; cfr. Ov. Ibidis 207 seq. *nec ulla commoda nascenti stella levisque fuit*; Hor. c. I, 18, 9 *monet Sithoniis non levis Euhius*; Sen. Agam. 606 *contemptor levium deorum*; contrarium, quod est *gravis*, saepissime legitur.

324. *tempora* Vat.; *corpora* Burm. coll. praeter alios locos III, 333, ubi Vat. *tempora* habet, sed *corpora* certissima emendatione iam in cod. Carr. restitutum; dandi verbum cum infinitivo passivi coniunctum invenitur etiam apud Sil. XI, 363.

325. Amice Argonautas exceptos esse in universum consentiunt scriptores; sed Sophocles in Lemniis teste scholiasta Apoll. I, 773 acerrimam pugnam factam esse a mulieribus narraverat, et sic rem tradit etiam Stat. Theb. V, 376 seqq.; vid. ea quoque, quae schol. de Herodoro et Aeschylo dicit. De vi materna cfr. Luc. II, 338.

327. Hyg. f. 15 Iphinoen custodem portae appositam reginae

signa movent, tollitque loci Cytherea timorem.
* * *
protinus ingentem procerum sub nomine taurum
deicit insuetis et iam pia munera templis
reddit, et hac prima Veneris calet ara iuvenca.
Ventum erat ad rupem, cuius pendentia nigris
fumant saxa iugis coquiturque vaporibus aer.
substitit Aesonides atque hic regina precari
hortatur causasque docens 'haec antra videtis
Vulcanique' ait 'ecce domos: date vina precesque.
forsitan hoc factum taceat iam fulmen in antro:
nox dabit ipsa fidem, clausae cum murmura flammae,
hospes, et incussae sonitum mirabere massae.'

---

adventum Argonautarum nuntiasse narrat; consentit Valerius cum Apollon. I, 702 seqq. Ceterum verba paullum obscura recte videtur Burmann explicasse ita, ut Argonautas obiectum verbi movendi audiret: Argonautae non deterrentur signis sceleris recentis, quominus navem ad insulam appellant. Koestlin Philol. 48, 657 eam sententiam versibus 327 et 328 inesse putat, ut indicet poeta interfectos viros a mulieribus sepultos esse. V. 327 Vat. habet *nocentis*; cod. Vat. 1613 a man. sec. in margine *recentis*.

328. Post hunc versum nonnulla excidisse recte vidit Thilo; deiciendi verbi 330 subiectum sine dubio est Hypsipyle; Koestlin Philol. 48, 655 lacunam esse negans ipsam Venerem in sua ara primam victimam immolasse putat, quod prorsus incredibile est.

329. *sub nomine procerum* i. e. pro proceribus exemplo carere videtur.

330. *deicit*, cfr. ad I, 191.

332. Etiam ante hunc versum nonnulla desideraverunt Thilo praef. p. XXX, Schenkl stud. p. 285, Peters de Val. vita et carmine p. 21, sed imperfectum putant locum a poeta relictum esse. De ea re certum iudicium fieri non potest, quia nescimus, quid Valerius post 328 scripserit.

337. Versus corruptus, cuius sententia haec est: forsitan miraris, hanc domum esse Vulcani, cum omnia taceant in antro. Num *forsitan hoc fallit, taceat cum numen in antro?* (vel *forsitan hoc dubitas.*)

339. *incussae—massae* fere idem ac percussae massae; cfr. Avien. orbis 817 *incute doctam, Phoebe, chelyn*; sic cum translatione dicit

Digitized by Google

moenia tum viresque loci veteresque parentum
iactat opes. mediis famulae convivia tectis
expediunt; Tyrio vibrat torus igneus ostro.
stat maerens atavos reges regesque maritos
Thressa manus, quaecumque faces timuisse iugales
credita nec dominae sanctum tetigisse cubile.
iam medium Aesonides, iam se regina locavit,
post alii proceres; sacris dum vincitur extis
prima fames, circum pateris it Bacchus et omnis
aula silet; dapibus coeptis mox tempora fallunt
noctis et in seras durant sermonibus umbras.
praecipueque ducis casus mirata requirit
Hypsipyle, quae fata trahant, quae regis agat vis,

Val. V, 550 *crebrior incussit membra pavor* et Coripp. Ioh. VI (V), 280 *sic pectora rumor Nominis incutiens magna virtute Iohannis Terruit*; etiam apud Plin. nat. hist. XXII, 37 et XXIX, 33 *incussa* sunt membra ictu violata.

342. *torus igneus*; cfr. ad I, 427.

343. *regesque maritos*; significat Valerius nobilissimas feminas et puellas Thracum secum duxisse Lemnios.

344. Omnes Thressae, quae credebantur abstinuisse viris Lemniis, a mulieribus servatae erant; non satis accurate igitur Valerius supra v. 289 dixerat Thressas, nempe omnes, interfectas esse.

346. Magnam habet totus hic locus similitudinem in universum cum Verg. Aen. I, 637 seqq., ubi convivium ab Aenea et Didone initum narratur; ibi regina medium locum obtinet v. 698.

347. *post alii proceres*, Verg. Aen. I, 740.

348. *circum pateris it Bacchus*; cfr. V, 694 et Plaut. Most. 347 *da cito ab Delphio cantharum circum*; a verbo sic saepius praepositio *circum* divellitur velut Verg. Aen. II, 792 *collo dare bracchia circum*; eclog. III, 45 *et molli circum est ansas amplexus acantho*, al.

349. De sententia cfr. Verg. Aen. I, 748 et Ov. met. VIII, 651 *fallunt sermonibus horas.*

350. *durant* hoc loco sine obiecto solita notione dicitur; accusativus *tempora* a solo fallendi verbo pendet; aliter se habet Prop. I, 6, 11.

352. *agat vis*; de clausula hexametri insolita cfr. VI, 236; VII, 355.

Digitized by Google

aut unde Haemoniae molem ratis: unius haeret
adloquio et blandos paulatim colligit ignes
iam non dura toris Veneri nec iniqua reversae.
et deus ipse moras spatiumque indulget amori.
Pliada lege poli nimbosum moverat astrum
Iuppiter aeternum volvens opus, et simul undis
cuncta ruunt unoque dei Pangaea sub ictu

353. De ellipsi verbi habendi vel similis notionis cfr. ad I, 489. Non comparanda cum hac insolita sueta illa ellipsis verbi primae personae in interrogationibus velut Hor. sat. II, 5, 103 *unde mihi tam fortem tamque fidelem?* vel Ov. her. XII, 84 *sed mihi tam faciles unde meosque deos?*

355. De collocatione *nec* coniunctionis cfr. ad I, 261.

356. Hic versus explicatur eis, quae sequuntur, *deus* igitur est Iuppiter.

357. Excusationem segnitiae Valerius scite paravit tempestate coorta, cum apud poetam Graecum heroes se dant mollitiei prorsus indignae.

357. *Pliada lege poli—moverat* i. e. ex lege aeterna et immutabili, qua polus vertitur, fecerat Iuppiter, ut Pleiades occiderent; ipse quidem aeternum volvit opus, regit mundum volvendo, sed legem necessariam secutus; ipsa autem Plias est astrum nimbosum. ablativum *nimboso astro*, qui in Vat. traditur, frustra alius ad aliam notionem referendo explicare conati sunt viri docti; recepi coniecturam Slothouweri *nimbosum astrum*. Pliadem a Iove moveri etiam V, 305 invenitur; ut hoc loco commemoratur *lex poli*, sic lex *Erebi* Stat. Theb. I, 298; lex *siderum* Ov. met. XV, 71; lex *maris* Auson. epigr. 3, 9.

358. *undis cuncta ruunt* i. e. vehementibus imbribus omnia manant; cfr. Mart. III, 100, 3 *imbribus immodicis caelum—ruebat.*

359. *Pangaea* mons notissimus Thraciae, *Gargara* Mysiae, vid. Strab. XIII, 1, 5; Plin. V, 122; more poetico propria nomina afferuntur pro montibus silvisque. Sed vel ob hanc causam *lucorum* in universum mentio non apta videtur in v. 360, ubi Vat. habet *maestis et erant* (i. e. *steterant*), neque omnino omnes luci sic simpliciter formidine stare recte dici possunt; cum Baehrente igitur scripsi *Moesi*: plusquamperfectum *steterant*. quod est in edit. Bon. et Ald., apte celeritatem actionis perfectae indicat, ut saepe. *formidine stare* autem idem est atque obstupefactum esse, horrere formidine; saepe sic

Digitized by Google

Gargaraque et Moesi steterant formidine luci.
saevior haut alio mortales tempore mentes
terror agit; tunc urguet enim, tunc flagitat iras
in populos Astraea Iovem terrisque relictis
invocat adsiduo Saturnia sidera questu.

---

standi verbum reperitur cum propria notione, ut Hor. c. I, 9, 1 *vides ut alta stet nive candidum Soracte*; vel Verg. Aen. II, 333 *stat ferri acies mucrone corusco stricta* vel Caec. com. frgm. 219 *ager autem stet sentibus.*

361. Mira sunt, quae hoc loco narrat Valerius. Fieri non potest, ut haec verba 361—364 ad unam tempestatem, quae Argonautis Lemni versantibus concitata erat, referamus, id quod fecerunt interpretes: hoc quominus faciamus, prohibemur tempore praesenti verborum *agit urguet flagitat invocat*; ante omnia *agit* apparet hoc loco non haberi posse pro praesenti historico, sed vera necesse est esse praesentia et *agit* fere idem significat atque *agere solet.* Itaque videtur indicare poeta omnino tempore Pleiadum occidentium singulis annis maximum terrorem populis inici solere foedis tempestatibus coortis et Astraeam ipsis his turbulentis auctumni diebus sibi videri opportunitatem nactam esse hominum apud Iovem iratum accusandorum. De Astraea propter scelera hominum terras relinquente notissimus est locus Ov. met. I, 150; cfr. Oct. trag. 422 seqq.; Iuv. VI, 19. Non iniuria suspicatus est Dureau Valerio obversatum esse locum Hom. Il. XVI, 384 seqq., ubi summa vis imbrium tempestatumque describitur, quae fieri solent ἦματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ, οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

gentes Vat., *mentes* Heinsius.

364. *Saturnia sidera* i. e. stellam Saturni (*stellam Saturniam* nominat Cic. de rep. VI, 17) pluviam afferentis; Serv. Verg. georg. I, 336 *Saturnus deus pluviarum est—hic autem in Capricorno facit gravissimas pluvias*, cfr. Hor. c. II, 17, 20 *tyrannus Hesperiae Capricornus undae*; apud Pers. sat. V, 50 *gravis* Saturnus dicitur; Luc. I, 652 *nocens* Saturni stella; Prop. IV, 1, 84 *grave* Saturni sidus; Plin. nat. hist. II, 106 *igitur in suo quaeque motu naturam suam exercent* (sidera) *quod manifestum Saturni maxime transitus imbribus faciunt.* Cfr. schol. Germ. Arat. p. 183 de vi exitiosa Saturni exponentem; brevior est schol. Stat. Theb. I, 305. Pluralis *sidera* de una stella

Digitized by Google

insequitur niger et magnis cum fratribus Eurus
intonat Aegaeo tenditque ad litora pontus.
et lunam quarto densam videt imbribus ortu
Thespiades; longus coeptis et fluctibus arcet
dum metus, usque novos divae melioris ad ignis

---

dicitur, ut Ov. Ibidis 214 *Martis sidera*; cfr. Avien. phaen. 1203; 1232; 1301; Claud. carm. min. 43 ed. Birt (7 ed. leep) v. 2.

365. *Eurus* hoc loco quia tempestatem movet, *niger* vocatur ut apud Hor. epod. X. 5; sic Auster *nigerrimus* Verg. georg. III. 278 et *niger* Lucan. IX, 320; Notus *ater* Luc. V, 608; contra Notus nubila dispergens *albus* Hor. c. I, 7, 15.

366. *denditque* Vat.; *tenditque* Monac.; mutavit Valerius verba Verg. Aen. XII. 366 (Boreae spiritus) *insonat Aegaeo sequiturque ad littora fluctus* augendo. cum dicit *intonat* atque pontum ipsum ad littora tendisse.

367. *lunam—densam—imbribus* i. e. densis imbribus contectam; similia saepius apud Ovidium leguntur, ut fast. VI, 411 *lucus—iuncis et arundine densus* i. e. consitus densis iuncis (cfr. Sil. III, 442); met. III, 29 *specus—virgis ac vimine densus*; 155 *vallis erat piceis et acuta densa cupressu* al.

quartus lunae ortus fieri non potest quin significet quartam noctem orientem, non quartum mensem, vel ut nimis artificiose Burmann loco Verg. georg. I, 432 seqq. nixus explicat quartum post novam lunam diem. Sane recte is quidem colligit ex 409 seqq. et 424 de longiore mora cogitasse poetam, sed ea facta est post hanc quartam noctem, primum per complures dies continuo turbulentos 369—371, tum per aliquantum temporis spatium, postquam caelo serenitas rediit 372; quantum autem hoc spatium fuerit, Valerius Apollonium secutus accuratius non indicavit; Hyg. f. 15 et schol. Stat. Theb. V, 59 plures dies fuisse dicunt; mythogr. Vat. I, 133 et II, 141 plurimos dies; unum fere annum indicat Stat. Theb. V, 459 seqq., Ovid. her. VI, 56 adeo duos annos.

368. Tiphys *Thespiades* nominatur, quia Thespiis oriundus erat, vid. Apoll. I, 105.

369. *qui* Vat., quod frustra defendere conatur Ellis Journal of phil. IX, 53; *dum* Baehrens; de collocatione *et* coniunctionis cfr. ad I, 89; de *dum* coniunctionis collocatione ad I, 425. *longus metus* est metus per longum temporis spatium pertinens, quo cur Schenkl offendatur, non assequor, cfr. I, 325; VI, 754. Quia Tiphys vir maris

Digitized by Google

urbe sedent laeti Minyae viduisque vacantes
indulgent thalamis, nimbosque educere luxu.
nec iam velle vias, zephyrosque audire vocantes
dissimulant, donec resides Tirnythius heros
non tulit, ipse rati invigilans atque integer urbis.
invidisse deos tantum maris aequor adortis
. . . . . .
desertasque domos fraudataque tempore segni
vota patrum. quid et ipse viris cunctantibus adsit?

---

tempestatumque peritus navigare non audet, Minyis tempus datur voluptatibus indulgendi, sed tantopere haec nova vita eis placet, ut ne mutata quidem tempestate Lemnum relinquere velint.

divae melioris, cfr. ad I, 327.

371. *educere* eadem sententia dictum ut I, 251 *ludoque educite noctem*, sed tamen audacius, quia nimbi temporis notionem proprie non habent; in simili re scripsit Verg. Aen. IV, 193 *hiemem—luxu—fovere.*

372. *velle vias* i. e. optare; sic saepius cum accusativo substantivi *velle* coniungitur, cfr. I, 67.

374. *integer urbis*; minus recte confertur celeberrimum illud *integer vitae*, rectius Stat. Theb. I, 415 *integer armorum*: urbem eiusque illecebras Hercules non expertus erat. Ceterum eum cum paucis sociis in navi remansisse narrat Apollon. I, 856, neque prorsus solum eum fuisse cogitavit Valerius. certe v. 384 socium ei iunxit Telamonem.

375. *maris aequor* dicit poeta secundum Verg. Aen. II, 780; III, 495; *maris aequora* habet Hor. c. IV, 5, 10; *ponti aequor* Catull. 64 179; *aequora ponti* saepius legitur, ut Lucr. I, 8; II, 772; IV, 408; VI, 440; Verg. georg. I, 469; Ov. met. II, 872; Boeth. de cons. I, 2, 14; Dracont. de deo I, 147; etiam dicitur de fluminis undis levigatis Verg. Aen. VIII, 89; 96; atque adeo de levitate speculi splendente Lucr. IV, 268; anthol. lat. 134, 6 B.; cfr. ad I, 313. *aequor adoriri* i. e. inire praeter consuetudinem dictum est, sed invenitur etiam IV, 541.

Post 375 versum excidisse recte vidit Thilo praef. p. XLV; sententiam lacunae indicavit Schenkl verbis 'gloriam indignatus gemit frustra.'

377. *quid et ipse viris cunctantibus adsit*; iniuria nonnulli his verbis offenderunt; etenim ut vehementem Herculis indignationem

Digitized by Google

'o miseri quicumque tuis accessimus actis!
Phasin et Aeeten Scythicique pericula ponti
redde', ait 'Aesonide: me tecum solus in aequor
rerum traxit amor, dum spes mihi sistere montes
Cyaneos vigilemque alium spoliare draconem.
si sedet Aegaei scopulos habitare profundi,
hoc mecum Telamon peraget meus.' haec ubi dicta,
haud secus Aesonides monitis accensus amaris,
quam bellator equus, longa quem frigida pace

---

clare exprimat, poeta ad orationem directam transit, neque est vera interrogatio, ut putat Thilo praef. p. XXIV, sed rhetorica affectum animi Herculis exprimens.

379. *Phasine tamen* Vat., *Phasin et Aeeten* ed. Ald.

381. *dum spes mihi sistere montes Cyaneos*: unde Hercules hoc comperit, fore ut montes Cyanei immoti manerent, si Argonautae per eos navigassent? Ceteris certe sociis hoc ignotum fuit, vid. IV, 708; VIII, 195, quamquam id fore suspicari aliquomodo poterant ex verbis Phinei IV, 582 seqq.

383. *sedet*; cfr. ad I, 555.

384. Dureau apte cft. Hom. Il. IX, 46 seq., ubi Diomedes ipsum cum Sthenelo bellum confecturos minatur, etiamsi omnes ceteri Achaei domum rediissent.

385. *monitis accensus amaris*; cfr. Verg. Aen. IV, 203; X, 368.

386 seq. Verba admodum obscura; certe cogitare non licet de exercitationibus equi; nam frenum eum non sentire neque dominum aperte docemur v. 388; de pascuis igitur poeta dicere videtur, ubi equus ita ad arborem vel palum alligatus est, ut cogatur in laevum orbem ire. Sed adiectivum *brevis*, quod legitur in Vat. post *iuvat* in v. 387, sanum non est, cum neque ad terram, cuius attributum est *frigida* (i. e. effeminata, languida) neque ad equum ipsum, cuius attributum est *piger*, satis bene referri possit; scripsi *resti*.

bellator equus invenitur etiam Verg. georg. II, 145; Aen. X, 891; XI, 89; Ovid. met. XV, 368; fast. II, 12; Sil. VII, 68; *frigidam* longa pace terram dixisse Valerius videtur ex imitatione Verg. Aen. XI, 338 *frigida bello dextera* i. e. non agitata, exercita; similiter Val. IV, 214 humum *frigidam* dixit, quae aratro et semine intacta diu mansit.

Digitized by Google

terra iuvat, resti in laevos piger angitur orbes,
frena tamen dominumque velit, si Martius aures
clamor et obliti rursus fragor impleat aeris.
tunc Argum Tiphynque vocat pelagoque parari
praecipitat; petit ingenti clamore magister
arma viros pariter sparsosque in litore remos.'
Exoritur novus urbe dolor planctusque per omnes
et facies antiqua domos. sibi moenia linqui
en iterum, et quando natorum tempora, gentem
qui recolant, qui sceptra gerant? nunc triste nefandae
noctis opus, vidui nunc illa silentia tecti
saeva magis, thalamos excussaque vincla quod ausae
induere atque iterum tales admittere curas.
ipsa quoque Hypsipyle subitos per litora cursus
ut vidit totaque viros decedere Lemno,
ingemit et tali compellat Iasona questu:
'iamne placet primo deducere vela sereno,
carius o mihi patre caput? modo saeva quierunt

---

390. *praecipitare* omnino significat efficere celeritatem, hoc autem loco, cum sequitur accusativus c. infin., imperare ut celeriter aliquid fiat, similiter Verg. Aen. XI, 2 seq. *sociis dare tempus humandis praecipitant curae*; Stat. Theb. I, 679 *si praecipitant miserum cognoscere curae* e. q. s.; Apul. met. III, 16 *me capillos eius — praecipitavit ferre.*

394. A plurimis editoribus *it* scribitur pro eo quod in Vat. traditur *et*, quod Koestlin recte defendit Philol. 39, 239; *antiquus* adiectivum pertinet etiam ad planctus facilique zeugmate *facies* subiectum cum *exoritur* coniungendum est; cfr. paullo infra *thalamos—induere*; facies antiqua est ea, quae erat, cum viri ex Thracia redirent.

395. *quando natorum tempora* i. e. quando, quam diu post Argonautarum discessum erunt vel venient tempora natorum, quibus antiquus ordo restituatur.

399. *inbueratque* Vat., *induere atque* Zinzerling.

401. De collocatione *ut* coniunctionis cfr. ad II, 271.

403. *deducere vela* sc. de antennis, i. e. explicare, pandere; cfr. Ov. met. III, 663; VI, 232; XI, 477; Luc. II, 697.

404. *quierunt aequora*; de perfecto *quierunt* cfr. ad IV, 61.

Digitized by Google

aequora. sic portus fugeret ratis, aspera si te
Plias in adversae tenuisset litore Thraces.
ergo moras caelo cursumque tenentibus undis
debuimus?' dixit lacrimans, haesuraque caro
dona duci promit chlamydem textosque labores.
illic servati genitoris conscia sacra
pressit acu currusque pios: stant saeva paventum
agmina dantque locum; viridi circum horrida tela
silva tremit; mediis refugit pater anxius umbris.
pars et frondosae raptus expresserat Idae

---

408. *haesura—dona* intellegit Burmann de vestimento, quo corpus induitur; rectius explicatur *mansura* dona, cfr. Ov. fast. II, 498 *haesissetque animis forsitan illa fides*; trist. III, 4, 35 seq. *quae pro te ut voveam, miti pietate mereris Haesuraque mihi tempus in omne fide*; Suet. Galb. 4 *morem—in domo sua haerentem obstinatissime retinuit.*

409. *chlamydem textosque labores* unum est donum: labores chlamydi intexti sunt; cfr. ad I, 143. Mirum quod Apollonius talia dona in discessu Argonautarum narrando omnino non commemorat, at III, 1203 seqq. haec habet: ἀμφὶ δὲ φᾶρος ἔσσατο κυάνεον, τὸ μέν οἱ πάρος ἐγγυάλιξεν Λημνιὰς Ὑψιπύλη, ἀδινῆς μνημήιον εὐνῆς; poeta vero Romanus non solum donum luxuriae Hypsipylen Iasoni dedisse narrat, sed etiam gladium, ut heros media in pugna quoque memor sit dilectae mulieris. Vestium dona commemorat etiam Verg. Aen. III, 484 seqq.

411. *praesit a* Vat., *pressit acu* cod. Carr., quod quamquam praeter consuetudinem dicitur pro *expressit* acu, tamen sic sine dubio a poeta ipso scriptum est.

stant saeva paventum agmina; cfr. quae Val. supra de fuga Thoantis narraverat v. 266 et 277 seq.

412. *viridis* Vat., *viridi* Barth.; tantopere ad naturam picta est silva et frondes viridi tela, ut tremere videantur.

413. *mediisque fugit* Phil. Wagner Philol. XX, 633, sed traditam scripturam Schenkl stud. p. 368 interpretatus est 'flüchtet rückwärts in den tiefen Wald hinein.'

414. *pars*, sc. chlamydis, *expresserat* pro eo quod proprie dicendum erat 'parte chlamydis expresserat Hypsipyle': satis audacter id quidem dictum, sed non ausus sum mutare, quamquam valde placet quod Heinsius coniecit *parte et*; *raptus—Idae*, vide ad v. 495.

Raptum Ganymedis acu pictum in chlamyde antea descripserat

Digitized by Google

inlustremque fugam pueri; mox aethere laetus
adstabat mensis: quin et Iovis armiger ipse
accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro.
tunc ensem notumque ferens insigne Thoantis
'accipe' ait, 'bellis mediaeque ut pulvere pugnae
sim comes, Aetnaei genitor quae flammea gessit
dona dei, nunc digna tuis adiungier armis.
i, memor i terrae, quae vos amplexa quieto
prima sinu; refer et domitis a Colchidos oris
vela per hunc utero quem linquis Iasona nostro.'
sic ait Haemonii labens in colla mariti.

Verg. Aen. V, 252 seqq. Artifices autem amasse hanc de Ganymede fabulam exprimere apparet ex artis monumentis non paucis hodieque servatis, ubi conspicitur aquila puerum rapiens vel puer aquilae potum praebens. Ceterum in eo fortasse interpretes erraverunt, quod plures imagines aeu pictas in chlamyde fuisse statuunt; mihi duas tantum imagines cogitasse poeta videtur: fugam Thoantis in curru sedentis et raptum Ganymedis: cetera quae narrat poeta de Thoante in silvas refugiente, de Ganymede in caelo versante, licentia poetis concessa ad complendam imaginem addidit. Cfr. ind. lect. Monast. aest. 1894.

418. *ensem notumque ferens insigne* figura dicitur quam hendiadys nominant, sc. ensem cum noto insigni ferens; cfr. III, 377 *causas labemque*; 426 *aras ignotaque nomina divom*; 495 *thalamis et virgine pacta*; 688 *lacrimis comitique*; VI, 388 *gravem nodis auroque securem* al.; cfr. Gebbing de Val. Flacci tropis et figuris p. 84 seqq. Nota sunt insignia clipeorum, de gladio cft. Burmann Sen. Phaedr. 899 seq. *regale parvis asperum signis ebur Capulo refulget, generis Actaei decus*; Val. Max. I, 8, ext. 10: *Pausanias in capulo gladii, quo eum* (Philippum) *occidit, quadrigam habuit caelatam.*

423. *refer—vela per hunc—Iasonem.* referre vela pro eo quod est navi redire sine exemplo dictum videtur, sed non ideo offendor hoc loco, ut Phil. Wagner Philol. 20, 633; eodem loco desiderat verbum precandi vel obtestandi ad *per* praepositionem appositum, sed oblitus est verborum Verg. Aen. X, 369 seqq.; 597 seqq. Hypsipylen postea geminos peperisse in fabulis narratur, cfr. Hyg. fab. 15; myth. Vat. I, 133; Apollod. I, 9, 17; hoc sane divinare non poterat mater; quod autem nascentem, ut sperat, puerum Iasonem vocat, apte confertur Verg. Aen. IV, 328.

Digitized by Google

nec minus Orphea tristis cervice tuaque,
Aeacide, et gemino coniunx a Castore pendet.
Has inter lacrimas legitur piger uncus harenis:
iam remi rapuere ratem, iam flamina portant;
spumea subsequitur fugientis semita clavi.
tunc tenuis Lemnos superatque Electria tellus
Threiciis arcana sacris; hic numinis ingens
horror et incautis decreta piacula linguis.
hanc demissa Iovi non umquam laedere fluctu
audet hiemps; sponte ipse deus tunc asperat undas,
cum vetat infidos sua litora tangere nautas.
obvius at Minyas terris adytisque sacerdos

---

427. Aeacides hoc loco sine dubio Peleus est, cum alterum Aeacidem Telamonem cum Hercule apud navem mansisse indicetur v. 384.

428—431 insignes multis, quae dicuntur, allitterationibus.

430. *fugientis* accusativum pluralem explicandum puto.

431. *tunc tenuis Lemnos*; de ellipsi praedicati cfr. ad I, 489; tenuis facta est Lemnos Argonautis i. e. e conspectu evanuit. *Electria tellus* est Samothracia, ita dicta ab Electra, filia Atlantis, quae ex Iove in hac insula Dardanum peperit; cfr. Apollon. I, 916; Verg. Aen. VIII, 135; Hyg. fab. 155; Apollod. III, 12, 1; Diod. V, 48; Conon. c. 21 ed. Westerm.; Prelleri gr. myth. II³, 373. Sed quomodo Electria tellus transire dici potest, cum ad eam appellant Argonautae? scripsi igitur pro eo quod est in Vat. *transitaque (transitque* in ed. Bon. et Ald. emendatum) *superatque* sc. e mari, ut Plaut. Stich. 365 *commodum—sol superabat ex mari*; hoc magis placet quam *paretque* i. e. apparet, de quo cfr. Stat. silv. II, 2, 76 *illi Prochyta aspera paret.*

432. *Threiciis arcana sacris*; de his mysteriis celeberrimis cfr. praeter alios Prelleri gr. mythol. I⁴, 849 seqq.

435. *sponte ipse deus* i. e. non hieme aut ventis adiutus; *asperat undas*: Verg. Aen. III, 285.

437. Mirari par est, quomodo fieri potuerit, ut Argonautae Lemno profecti et ad Hellespontum tendentes Samothraciam pervenirent, neque omisit Apollonius, in talibus rebus diligentior poeta, dicere, iussu Orphei et certo consilio eos ad hanc insulam appulisse I, 915 seqq.

Digitized by Google

excipit hospitibus reserans secreta Thyotes.
hactenus in populos vati Samothraca diemque
missa vale, sacrisque metum servemus opertis.
illi sole novo laeti plenique deorum
considunt transtris. iam quas praeviderat urbes
navita condebat, proraeque accesserat Imbros,
et sol aetherias medius conscenderat arces.
Thessala Dardaniis tunc primum puppis harenis
appulit et fatis Sigeo litore sedit.

439. *vates amothraca dicam* (*a* in *e* correctum) Vat.; *vates Samothraca diemque* cod. Carr., *vati S. diemque* Schrader; *missa mane* Vat., *missa vale* Schrader. *in populos diemque mittere* est populis narrare et, quae operta sunt, in lucem proferre, cfr. Luc. I, 448 *fortes animas — laudibus in longum — dimittitis aevum*; VIII, 608 *qua posteritas in saecula mittet Septimium fama*; X, 532 seq. *potuit discrimine summo Caesaris una dies in famam et saecula mitti*; Sil. II, 511 *leti decus—in saecula mittam*; VI, 711 *haec mitte in populos*. Satis accurate, ut recte perspexit Schrader, Valerius expressit, quae Apollonius dicit I, 919 seq.: *hactenus—missa* τῶν μὲν ἔτ' οὐ προτέρω μυθήσομαι; *vale* νῆσος — κεχάροιτο; *sacrisque metum servemus opertis* τὰ μὲν οὐ θέμις ἄμμιν ἀείδειν.

441. *pleni deorum* i. e. initiati mysteriis.

442. *considunt transtris*; Verg. Aen. III, 289.

urbes navita condebat; ex imitatione Vergiliana Aen. III, 291; cfr. Val. IV, 636; V, 106; Claud. de rapt. Pros. III, 140.

444. Versus paullum mutatus ex Verg. Aen. VIII, 97 *sol medium caeli conscenderat igneus orbem*; sol medius qui medio in caelo versatur, cfr. Prud. cathem. III, 97 *solis et orbita cum media est*; Val. V, 482 et 559 eadem sententia *Phoebus* medius nominatur.

445. Quae inde ab hoc versu sequuntur de appulsu ad littus Sigeum et de Hesiona ab Hercule servata non inveniuntur apud Apollonium, at consentit Valerius cum Hygino fab. 89 et Diod. IV 42. Mira narrat de hoc Herculis certamine Hellanicus apud schol. Hom. Il. XX, 146.

appulit de navi ipsa hoc loco activa forma dictum ut Tac. ann. II, 24; IV, 27; Suet. Galb. 10.

446. *fatis Sigeo littore sedit*; non igitur sua sponte Argonautas ad hoc littus appulisse Valerius significat, apertius Diodorus narrat l. c., eos tempestate coorta eo delatos esse.

desiliunt: pars hinc levibus candentia velis
castra locat; trito pars frangit adorea saxo
farra; citum strictis alius de cautibus ignem
ostendit foliis et sulphure pascit amico.
Alcides Telamonque comes dum litora blando
anfractu sinuosa legunt, vox accidit aures,
flebile succedens, cum fracta remurmurat unda.

---

447. *hinc* i. quod deinde, ut II, 534; 540; III, 72; 133; Ov. met. XII, 268 et saepius etiam apud scriptores argenteae aetatis.

448. *castra levat* Vat., *c. locat* Heinsius; dictum est ex more Romano, cfr. I, 143: de sententia eorum quae sequuntur cfr. Verg. Aen. I, 174 seqq.

tracto — saxo Vat., quod quid sit, non intellego, *trito s.* Heinsius.

449. *strictis* referendum ad *foliis*, cfr. Verg. ecl. 9, 61; Caes. de bell. civ. III, 58, 3; ne quis autem putet, propter collocationem verborum ad *cautibus* hoc participium pertinere, cfr. exempla ad I, 284 allata; *ignem ostendit foliis* audacius quidem dictum neque admodum eleganter, sed tamen a more poetae non abhorrere puto; quod si improbandum videtur, cum Madvigio adv. II, 138 una litterula mutata *obtendit* scripserim.

450. *pascere* ignem poetae dicunt, in prosa scribitur *alere*, cfr. II, 659; Ov. met. XIV, 467; Luc. V, 525; Sil. VII, 370; IX, 603; XIV, 307; 421; XVII, 593.

451. *blando anfractu* i. e. amoeno; *blandissima littora* Stat. silv. III, 5, 96; *blandum frigus* Claud. epith. 1; *blandus sapor* Sedul. c. pasch. II, 2; *blanda acta* Paul. Nol. c. 10, 183; *blandi odores* (florum) Orient. common. I, 325.

452. *littora — legunt* sc. ambulando, 'durchstreifen', cfr. Prop. I, 20, 7; Ov. met. V, 579; Sil. VII, 132; XII, 524; Stat. Ach. II, 73; Theb. I, 376; II, 497. *vox accidit aures*; solo accusativo utitur poeta ex imitatione antiquiorum scriptorum: Plaut. Stich. 88; eadem verba inveniuntur in inscriptione metrica apud Buechel. anthol. lat. II, 227, 3; cfr. Verg. Aen. IX, 474 *nuntia Fama ruit matrisque adlabitur auris.*

453. Recte explicat Kurtz ephem. gymn. Austr. 28 p. 610 'wenn die Woge ans Ufer brandet, wird die schwache menschliche Stimme übertönt, so oft die Welle gebrochen sich murmelnd verläuft, hört man das Wehklagen regelmässig darauf folgen'; *flebile* (Vat. *flebili*)

Digitized by Google

attoniti pressere gradum vacuumque secuntur
vocis iter; iam certa sonat, desertaque durae
virgo neci quem non hominum superumque vocabat?
acrius hoc instare viri succurrere certi,
qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo
avia, frangentem morsu super alta leonem
terga ferens, coit e sparso concita mapali

---

i. e. flebili modo, cfr. praeter alia III, 349 *luctificum clangente tuba*; V, 169 *grave Titan vociferans*; VII, 8 *pavidum medio sic fata dolore est*; 215 *flebile gaudens*; 362 *immortale virens*; Claud. in Eutrop. II, praef. 26 *anile gemens*; 446 *turpe gemit. remurmurat* i. e. cum murmure recedit, cfr. Verg. Aen. X, 291.

454. *v a c u u mque secuntur vocis iter* admodum obscure dicitur; Burm. explicat iter per aera factum; etiam de deserto littore cogitavit et hoc probat Thilo praef. p. 88; Phil. Wagner ann. phil. 89, 402 dictum putat, quia audiunt solam vocem, sed neminem conspiciunt. Hanc explicationem si sequimur, *vacuus* adiectivum proprie ad *vocem* referendum fuisse statuere necesse est, neque abhorret hoc a Valerii dicendi audacia, cfr. exempla ad II, 35 allata; vide etiam I, 707 *visu inani* et III, 661 *vacuos visus*. Hermathen. VIII, 401 annot. proponitur *vescumque*.

455. Mirum quod Burmann *certa* neutrum pluralis intellegit; transfertur notio adiectivi ad auditum hoc loco eodem modo, ut ad visum apud Horatium, qui scripsit c. II, 16, 3 *neque certa fulgent sidera nautis*.

456. cfr. Verg. Aen. II, 745.

458. In hac comparatione fortasse Valerio ante oculos fuit locus Homeri Il. XVII, 61 seqq., quamquam ibi pastores non fortes describuntur, sed pleni metus eisque comparantur Troiani, qui cum Menelao congredi non audeant, apud Valerium autem agricolae mugitu tauri excitati concurrunt parati ad auxiliandum, cum eis enim Hercules et Telamon comparantur '*succurrere certi*'; de leone in praeda sedente cfr. etiam Sil. XI, 244 seqq.; *frangentem morsu* i. e. laniantem, ut III, 587; Stat. Theb. XI, 28; obiectum facile auditur *taurum* vel *terga*; *gemitum* hoc loco apte poeta scripsit pro *mugitu*, cfr. III, 737 et Verg. Aen. VII, 15.

460. *e sparso — mapali* i. e. e mapalibus per regionem dispersis; saepe apud poetas substantiva quae dicuntur concreta in singulari pro plurali ponuntur, si apposita sunt adiectiva multitudinem

Digitized by Google

agrestum manus et caeco clamore coloni.
constitit Alcides, visuque enisus in alta
rupe truces manicas defectaque virginis ora
cernit et adsiduo turgentia lumina fletu,
exanimum veluti multa tamen arte coactum
maeret ebur, Pariusve notas et nomina sumit

---

significantia, velut Iuv. sat. I, 120 *densissima lectica*; III, 232 *plurimus aeger*; VIII, 58 *plurima palma*; XIII, 215 *densissima ruga*; XIV, 144 *densa oliva*; Tib. II, 3, 42 *multo iugere*; Ov. trist. V, 10, 19 *densissimus hostis*; met. XIV, 354 *circumfusus satelles* al.; apud Valerium haec leguntur: *omnis eques* I, 708; *mater* II, 202; *densa trabe* III, 484; de alio usu cfr. ad III, 163.

461. *caeco clamore* i. e. in quo nihil discernas, cum omnes simul clament, cfr. Verg. Aen. XII, 591 *murmure caeco intus saxa sonant*; de ablativo cfr. ad I, 158.

462. *visu enisus* eleganter dixit poeta similitudinem ducens a viatore, qui pedibus in arduum montem enititur, nec minus venuste non virginem ipsam ab Hercule conspectam dixit, sed eas res, quae misericordiam commoveant: *manicas*, *defecta ora*, *lumina turgentia*.

463. *truces manicae* rara translatione dicuntur, sed cfr. Stat. silv. III, 1, 34 *truces arcus*; Theb. IV, 21 *conos*; IV, 268 *trux arcus*; Sil. XIV, 502 *galea*; *defecta ora* 'abgehärmt'; plerumque additur participio causa in ablativo posita, velut *annis*, *senio*; cfr. ad III, 236.

464. *ad primos surgentia flumina flectus* Vat., *adsiduo turgentia lumina fletu* Koch coniect. p. 18; cfr. Stat. Theb. XII, 49; Cat. 68, 55.

465. Ebur quamquam est exanimum, tamen magna arte cogitur. ut maerere videatur; paullum aliud est *maestum ebur* i. e. maesta deorum simulacra apud Verg. georg. I, 480. Artis vinculis constricta se movere non potest virgo ideoque cum statua comparatur; cfr. quae de Andromeda leguntur apud Ovid. met. IV, 672 seqq. et apud Eurip. frg. Androm. 126 Nauck., ubi Perseus Andromedam ad rupem alligatam conspiciens exclamat: ἔα τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ περίρρυτον ἀφρῷ θαλάσσης παρθένου τ' εἰκώ τινα ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τυκισμάτων, σοφῆς ἄγαλμα χειρός.

466. *notas et nomina sumit — lapis* i. e. ad similitudinem elaboratur certorum hominum, ut recte Pius explicat, vel etiam deorum; *notae* sunt quibus agnoscuntur, non notae tristitiae, quod putavit Wagner; verba similia, sed alia sententia leguntur Verg. Aen. III, 444.

Digitized by Google

cum lapis aut liquidi referunt miranda colores.
ductor ait: 'quod, virgo, tibi nomenque genusque,
quae sors ista, doce, tendunt cur vincula palmas?'
illa tremens tristique oculos deiecta pudore
'non ego digna malis' inquit; 'suprema parentum
dona vides, ostro scopulos auroque frequentes.
nos Ili felix quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
principio morbi caeloque exacta sereno
temperies; arsere rogis certantibus agri,

---

467. *referunt*, cfr. ad II, 272; *liquidi — colores*, vid. VI, 710 et Hor. c. IV, 8, 7.

Omisit alterum comparationis membrum Valerius: sic immobilis stat virgo ad rupem, sive ita immobilem stantem cernit Hercules; omittitur etiam infra v. 515 seqq.

468. *ductor* hoc loco nihil aliud significat quam *heros*; verba *ductor ait* leguntur etiam I, 164, sed ibi Iason, dux expeditionis, est qui loquitur; substantivum ducis autem saepius legitur pro heroe, cfr. Sen. Med. 233, ubi Iason nominatur *dux ducum*; Stat. Theb. II, 223; III, 55; 403; 520; apud ipsum Valerium I, 759; II, 509; 644; V, 99; 575.

469. *mors* Vat., *sors* Heinsius.

tendunt vincula palmas; extentis manibus virginem ad rupem alligatam esse fingit poeta; cfr. Manil. astron. V, 549 de Andromeda: *mollia per duras panduntur bracchia cautes.*

472. *ostro scopulos auroque frequentes*; *frequens* saepe de regione dicitur certarum rerum plena, ut silva frequens arboribus, terra colubris, amnis verticibus, urbs tectis, loca aedificiis al., hoc loco paullo audacius ita dicuntur scopuli contecti multis vestibus purpureis et auro pictis; etiam maiore audacia scripsit Ovid. her. XIV, 29 *comitum clamore frequentes* i. e. comitati cum clamore a frequenti multitudine.

473. *veteris* Vat., *felix* Slothouwer; *veteris* ex v. 581 huc irrepsisse putat Thilo praef. p. 57.

475. *caeli temperies* salubris pulsa est nimio et continuo ardore solis; *morbi* sc. oriuntur, cfr. ad I, 489.

476. Imitatur Valerius Verg. Aen. XI, 209, sed auxit rem: *collucent* agri apud Verg., *ardent* apud Val., certatim collucere dixit Verg.; apud Val. ipsi rogi certant; cfr. V, 644 *donaria certant.*

Digitized by Google

cum subitus fragor et fluctus Idaea moventes
cum stabulis nemora. ecce repens consurgere ponto
belua, monstrum ingens; hanc tu nec montibus ullis
nec nostro metire mari. primaeva furenti

---

479. Nimia hoc loco superlatio excusationem habet propter vehementes virginis angores.

480. Sententia inde ab hoc versu confuse expressa est: etenim cum dicit Valerius primaevam manum monstro deditam esse inter amplexus parentum, necessario concludimus, plures iam virgines monstro oblatas et tum post eas Hesionen sorte destinatam esse; cum hac sententia conveniunt, quae leguntur v. 563 *quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum serus ades!* cfr. etiam myth. Vat. I, 137 et II, 193, ubi oraculo narratur editum obiciendas nobiles puellas bestiae et Hygin. fab. 89 *Apollo iratus ita respondit: si Troianorum virgines ceto religatae fuissent, finem pestilentiae futurum; cum complures consumptae essent et Hesiones sors exisset et petris religata esset, Hercules et Telamon, cum Colchos Argonautae irent, eodem venerunt* e. q. s. Contra teste schol. Il. XX, 146 Hellanicus tradiderat, oraculo ipsam Hesionen destinatam esse et sic Apollod. II, 5, 9, 11; cfr. Ov. met. XI, 211; Diod. IV, 42 denique sorte ex omnibus virginibus secundum Apollinis oraculum ducta Hesionen destinatam esse exponit, et haec sententia inest in verbis Valerianis inde a v. 482; nam quod scripsit poeta v. 484 *sortitaque Lethen corpora*, cave necessario de pluribus interpretandum putes, sed ut saepe apud poetas *corda pectora ora colla* de uno homine dicuntur, sic *corpora* de una Hypermestra Ov. her. XIV, 126; Absyrto VI, 130; Iasone XII, 47; Paride XVI, 253; Daedalo art. II, 68; Daphne met. I, 527; Phaethonte II, 326; apro Calydonio VIII, 416; Maratho Tib. I, 8, 52; Sulpicia IV, 11, 2. Quodsi Hesionen praeter alias damnatam esse poeta v. 483 seq. dicere voluisset, neque potuisset singulari numero uti *virgineam damnare animam* et necessario *post alias* (vel tale quid) addendum fuisset ad verba *me destinat*. Deinde non praetermittendum est, quicunque verba v. 482 *hoc sortes hoc corniger imperat Hammon* legerit, ea primo necessario ad ea, quae praecedunt, referre, ut postea demum v. 483 lecto se erravisse intellegat. Quae cum ita sint, videtur Valerius in concipiendo carmine postquam v. 482 scripserit, incertus fuisse, quam potius narrationem sequeretur, addiditque etiam alteram, postea alteram utram deleturus. Denique addo Valerium in eo, quod Hercules Hesionen liberavit cum Argo-

Digitized by Google

huic manus amplexus inter planctusque parentum
deditur. hoc sortes, hoc corniger imperat Hammon,
virgineam damnare animam sortitaque Lethen
corpora; crudelis scopulis me destinat urna.
verum o iam redeunt Phrygibus si numina tuque
ille ades auguriis promisse et sorte deorum,
iam cui candentes votivo in gramine pascit
cornipedes genitor, nostrae stata dona salutis,
adnùe meque, precor, defectaque Pergama monstris

---

nautae Colchos peterent, consentire cum Hyg. f. 89; myth. Vat. I, 136; Diod. IV, 42; contra Apollon. II, 5, 9, 11 narrat Herculem ex bello Amazonum redeuntem virginem servavisse.

481. *amplexus inter*; de collocatione pronominis cfr. VI, 595 *Minyas inter proceresque Cytaeos*; VII, 358 *nives inter tristesque pruinas*; simpliciter postponitur VI, 155 *hos inter*; cfr. etiam VI, 525 *arma super squalentesque aere lacertos.*

482. *corniger Hammon*, cfr. Ov. met. V, 17; *sortes* videntur dictae esse de Apollinis Pataraei in Lycia oraculo, cfr. Verg. Aen. IV, 346; Prelleri myth. graec. I⁴, 284. Coniunxit rursus duas res poeta; Apollinis oraculo Hesione exposita erat, cfr. myth. Vat. I, 136; Hyg. fab. 89; at Andromeda iussu Iovis Hammonis Ov. met. IV, 671; Apollod. II, 4, 3, 3.

484. *scopulis me destinat urna*, Verg. Aen. II, 129.

485. *redeunt — si numina*; sic etiam Sil. VIII, 235; contrarium erat v. 474; *si* tertio vocabulo postponitur hoc loco et IV, 587; alteri IV, 170; V, 19; 642; 646 (*seu* VII, 97; *ni* V, 654); quinto IV, 501; VII, 454; etiam longius ab initio remotum invenitur VI, 391.

487. *votivo in gramine*; cfr. ad II, 35.

488. *cornipedis* adiectivo pro substantivo quod est equus usus est Lucanus IV, 762; VIII, 3; post eum Valerius hoc uno loco, saepe Silius et Statius aliique poetae non raro; apud Vergilium adiectivum legitur Aen. VI, 591; VII, 779.

dona salutis alia sententia i. e. pro donis salutaribus dixit Iuvenc. evang. II, 66; cfr. anthol. lat. 310, 9 ed. B.

489. *defectaque Pergama*; cfr. ad 463; *monstris* est dativus coniungendus cum *eripe*. *monstris* pluralis dicitur pro singulari, ut augeatur imago et notio horrendae bestiae; etiam Iuno de eadem hac bestia dicit III, 512 *Phrygiis ultro concurrere monstris*; sic

Digitized by Google

eripe, namque potes. neque enim tam lata videbam
pectora, Neptunus muros cum iungeret astris,
nec tales umeros pharetramque gerebat Apollo.'
auxerat haec locus et facies maestissima capti
litoris et tumuli caelumque, quod incubat urbi,
quale laborantis Nemees iter aut Erymanthi
vidit et infectae miseratus flumina Lernae.
Dat procul interea signum Neptunus et una

---

augendi causa legitur *raptis coniugiis* VIII, 392; cfr. I, 745 et Kuehneri gramm. lat. II, § 23.

490. *namque potes*; cfr. I, 13.

Hoc quoque loco videtur Valerius exaggerando robore Herculis angorem virginis exprimere voluisse.

493. *captum littus* est, quod occupatur a monstro, quasi urbs ab hoste; contraria sunt littora tuta v. 546.

494. *tumulos* putat Wagner cenotaphia puellarum, quae iam antea perierint, sed potius referendi sunt ad v. 476, ut caelum, quod incubat urbi, ad 475.

495. Iter vel via, qua ibatur ad Nemeam aut Erymanthum, infestata erat simili modo, ut tum videbat littus et regionem Troianam infestatam Hercules; *iter Nemees* rara quidem est constructio, sed vel in prosa invenitur, cfr. Cic. de orat. I § 98 *uterque vestrum patefecit earum ipsarum rerum aditum;* Tusc. I, 27 *excessu vitae* i. e. e vita; 23 *quaestione animorum explicata* i. e. de animis; Curt. III, 7, 6 *quem* (regem) *praemiserat* (Parmeno) *ad explorandum iter saltus*; V, 9, 3 *aditum nefariae spei praeparans.* Non alienum videtur hac data occasione nonnulla alia exempla Valeriana afferre, ubi genetivus non prorsus ex consuetudine reperitur ad sententiam aliquam brevissima ratione explicandam: III, 265 *agmen matris* i. e. a matre ductum; 610 *monstra novercae*: a noverca immissa; 689 *sanguis pugnae*: in pugna effusus; IV, 704 *deorum sors*: a deis missa; VII, 72 *rura laboris*; rura in quibus labor confici debet; II, 414 *raptus — Idae*: in Ida factos.

496. *flumina Lernae* 'die Gewässer', ut Verg. Aen. XII, 518; cfr. III, 420 *Aesepia fl.*; (III, 435 *fluvii*;) IV, 698 *fl. Rhebae;* V, 186 (*Phasidis*); Cat. 64, 89 *Eurotae fl.*; 356 (*Scamandri*); Verg. Aen. XI, 659 *fl. Thermodontis*; 582 *Symaethia fl.*; XII, 331 *fl. Hebri*; Ov. met. VIII, 557 *fl.* (*Acheloi*); IX, 115 (*Eueni*).

monstriferi mugire sinus Sigeaque pestis
adglomerare fretum, cuius stellantia glauca
lumina nube tremunt, atque ordine curva trisulco
fulmineus quatit ora fragor, pelagoque remenso
cauda redit, passosque sinus rapit ardua cervix.
illam incumbentem per mille volumina pontus

498. *monstriferi — sinus*, Luc. V, 620; *mugire*, Sen. Phaedr. 1026.

499. *adglomerare fretum* i. e. glomerare mare, ut magnae existant undae; cfr. ad II, 171 et Stat. Ach. I, 59 *illi* (Tyrrheni greges) *spumiferos glomerant a pectore fluctus.*

stellantia lumina i. e. ardentia, blitzende; sic III, 98 *st. tegmina*; V, 623 *tecta*; Ov. met. I, 723 *gemmae.*

500. *glauca — nube tremunt* obscure dictum est; Burmann intellegit torvitatem oculorum coll. Hor. epist. I, 18, 94, Wagner fluctus, quibus caput obnubilatum sit et hoc videtur praeferendum: oculi splendent quamquam obnubilantur spumanti maris rore; nubes autem de oculis ipsis dicta non tam significat torvitatem, quam tristitiam vel dolorem, ut ipso illo Horatii loco, quem Burmann affert; hoc similiter Graeci exprimunt, cfr. Soph. Antig. 528 νεφέλη δ' ὀφρύων ὑπερ αἱματόεν βέθος αἰσχύνει et quae exempla ibi interpretes afferunt, cfr. denique Prud. perist. V, 125 seqq. *ast ille tanto laetior Omni vacantem nubilo Frontem serenam luminat*; Mart. II, 11, 1 seqq., Stat. silv. III, 5, 11.

ordine — trisulco sc. dentium.

501. Sibilus, quem monstrum edit, comparatur cum fulmine et tonitru.

502. Motus monstri similis est ei, quo in terra angues vel vermes loco moventur. Sinuatur corpus vel contrahitur, ita ut capiti et cervici immotis posteriores partes cum cauda admoveantur, tum hae loco manent et caput cum collo promovetur. De hac re puto poetam cogitasse, sed priorem motum describere praetermisit: fingit bestiam voluminibus corpus iam sinuasse, tum cauda redit, i. e. rursus pervenit in eum locum, ubi propria eius sedes est, ad extremum corpus, sed hoc non fit motu ipsius caudae, verum eo quod caput promovetur: *passos sinus rapit ardua cervix.* Neque vero Valerius rem ut physicus secundum veritatem ipsam describere debebat, sed ut poeta secundum speciem veritatis. Hoc modo ut totam sententiam explicem, adducor verbi *redeundi* notione i. e. perveniendi rursus eo, unde primo profectus sis: cauda autem primo se movet a postrema

Digitized by Google

prosequitur lateri adsultans, trepidisque ruentem
litoribus sua cogit hiemps. non fluctibus aequis
nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
tantus ovat patriisque manus cum plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
ecce ducem placitae furiis crudescere pugnae

---

parte ad collum, non contra. Priorem motus partem omisit Valerius ideo, opinor, quod ea non tantum confert ad horrorem excitandum quam posterior atque quod accessus ad littus et virginem hac posteriore potissimum fit.

passusque sinu Vat., *passosque sinus* cod. Carr.

504. *trepidisque ruentem littoribus sua cogit hiemps. sua hiemps* recte explicatur tempestas sive fluctus ab ipsa belua excitati, cfr. VII, 466 *sui tauris languent absentibus ignes*; et Stat. Ach. I, 444 *suasque hiemes classis promota suosque Attollit fluctus*; cfr. etiam Sen. Phaedr. 1010 seqq. *trepidis littoribus* dativus est locum exprimens, ad quem motus aliquis dirigatur, ut in notissimo illo Vergiliano *it clamor caelo* permultisque aliis locis, cfr. paullo infra 523 *vallibus*; *cogere* autem significat vi vel necessitate quadam aliquo perducere, cfr. I, 65; VII, 239; Hor. c. II, 3, 25 *omnes eodem cogimur*; Verg. Aen. IX, 463 *acies in proelia cogit*; Lucr. VI, 274 (ventus) *qui cogit in unum Forte locum quemvis*; culicis 108 *pastor pecudes cogebat in umbras*; Claud. de cons. Stil. 315 *cervos — in vincula cogit.*

507. *ovat* i. e. gaudio exsultat, cum ei per mare saevire liceat.

508. De *Orione* Neptuni et Euryales filio cfr. Apoll. I, 4, 3; Prelleri mythol. gr. I⁴, 450; eum hoc loco poeta vehentem fingit equis marinis, qui *bipedes* nominantur etiam a Verg. georg. IV, 389; cfr. Stat. Ach. I, 60 *delentque pedum vestigia cauda*; Theb. II, 45 seqq. *illic Aegaeo Neptunus gurgite fessos In portum deducit equos: prior haurit arenas Ungula; postremi solvuntur in aequora pisces.* Haec monstra in piscem desinentia saepissime conspici in artis operibus notum est, cfr. Overbeck griech. Kunstmythol. III tab. II Nro. 13, 14, 15; tab. VI, Nro. 20, 22, 31; Müller-Wieseler monum. II tab. 6, 69; 7, 79; 78; 85.

In tota hac beluae descriptione Valerius dum superare vult Vergilii locum, qui est Aen. II, 204 seqq., elegantia paullum destitutus nimio verborum tumori indulget; eodem vitio nimiae superlationis laborat etiam narratio, quae sequitur, de pugna Herculea.

509. *furiis crudescere pugnae*; aliis locis non de hominibus, sed

Digitized by Google

surgentemque toris stupet immanemque paratu
Aeacides pulsentque graves ut terga pharetrae.
ille patrem pelagique deos suaque arma precatus
insiluit scopulo, motumque e sedibus aequor
horruit et celsi spatiosa volumina monstri,
qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri
tollitur et volucres Rhipaea per ardua nubes
praecipitat, piceo nox tum tenet omnia caelo.

---

de pugna ipsa hoc verbum usurpatum legitur, ut III, 210 *pugnae crudescit opus*; Verg. Aen. VII, 788; XI, 833 *deiecta crudescit pugna Camilla*; Coripp. Ioh. IV, 885; Liv. X, 19, 20 *paulisper recruduit pugna.*

510. *surgentem toris*; surgendi verbo interdum poetae utuntur pro eo quod est crescere, augeri, ut Verg. Aen. V, 274 *Ascanium surgentem — respice*; VI. 364 *oro per spes surgentis Iuli.*

512. *suaque arma precatus*; de re cfr. Verg. Aen. XII, 95 seqq.; X, 773; Stat. Theb. IX, 548; Sil. VI, 138 seq.

514. *spatiosa volumina monstri* sc. horrent, dictum pro eo quod 'monstrum spatiosis voluminibus insigne horret', cfr. III, 302 *exitium patriae senectae* i. e. patris senis.

515. Wagner Eyssenhardt Schenkl beluam appropinquantem cum Borea comparari putant, rectius Thilo praef. p. 88 'Herculis', inquit, 'scopulo insilientis et mare turbantis vis cum Borea comparatur' (deest alterum comparationis membrum, ut supra v. 467). Semper enim Valerius rem, quae illustrandi causa profertur, postponit rei ipsi, quae proprie describenda est et exemplo illustratur, si illa pronomine *qualis* vel verbis *qualis si qualis ubi* inducitur, huic particula vel pronomen comparationem indicans non additur: II, 192; 465; 495; 546; III, 65; IV, 604; 700; V, 565; VI, 260; 505; 527; VII, 645; VIII, 21; 227; eis autem locis, ubi res illustranda postponitur, satis aperte hoc indicatur vocabulis *qualis — talis* V, 89; 343; VIII, 27; *qualis — sic* IV, 104; 268; VI, 613; *qualis — haud aliter* V, 22; VII, 375; *qualis — haud secus* VI, 711; VII, 635; *ceu — non segnius* III, 83; *velut — sic* IV, 686; *ut — sic* VI, 358. Exempla pleraque collegit Bussen de Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu p. 17 seqq., sed de usu a me commemorato nihil dicit.

517. *nec dum* Vat.; *nox tum* Thilo.

Digitized by Google

illa simul molem horrificam scopulosaque terga
promovet ingentique umbra subit, intremere Iden
inlidique putes pronasque resurgere turres.
occupat Alcides arcum totaque pharetrae
nube premit. non illa magis quam sede moveri
magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
iam brevis et telo volucri non utilis aer.

518. *simul* i. e. simulatque Hercules in scopulum insiluit; non potest particula ad *molem* et *terga* spectare, quia hae duae res non diversae sunt.

scopulosaque terga non mutandum videtur in nimia totius descriptionis superlatione et sic videtur Statius legisse, qui dicit in Ach. I, 55 *cete scopulosa*, cfr. supra v. 479; neque in vocabulo *umbra* offendendum v. 519, quam mole ingenti corporis belua effecisse cogitatur: sic dicit Valerius III, 99 de ingenti umbra Corythi, V, 175 aquilae iecur Promethei laniantis; cfr. praeterea VI, 235; VIII, 33; prorsus aliam sententiam habet *ingens umbra* apud Verg. Aen. X, 541.

520. *idem inlidique rates pronaeque resurgere turres* Vat. Longe plurimi putaverunt, Argo navem his verbis commemorari, quae interpretatio non, ut opinatur Thilo, ideo improbanda est, quod navis longius aberat, quam ut beluae motibus illideretur, sed omnino non probabile videtur de navi Valerium hoc loco cogitasse. Recepi in loco paene desperato satis lenes emendationes, quas proposuit Loehbach observ. crit. p. 7, haec addens 'wenn das Thier sich regt, sollte man meinen es bewege sich ein Berg (i. der Ida) oder Thürme stürzten und ständen wieder auf'.

521. *occupat Alcides arcum* i. e. celeriter corripit, antequam belua impetum in eum facere possit; *arcu* scripsit Koestlin Philol. 39, 249 coll. VI, 198 et VII, 254.

522. *nubes* non raro de multitudine sagittarum vel telorum dicitur, sed audacius scripsit poeta *nube pharetrae* i. e. multitudine sagittarum, quae pharetra continebantur.

moventi Vat., *moveri* ed. Bon.; de collocatione verborum quae sunt *sede moveri* cfr. ad I, 284.

524. Nimis iam appropinquaverat monstrum, quod sagittis non pellebatur, Herculi, ut spatium non satis magnum maneret ad sagittas mittendas, cfr. Sil. IX, 321 *amisere ictus spatium*; Flor. II, 19, 6 *simulato metu adeo passus est hostes castris succedere, donec absumpto*

Digitized by Google

tum vero fremitus vanique insania coepti
et tacitus pudor et rursus pallescere virgo.
proicit arma manu, scopulos vicinaque saxa
respicit, et, quantum ventis adiuta vetustas
impulerat pontive fragor, tantum abscidit imi
concutiens a sede maris. iamque agmine toto
pistris adest miseraeque inhiat iam proxima praedae.
stat mediis elatus aquis recipitque ruentem
Alcides saxoque prior surgentia colla
obruit; hinc vastos nodosi roboris ictus
congeminat. fluctus defertur belua in imos

---

iactus spatio adimeret usum sagittarum; Tac. ann. VI, 35 *cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quaereret* e. q. s.; Liv. XXIV, 34 *quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves.*

525. De ellipsi verbi cfr. ad I, 489. *insania* i. e. insanus furor, ut Verg. Aen. XII, 667.

528. *quantum ventis adiuta vetustas impulerat*, cfr. Lucan. III, 470 (rupes) *quam vertice montis Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas.*

529. *inpulerit* Vat., *inpulerat* Thilo.

530. *agmine toto*: impetu illo, quo per varia volumina et tortuosos flexus, quasi plures uno essent, invadit; sic Verg. georg. III, 423 dicit *agmina extremae caudae* et Aen. V, 90 (anguis) *agmine longo serpens*; Avien. phaen. 845 *scorpius agmine caudae Plurimus erigitur*; 896 (hydra) *agmina caelo Lubrica convolvit*; similiter 900; 1268 (serpens) *ingentis — agmina caudae Pone trahit*; Orbis 177 (draco) *pronis agmina longe Tractibus absolvit*; Auson. Mos. 138 de siluro *longi vix corporis agmina solvis.*

534. *vastos — ictus*; Baehrens scripsit *validos*; at quamquam plerumque vastae eae res dicuntur, quae spatium quoddam magnum obtinent, tamen *vasti* ictus nominantur etiam Verg. Aen. V, 198 et Lucan. III, 655; cfr. Ov. met. VIII, 359 *vasto impete*; X, 551 *vasta ira*; ex Pont. II, 7, 54 *vasta procella*; Sil. XIII, 189 *impete vasto*; Val. III, 588 *vasto murmure.*

ictus congeminat; sic Verg. Aen. XII, 713; cfr. etiam ad III, 140 et VI, 379.

535. *bellua* cod. Carr., om. Vat.

Digitized by Google

iam totis resoluta vadis; Idaeaque mater
et chorus et summis ululârunt collibus Amnes.
protinus e scopulis et opaca valle resurgunt
pastores magnisque petunt clamoribus urbem.
nuntius hinc socios Telamon vocat, ac simul ipsi
horrescunt subitoque vident in sanguine puppem.
nec minus in scopulos crudique cacumina saxi
emicat Alcides vinclisque tenentibus aufert

536. *resolutam* Wagner interpretatur mortuam, sed quid sibi velint verba *totis vadis*, si ita locum intellegimus, non perspicitur; Dureau vertit 'les longs plis déroulés', explicata igitur per vada cogitat volumina morientis monstri, quae notio sane non aliena est a verbo resolvendi, cfr. Sil. VI, 227 seq. *rapideque* (serpens) *resolvens Contortos orbes derecto corpore totam Extendit molem*; sed propter verba *totis vadis* adiecta fortasse praestat ita explicare, ut statuamus beluam antea firmum in vadis prope litus statum tenuisse et haesisse, nisi ipsa se promovere vellet, tum autem morientem resolutum esse vadis, veluti quis vinculis vel catenis resolvitur (Ov. met. IV, 737; artis III, 272), ut in imos fluctus decideret.

537. *chorus* sc. Corybantum; *amnes* sunt dei vel nymphae fontium, qui gaudio abrepti clamorem tollunt, ut Verg. Aen. IV, 168; Ov. her. VII, 95; cfr. met. III, 528; Stat. silv. III, 1, 75; Apollon. III, 1217; rarius omnino ululandi verbum ad gaudium indicandum adhibetur, sed vide etiam Ov. met. III, 706; 725; Luc. VI, 261; Stat. silv. IV, 2, 49; Theb. V, 729.

540. In pictura Pompeiana Helbig Nr. 1132 Telamon monstro interfecto vincula virginis solvit, dum Hercules quietus adstat; Nro. 1129 et 1130 in interficiendo monstro Hercules a Telamone adiuvatur; videlicet artifici non tam facile erat Telamonem desidem fingere quam poetae.

542. *crudique cacumina saxi*: praeter consuetudinem saxum *crudum* pro aspero vocatur; quamquam enim eandem habere possunt notionem haec duo adiectiva, tamen crudae eae tantum res asperae dici solent, quae hominum manu mutantur mitigantur levigantur, quod non cadit in saxum, de quo hoc loco poeta loquitur.

543. *in scopulos — emicat*; cfr. Verg. Aen. VI, 5 *iuvenum manus emicat littus in Hesperium*; XII, 326 *saltuque superbus emicat in currum.*

Digitized by Google

virgineas de rupe manus aptatque superbis
arma umeris; regem inde petens superabat ovante
litora tuta gradu, qualis per pascua victor
ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta revisit
et patrium nemus et bello quos ultus amores.
Obvia cui contra longis emissa tenebris
turba Phrygum parvumque trahens cum coniuge natum
Laomedon; iam maestus equos, iam debita posci
dona gemit. pars aerii fastigia muri
cingit et ignotis iuvenem mirantur in armis.
illum torva tuens atque acri lubricus astu

---

544. *de rupe* cum non possit non referri ad *aufert*, *vinclis tenentibus* dativus est interpretandus.

aptatque superbis arma umeris; Verg. Aen. IX, 364 *umeris nequiquam fortibus aptat.*

545. *ovant* Vat.; *ovante* ed. Bon. et Ald.; cfr. ad I, 109.

546. comparatur Hercules cum tauro victore, ut Tydeus apud Stat. Theb. III, 330 seqq.; cfr. etiam Verg. georg. III, 219 seqq. et Ov. met. IX, 46 seqq.

547. *tum colla tumens, tum celsior armis*: de varietate casuum vid. ad I, 392.

548. *stabula alta*: Verg. Aen. VI, 179; IX, 388; X, 723; Ov. met. VI, 521; VIII, 553. Explicatur de stabulo altis muris cincto aut de stabulo in colle posito; illud improbandum videtur propter locum Vergilianum Aen. VI, 179, ubi stabula alta ferarum dicuntur neque commendatur loco Homerico Od. XIV, 5 seq. ἔνθα οἱ αὐλὴ ὑψηλὴ δέδμητο περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.

549. *bello quos ultus amores*: contrarium describitur Verg. georg. III, 226 seq.

551. Nomen uxoris Laomedontis varie traditur, vid. Apollod. III, 12, 3, 8; natum videtur Valerius Podarcem cogitasse, qui postea Priamus nominatus est.

554. *pars — cingit et — mirantur*; eodem modo numerus variatur III, 97 *fert sonitus immota phalanx irasque retentant*; III, 278 *pars — prensat — pars — componunt*; Verg. Aen. II, 31 *pars stupet — et — mirantur*; cfr. II, 64; III, 676 al.

555. *torva tuens*; cfr. ad I, 38.

Digitized by Google

rex subit et patrio fatur male laetus amore:
'maxime Graiugenum, quem non Sigea petentem
litora nec nostrae miserantem funera Troiae
appulit his fors ipsa locis, si vera parentem
fama Iovem summique tibi genus esse Tonantis,
noster ades iunctisque venis; sator unus et idem
stirpis honos, quamquam longis disiungimur oris.
quot mihi post lacrimas, post quanta piacula patrum
serus ades! quam parva tuis iam gloria factis!
verum age nunc socios fraternis moenibus infer;
crastina lux biiuges stabulis ostendat apertis.'
dixerat haec; tacitusque dolos dirumque volutat
corde nefas, clausum ut thalamis somnoque gravatum

---

556. *illum — acri lubricus astu rex subit*; *subire* interdum ponitur pro adeundi verbo simpliciter ut Stat. Theb. IX, 510 *tandem precibus commota Tonantem Iuno subit*; X, 406 *dubius* (Dymas) *precibusne subiret*, sed subest interdum notio doli occulti, ut hoc loco; cfr. Quint. instit. IV, 5, 5 *interim vero fallendus est iudex et variis artibus subeundus.*

male laetus notat eum, qui non ita laetus est, ut debet, ut omnino adverbium *male* ad adiectiva appositum, quae habent notionem alicuius virtutis vel id exprimunt, quod esse debet, vim negantem habet, contra vim augentem in adiectivis, quae malum aliquid vel vitium significant, velut *male laxus calceus* (Hor. sat. I, 3, 31) non potest esse nisi valde laxus, quia laxus omnino non esse debet; *digitus* autem *male pertinax* est admodum pertinax tum, cum pertinax non esse debet, sed significat non pertinacem, cum esse pertinax debet, ut apud Hor. c. I, 9, 24.

560. *summi — Tonantis*; cfr. Luc. II, 34; Iuvenc. evang. IV, 553.

561. *iunctisque venis* sc. sanguine vel cognatione; sic dicit Ov. met. II, 368 *a sanguine iunctus*; fast. II, 788 *sanguine iunctus*; Luc. I, 111 *pignora iuncti sanguinis.*

563. *post quanta piacula patrum*: de sententia cfr. ad v. 480; *patrum* i. e. parentum, vid. ad I, 150.

565. *fraternis* i. e. cognatis, cfr. ad I, 163.

567. Cfr. Verg. Aen. IV, 563 *illa dolos dirumque nefas in pectore versat*, et Sil. VIII, 177 *dirumque nefas sub corde volutat.*

568. *somnoque gravatum*; Verg. Aen. VI, 520.

Digitized by Google

immolet et rapta eludat responsa pharetra:
namque bis Herculeis deberi Pergama telis
audierat. Priami sed quis iam vertere regnis
fata queat? manet immotis nox Dorica lustris
et genus Aeneadum et Troiae melioris honores.
'nos' ait 'ad Scythici' Tirynthius 'ostia ponti
raptat iter; mox huc vestras revehemur ad oras
donaque dicta feram.' tum vero plura vocatis
adnuit ille deis, promissa infida tyranni
iam Phryges et miserae flebant discrimina Troiae.
Panditur hinc totis in noctem carbasus alis,

---

569. *immolet* i. e. interficiat; sic etiam Prud. perist. XII, 27 *protrahitur, poenae datur, immolatur ense,* et saepius eadem sententia mactandi verbo utitur Corippus in Iohannide.

luat responsa, quod legitur in Vaticano, nihil aliud significare potest nisi luendo avertat responsa, ut est apud Liv. X, 28, 13 *ut luendis periculis publicis piacula simus.* Cum autem haec luendi notio nullo modo quadret ad hunc locum, duce Baehrente scripsi *et rapta* (Vat. *eraptaque*) *eludat responsa.*

570. *Herculeis deberi Pergama telis* dicuntur ut saepe apud poetas aliquem vel rem aliquam fatis deberi, velut Verg. Aen. VI, 713 *animae quibus altera fato Corpora debentur*; VII, 120 *fatis mihi debita tellus*, al. Ceterum in fatis fuisse, ut Troia bis sagittis Herculeis occumberet, notissima est fabula; cfr. Soph. Philoct. 1439; Sen. Troad. 136.

571. *vertere regnis fata*; vertere hoc loco praeter consuetudinem ponitur pro avertendi verbo; Gronovius scripsit *avertere*, fortasse recte.

572. *turica* Vat., *dorica* cod. Monac. a manu sec., sc. illa nox, qua Troia a Graecis capta et incensa est.

immota lustra non recte explicantur decem anni obsidionis Troianae, sed sunt lustra id spatium temporis complectentia, quod est inter Argonautarum expeditionem et bellum Troianum.

573. Romanus poeta facere non potest, quin post Troianos etiam Romanorum imperium honoris causa nominet.

578. Satis audacter poetica visione usus Valerius iam tum Phryges imminentia mala praevidisse fingit.

579. *panditur — totis — carbasus alis*; cfr. Verg. Aen. III, 520 *velorum pandimus alas*; Apollon. I, 926: ἔνθα σφιν λαιψηρὸς ἄη νότος.

Digitized by Google

litoraque et veteris tumulos praelabitur Ili
Dardaniumque patrem; vigili simul omnia ludo
festa vident; hinc unda sacris hinc ignibus Ide
vibrat et horrisonae respondent Gargara buxo.
inde ubi iam medii tenuere silentia ponti
stridentesque iuvant aurae, Phrixea subibant
aequora et angustas quondam sine nomine fauces.
ecce autem prima volucrem sub luce dehiscens
terruit unda ratem, vittataque constitit Helle,
iam Panopes Thetidisque soror, iamque aurea laeva

---

580. Subiectum *praelabitur* verbi est *carbasus* proprie, sed nimirum cum carbaso etiam navis ipsa praelabitur; dico propter supervacaneas Baehrentis coniecturas.

veteris — Ili; cfr. Hom. Il. XI, 166 Ἴλου σῆμα παλαιοῦ Δαρδανίδαο et 371 seq. στήλῃ κεκλιμένος ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ Ἴλου Δαρδανίδαο παλαιοῦ δημογέροντος.

581. *Dardanius pater* insolentiore metonymia dictum est pro tumulo Dardanii patris, sed hic illic similia inveniuntur; sic legitur VIII, 329 *Stirus* pro navi Stiri; Verg. Aen. II, 312 *Ucalegon* pro domo Ucalegontis (cfr. Hor. sat. I, 5, 71; Ov. fast. VI, 437); Stat. Theb. V, 726 *Iason* pro imagine Iasonis; VI, 64 *Linus* pro imagine Lini; XI, 238 *Nessus* pro veneno Nessi; Iuv. VIII, 164 et Mart. XI, 11, 5 *Mentor* pro opere Mentoris; XII, 128 *Nestor* pro Nestoris aetate; Sil. XII, 338 *deus* pro verbis dei; cfr. ad v. 629.

vigili — ludo i. e. ludo per noctem celebrato, ut Hor. c. III, 8, 14 *vigiles lucernae* sunt per noctem lucentes et Iuven. III, 275 *vigiles fenestrae* per noctem apertae propter homines vigiles. Celebrantur autem ludi propter monstrum occisum.

583. *buxus* pro tibia, ut saepius apud poetas.

586. *sine nomine* explicat Caussin sine fama significare coll. Verg. Aen. VI, 776.

588. Haec de *Helle* Argonautis Hellespontum intrantibus apparente narratio a Valerio ipso excogitata est. *Vittata* dicitur Helle, quia tamquam victima iam vitta ornata erat; cfr. Verg. Aen. II, 133; Ov. trist. IV, 4, 78; ex Pont. III, 2, 75.

589. *Panopes Thetidisque soror* Helle ut dea marina nominatur.

laeva sceptra tenens; sceptrum insigne dignitatis modo laeva tenetur, ut Ov. am. III, 1, 13; met. VII, 506; Sil. XVI, 240; Boeth.

Digitized by Google

sceptra tenens. tum sternit aquas proceresque ducemque
aspicit et placidis compellat Iasona dictis:
'te quoque ab Haemoniis ignota per aequora terris
regna infesta domus fatisque simillima nostris
fata ferunt; iterum Aeolios Fortuna nepotes
spargit et infelix Scythicum gens quaeritis amnem.
vasta super tellus, longum (ne defice coeptis)
aequor, et ipse procul, verum dabit ostia Phasis.
hic nemus arcanum geminaeque virentibns arae
stant tumulis; hic prima pia sollemnia Phrixo
ferte manu cinerique, precor, mea reddite dicta:
non ego per Stygiae, quod rere, silentia ripae,

---

de cons. phil. I, 1; modo dextra, ut Verg. Aen. XII, 206; Ov. met. III, 264; fast. VI, 38; Sen. Herc. fur. 331; Iuvenc. IV, 646.

591. *placidis compellat Iasona dictis*; cfr. Luc. X, 175; Ov. met. VIII, 778.

593. *domus* coniungendum est cum eis quae sequuntur et pendet a substantivo *fata*; de traiectione *que* particulae cfr. ad I, 49.

594. *nepotes* Vat. recte; poetico more pluralis ponitur, cum proprie de uno Iasone cogitandum sit. Plerique editores ex cod. Carr. *penates* receperunt; sed quamquam sane alibi in Vat. *penates* et *nepotes* confunduntur, hoc loco causam non video, cur eius scripturam respuamus.

595. *spargit* i. e. ex patria in longinquas regiones mittit sive pellit; sic V, 487 *rex spargit ab Argis Alciden*; Luc. VIII, 203 *sparsus ab Emathia fugit quicumque procella, Adsequitur Magnum*; Sen. Herc. Oet. 979 *alias in urbes sparge* (me) *et ignotum tibi immitte in orbem.*

596. *ne defice coeptis*; coeptis non dativus habendus, sed ablativus, ut sit ne desiste a coeptis; cfr. locum Livianum I, 24, 7 *illis legibus populus Romanus prior non deficiet.*

598. *geminae arae* a quibusdam interpretibus dicuntur esse arae Martis et Iovis Phyxii, sed sine causa necessaria: arae potius videntur esse in honorem Phrixi et Helles dicatae.

601. Hic quaerat quispiam, cur Helle non, simulatque Phrixus in Colchorum terram advenit, haec fratri apparens aperuerit, sed longum post tempus alius mortuo nuntiare iubeatur. Poeta id non curavit, cum arriperet occasionem, qua felix navigatio Iasoni portenderetur, atque adeo postea oblitus est talia Hellen mandasse:

Digitized by Google

frater, agor; frustra vacui scrutaris Averni,
care, vias. neque enim scopulis me et fluctibus actam
frangit hiemps; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucusque manu; pater ipse profundi
has etiam sedes, haec numine tradidit aequo
regna nec Inois noster sinus invidet undis.'
dixerat, et maestos tranquilla sub aequora vultus
cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores.
tum pelago vina invergens dux talibus infit:
'undarum decus et gentis, Cretheia virgo,
pande viam cursuque tuos age, diva, secundo.'
Immittitque ratem mediasque intervolat urbes,
qua brevibus furit aestus aquis Asiamque prementem
effugit abruptis Europa immanior oris.

Iason certe mandata non exsecutus est, cum navem ad ostia Phasidis appelleret quamquam invocans Phrixum V, 192 seqq.

per Stygia — silentia ripae errare Hellen ut inhumatam Phrixus opinabatur.

602. *vacui — Averni;* Burmann: 'quia non corporibus sed umbris colitur et inhabitatur'; *vacuus Avernus* legitur etiam Claud. de rapt. Pros. I, 20; *vacua aula* sc. Ditis Stat. Theb. XI, 302; *vacua Ditis domus* Verg. Aen. VI, 269, qui ibi addit *inania regna*; hoc habet etiam Ov. met. IV, 510; *inania Tartara* met. XI, 670; *inane Persephones* Stat. Theb. IV, 477; eandem sententiam habet *domus exilis Plutonia* apud Hor. c. I, 4, 17.

607. *nec Inois noster sinus invidet undis*; cfr. Hor. c. II, 6, 18 seq. *Aulon — minimum Falernis invidet uvis.*

Inoae undae significant mare, in quod Ino se praecipitavit.

610. *pelago vina invergens*; cfr. Verg. Aen. VI, 244 *frontique invergit vina.*

611. de Helle *virgine Cretheia* cfr. ad I, 41.

undarum decus et gentis, cfr. III, 523, ubi Nymphae nominantur *undarum nemorumque decus*; Verg. Aen. IX, 405 (Luna) *astrorum decus*; XII, 142 *nympha decus fluviorum.*

613. *immittit ratem* sc. in fretum angustum.

615. *Europa effugit prementem Asiam*, ut minor terra longe maiorem. *Immanior oris* dicitur Europa propter abruptas oras, cum littora Asiae sint planiora et amoeniora. Sic Burmann, qui ad con-

Digitized by Google

has etiam terras consertaque gentibus arva
sic, pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
cuspis et adversi longus labor abscidit aevi,
ut Siculum Libycumque latus, stupuitque fragore
Ianus et occiduis regnator montibus Atlans.
iam iuga Percotes Pariumque infame fragosis

---

firmandam suam explicationem affert locum Taciti ann. III, 7, quo nihil demonstratur. Sed re vera res se ita habet, ut describit Valerius, vide Limpricht, die Strasse der Dardanellen p. 37: 'die europäische Küste zieht sich als eine gleichmässig steile, nur selten durch eine grössere Thalweitung unterbrochene Wand dahin. Ihre kahlen Höhen aus gelbem oder weisslichem Kalk gewähren keinen freundlichen Anblick. Wohlthuend contrastirt damit das Landschaftsbild, das die asiatische Küste darbietet.'

616. *conserta gentibus arva* sunt arva continuo tractu a gentibus habitata; cfr. Verg. Aen. III, 468 *lorica conserta hamis*; Luc. IV, 136 *conseritur — cumba papyro i. e.* cumba fabricatur continua serie papyri; Sil. IV, 16 *conseritur tegimen laterum — thorax*; Stat. Theb. VII, 728 *consertum cunei latus*; Suet. Galb. 18 *monile margaritis gemmisque consertum.* His locis conserendi verbum non dicitur de multitudine rerum vel hominum, qui in unum inter se conseruntur, sed de eo, quod ex hac consertione efficitur, et similis est notio, non prorsus eadem, loci Valeriani.

618. Ex similitudine aliarum terrae continentis mutationum, quas traditas accepit Valerius, etiam Asiam ab Europa violenta vi fluctuum quondam divulsam esse concludit; id re vera ita factum esse tradidit Diodorus V, 47 auctoribus Samothracibus, tum Prisc. perieg. 15 et Plin. hist. nat. V, 141; cfr. Strab. I, 3, 4. De Sicilia et Africa avulsis cfr. ad I, 588.

620. Commemoratione *Iani* videtur poeta indicare voluisse, has mutationes factas esse eo tempore, cum Ianus in Italia regnaret, de qua re cfr. Prelleri mythol. rom. I^3, 182.

occiduis regnator montibus, cfr. Verg. georg. I, 482 *fluviorum rex Eridanus*; Aen. VIII, 77 *Hesperidum fluvius regnator aquarum* (Tiberis); Ov. met. IX 17 *dominus aquarum* (Achelous); Stat. Theb. IV, 825 *silvarum, Nemee, longe regina virentum*; Auson. epigr. III, 1 *Illyricis regnator aquis* (Nilus).

621. *Percote* commemoratur iam ab Hom. Il. II, 835; cfr. Her. V, 117; Strab. XIII, 1, 7, al.

Digitized by Google

exsuperant Pityamque vadis, transmissaque puppi
Lampsacus, Ogygii quam nec trieterica Bacchi
sacra neque arcanis Phrygius furor invehit antris,
sed suus in Venerem raptat deus. illius aras
urbe super celsique vident velamina templi.
rarior hinc tellus atque ingens undique caelum
rursus et incipiens alium prospectus in orbem.

---

622. *Pityam* sive *Pityeam* (sic apud Hom. Il. II, 829) schol. Apoll. I, 933 dicit antiquum Lampsaci nomen fuisse, atque solam Pityam, non Lampsacum nominat Apollonius l. l., Valerius autem praeter Pityam etiam Lampsacum, neque immerito; erravisse enim scholiastam docemur a Strabone, qui aperte diversam a Lampsaco Pityam nominet XIII, 1, 15 et antiquum Lampsaci nomen Pityussam fuisse dicit ibid. 18; cfr. Plin. nat. hist. V, 141; Steph. Byz. et Etymol. M. s. v. Lampsacus.

iam iuga Percotes — exsuperant: Verg. Aen. III, 698 *exsupero — solum stagnantis Helori.*

623. *transmissaque — Lampsacus*: de hac transmittendi verbi significatione cfr. Sil. I, 472 (Corus nautas) *curvatis pavidas* (pavidos?) *transmittit Cycladas undis*; XV, 165 *Ligurumque citatis litora tramittunt proris.* De Lampsaci nomine cfr. Pomp. Mel. I, 19, 1.

624. Notissimum Phrygii furoris exemplum est Attis, de quo Catullus egit carmine noto LXIII. *furor invehit*; cfr. Paul. Pell. euchar. 136 *quae — invexere mihi iugem iam deinde legendi Desidiam.*

625. *suus* (i. e. proprius) *in Venerem raptat deus*; non solum Lampsaci, sed omnino in Hellesponti urbibus Priapus summa veneratione colebatur (*Hellespontiacus* nominatur a Verg. georg. IV, 111); cfr. Prelleri mythol. rom. I³, 450.

626. *velamina templi* hac ratione alibi non commemorantur atque satis lenis est coniectura Koestlini Philol. 39, 250 et Kurtzii ephem. gymn. Austr. 28, 610 et Bury Hermathen. VIII, 402 *caelamina*; sed considerantibus nobis, quae dixit Verg. Aen. II, 248 *nos delubra deum — festa velamus fronde per urbem* et IV, 459 (templum) *velleribus niveis et festa fronde revinctum* nihil mutandum videtur; templa coronari narrat Ov. met. VIII, 264.

urbe super; de collocatione praepositionis cfr. III, 109; VI, 88; 525; VIII, 152 (*supra*); et ad I, 151.

627. Verg. Aen. V, 9; III, 193.

Digitized by Google

terra sinu medio Pontum iacet inter et Hellen
ceu fundo prolata maris; namque improba caecis
intulit arva vadis longoque per aequora dorso
litus agit: tenet hinc veterem confinibus oris
pars Phrygiam, pars discreti iuga pinea montis.

629. *Helle* pro Hellesponto dicitur ut III, 7 *per angustae — freta Helles*; V, 200 legimus etiam audacius expressa *quando egomet rursus per te vehar?* i. e. per tuum mare; cfr. etiam ad II, 582.

630. *improba arva*; cfr. ad I, 510. Burmann putat ideo ea dicta improba, quia quasi audacia et temeraria se nimis in mare extendant, sed sibi non constat, cum in explicando I, 510, ubi intellegit campos in longum extensos, hunc locum tanquam similem afferat.

631. *per* om. Vat., add. Vat. 1613. *longum dorsum* est angustus limes, quo insula Cyzicenorum cum continenti terra cohaeret, non pontes, ut interpretes putaverunt, intellegendos existimo, de quibus loquitur Strabo XII, 8, 11. Quae sequuntur, satis obscure dicta sunt: *pars tenet Phrygiam* simili sententia dictum videtur ut Ov. fast. I, 498 *nave secat fluctus Hesperiamque tenet* i. e. cursum ad Hesperiam dirigit vel IV, 290 *Ausoniamque tenet.* Ducit igitur hoc dorsum ab altera parte ad Phrygiam et terram continentem, ab altera ad insulam et montem illum, qui vocatur discretus: hic videtur esse Dindymus, quem Valerius in duos colles discretum fingit consentiens cum schol. Apoll. I, 985: διὰ τὸ διδύμους μαστοὺς ἐν αὐτῷ ἀνήκειν, ὥς φησιν Φιλοστέφανος, οὕτω προσαγορευθέν, quamquam Strabo XII, 8, 11 eum ὄρος μονοφυές nominat. An Valerius falso interpretatus est verba Apollonii I, 939 seqq. ἐν δέ οἱ ἀκταὶ ἀμφίδυμοι, κεῖνται δ' ὑπὲρ ῥοάτοιο Αἰσήποιο. Ἄρκτων μὲν καλέουσιν ὄρος περιναιετάοντες?

633. *iuga pinea* sunt pinifera ut III, 521; cfr. Verg. Aen. XI, 320 *plaga pinea* i. e. pinis consita; Val. IV, 339 *graminea humo*; Verg. Aen. V, 287 *gramineus campus*; VI, 642 *in gramineis — palaestris*; Stat. Theb. IX, 492 *gramineae — ripae*; similia apud posteriores demum poetas inveniuntur: Auson. Mos. 25 *iuga vitea*; 26 *gramineae ripae*; epigr. Tolos. 5 *confinia pinea Cebennarum*; Burdig. 10 *iuga frondea*; Prud. hamartig. 227 *vitea rura*; Dracont. de deo I, 351 *arborei saltus*; 639 *frontes arborei* (de capitibus cervorum); prorsus aliud est, quod cornua ipsa *arborea* nominat Verg. Aen. I, 193.

Digitized by Google

nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
urbs placidis demissa iugis; rex dīvitis agri
Cyzicus. Haemoniae qui tum nova signa carinae
ut videt, ipse ultro primas procurrit ad undas
miraturque viros dextramque amplexus et haerens
incipit: 'o terris nunc primum cognita nostris
Aemathiae manus et fama mihi maior imago.
non tamen haec adeo semota neque abdita tellus
regnaque iam populis impervia lucis eoae,
cum tales intrasse duces, tot robora cerno.
nam licet hinc saevas tellus alat horrida gentes
meque fremens tumido circumfluat ore Propontis,
vestra fides ritusque pares et mitia cultu

---

634. *tenuis — confinia ponti* indicant vicinam terrae continentis regionem, ubi pontus tenuis et vadosus est.

635. *placidis demissa iugis*; cfr. Strab. XII, 8, 11 τῆς δὲ πόλεως τὸ μὲν ἔστιν ἐν ἐπιπέδῳ, τὸ δὲ πρὸς ὄρει. Quae de terrigenis in hoc monte habitantibus fabulosa narravit Apoll. I, 942—946 et de clade eis ab Argonautis illata 989—1011, Valerius omisit.

638. Non liquet, qua ratione Cyzicus rex Argonautas novisse potuerit; rectius Apollonius, qui I, 969 seqq. ex oraculo regem advenas clementer excepisse exponit; cfr. 962 seq.

dextramque amplexus et haerens; cfr. Verg. Aen. VIII, 124 *dextramque amplexus inhaesit*; 558 *dextram complexus euntis haeret.*

641. *ardua* Vat., at ardua tellus propria sententia dicta esse non potest, cum paullo supra poeta dixerit urbem placidis demissam iugis esse, translata autem significatione, quamquam saepe, tamen nunquam de terra vel regione dicitur, ut indicet difficilem aditu; accedit quod hoc ipsum versu qui sequitur additum est. Itaque recepi Baehrentis coniecturam *abdita.*

642. *longaque* Vat., *regnaque* Thilo; *que* particula cum sententia negante pro *nec* vel *aut* ponitur, cfr. ad I, 111; genitivus *lucis eoae* a substantivo *regna* pendet.

643. *tot robora cerno*; cfr. Cat. 64, 4 *lecti iuvenes, Argivae robora puppis.*

646. *vestra fides* i. e. fides, qualis vobis est, est etiam mihi.

Digitized by Google

his etiam mihi corda locis; procul effera virtus
Bebrycis et Scythici procul inclementia sacri.'
sic memorat laetosque rapit, simul hospita pandi
tecta iubet templisque sacros largitur honores.
stant gemmis auroque tori mensaeque paratu
regifico centumque pares primaeva ministri
corpora; pars epulas manibus, pars aurea gestant
pocula bellorum casus expressa recentum.
atque ea prima duci porgens carchesia Graio
Cyzicus 'hic portus' inquit 'mihi territat hostis,
has acies sub nocte refert, haec versa Pelasgum
terga vides, meus hic ratibus qui pascitur ignis.'

---

647. *effera virtus* ideoque non laudabilis; sic *improba v.* Sil. I, 58; *iniqua* Stat. Theb. XI, 1.

648. *Bebrycis* i. e. Amyci regis, qui advenas caestu interficit; *Scythici — sacri* i. e. Dianae Tauricae, cui advenae immolantur.

649. *sic memorat*; cfr. Verg. Aen. I, 631.
rapit; cfr. ad II, 255.

651. *stant gemmis* e. q. s.; cfr. Verg. Aen. VI, 603 seqq. *lucent genialibus altis Aurea fulcra toris epulaeque ante ora paratae Regifico luxu.*

652. *centumque pares primaeva ministri corpora*; cfr. Verg. Aen. I, 705 *centum aliae* (famulae) *totidemque pares aetate ministri*; descriptum id ex more nobilium Romanorum; cfr. Sen. ep. 95, 24; *primaeva corpora* expressa ex Verg. Aen. X, 345 (Clausus) *fidens primaevo corpore.*

654. *pocula casus expressa*; vid. praef. cap. III.

656. Verborum *territat* et *refert* subiectum est substantivum *hostis.*

657. *acies refert* i. e. pugnam iterat; cfr. Ov. her. XII, 194 *auxilium r.*; XV, 93 *ritus*; met. XV, 681 *verba geminata*; remed. 593 *trieterica*; fast. I, 618 *sacra*; III, 476 *causam*; Verg. Aen. X, 281 *facta*; V, 598 *morem*; XII, 185 *arma*; Sil. XI, 28 et XVI, 77 *bella*; Luc. I, 180 *certamina*; Claud. de rapt. Pros. II, 67 *solemnia.*

Hostes Pelasgos esse dicit Valerius secutus Apollon. I, 1023 ἀλλά που ἀνδρῶν Μακριέων εἶσαντο πελασγικὸν ἄρεα κέλσαι; cur autem Apollonius hoc nomine bellum eorum, qui cum Cyzicenis pugnare solebant, indicaverit, non liquet; nam quod schol. dicit, Macrienses esse colonos Euboicos, Euboea autem cum esset sita prope Pelo-

Digitized by Google

subicit Aesonides: 'utinam nunc ira Pelasgos
adferat et solitis temptet concurrere furtis
cunctaque se ratibus fundat manus: arma videbis
hospita nec post hanc ultra tibi proelia noctem.'
sic ait hasque inter variis nox plurima dictis
rapta vices nec non simili lux postera tractu.

---

ponnesum, quae antiquitus Pelasgis vel Pelasgia nominata esset, idcirco bellum Macriensium Pelasgicum dictum esse, ineptum est.

658. *rates* quamquam poetae saepe dicunt pro navibus, tamen hoc loco propria sententia scripsit Valerius memor eius rei, quod narravit Argo primam navem esse; cfr. ad II, 108.

660. *furta* hoc loco sunt impetus subiti et noctu facti, vid. 657; cfr. Sil. XVII, 90 *furtum armorum tutantibus umbris.*

663. *nox plurima* est maxima pars noctis; non dissimilia sunt *multo die multa nocte ad multum diem* al., cfr. etiam Verg. Aen. I, 419 *qui* (collis) *plurimus urbi imminet* (Auson. Mos. 324); Stat. Ach. I, 464 *plurima vultu mater inest*; Luc. II, 58 *plurimus ad terram per fulmina decidat aether*; Avien. phaen. 845 *qua scorpius agmine caudae plurimus erigitur*; Ov. Ibidis 600 *plurima Aetna.*

664. *nox rapta* i. e. celeriter transacta; *dies rapti* Sil. IV, 485; similia multa apud poetas inveniuntur: *rapere iter, viam, pugnam* al.; *opem* i. e. celeriter opem ferre Venant. Fort. vitae Mart. I, 411; *fructum rapere amoris* Luc. VII, 32; *tempus* i. e. tempore celeriter uti X, 508; sic *occasionem r.* distich. Cat. 45; cfr. etiam ad III, 341 et 692. Audacius Verg. Aen. VI, 7 *pars — rapit silvas* i. e. celeriter percurrit; cfr. Stat. Theb. V, 3.

Eleganti oxymoro Valerius dicit simili tractu lucem posteram raptam esse: nam confabulantibus celeriter tempus praeteriit, at simul navigandi moram nectebant.

vices sc. sermonum, cfr. Verg. Aen. VI, 535.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER TERTIVS.

Tertia iam gelidas Tithonia solverat umbras
exueratque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
it tectis Argoa manus, simul urbe profusi
Aenidae caris socium digressibus haerent.

1. *undas* Vat., *umbras* cod. Carr., cfr. Luc. I, 261 *noctis gelidas lux solverat umbras*; Stat. Theb. X, 390; Apoll. IV, 1168 Ἠὼς — λῦε κελαινὴν νύκτα. *tertia — Tithonia solverat umbras*: nomen proprium hoc loco scribitur pro appellativo aurorae similiter ut *Vulcanus* pro igni, *Ceres* pro frumento, *Neptunus* pro mari al., sed id inusitatius, quod adiectivum apponitur soli nomini appellativo aptum.

2. *exueratque polum* videlicet umbris, quibus involutus erat; cfr. Stat. Ach. II, 287 *exuit implicitum tenebris humentibus orbem Oceano prolata dies*; contrarium est Stat. Theb. V, 753 *caeloque cavam nox induit umbram.*

3. *it tectis*; cfr. Verg. Aen. IV, 130 *it — portis delecta iuventus.*

4. *Aenidae* dicuntur Cyziceni ab Aeneo, regis Cyzici patre, vid. schol. Apoll. I, 948, qui ipse eum Αἰνήιον υἱὸν nominat.

caris socium digressibus enallage insolita dictum pro carorum sociorum digr., cfr. ad II, 288; exempla minus audacia sunt III, 404 *Oceani praeceps fragor*; IV, 528 *sociae — agmina puppis*; V, 23 *natorum parva manus*; VI, 296 *populeus frondis honor;* IV, 532 *oblitae Cereris honores*; II, 496 *infectae — flumina Lernae;* V, 125 *vera propago sanguinis*; VI. 125 *segnia mortis iura*; 246 *laevum per luminis orbem.*

Digitized by Google

dant Cererem lectumque pecus nec palmite Bacchum
Bithyno Phrygiove satum, sed quem sua noto
colle per angustae Lesbos freta suggerit Helles.
ipse agit Aesonidae iunctos ad litora gressus
Cyzicus abscessu lacrimans *oneratque superbis*
muneribus, primas coniunx Percosia vestes

---

digressibus haerent i. e. vestigia digredientium (usque ad littus) premunt; simili sententia dicuntur III, 486 *haeret Hylas lateri*; V, 344 *gressibus haerens — Proserpina*; VIII, 55 *ille haeret comes.*

5. *nec palmite Bacchum Bithyno — satum* dictum pro eo quod est et Bacchum non palmite Bithyno satum; cfr. Ov. met. VIII, 561 *pumice multicavo nec levibus atria tophis Structa subit* i. e. et asperis tophis; Val. ipsius VI, 518 *cuius vibrantem — hastam cernere nec galeam gentes potuere* i. e. et galeam — non potuere; sed multo etiam audacius et insolentius legitur VIII, 225 *incipit Idaliae numen nec spernere divae* i. e. et incipit non spernere; cfr. etiam ad VI, 25.

6. *sua Lesbos* i. e. Baccho propter vinum quasi proprie dicata, cfr. II, 625 *suus deus* et de re Prelleri mythol. gr. I⁴, 678 et 693.

7. *per angustae Lesbos freta suggerit Helles;* praeter genetivum *angustae* etiam subiectum *Lesbos* interponitur inter substantivum et praepositionem, at praeterea etiam duae particulae interpositae reperiuntur VII, 623 *ad dirae quam cum Tirynthius hydrae agmina* e. q. s; cfr. anthol. lat. c. 144, 7 ed. B. *scilicet haud potuit, quae sunt sine, permovere, sensu.*

Vinum Lesbium magni erat pretii, cfr. Verg. georg. II, 90; Plin. nat. hist. XIV, 73; 97. *Helle* ponitur pro Hellesponto, cfr. ad II, 629, quamquam hoc loco si enallagen statuimus adiectivi, ut sint verba dicta pro eo quod est angusta freta Helles, propria sententia Helles substantivum explicare licet.

8. *agit — gressus* i. e. graditur; rara locutio, cfr. III, 441 *ter tacitos egere gradus;* VIII, 131 *praecipites agit ille gradus.*

9. *coniunx persocia vestes* Vat., prave repetitum ex versu proximo; *oneratque superbis* ed. Ald., sumptum ex imitatione Verg. Aen. III, 485.

10. *coniunx Percosia*; Clite, oriunda ex Percote, filia Meropis Apoll. I, 975, ubi cfr. schol.; constructio verborum est paullo intricatior, proprie enim dicendum erat *vestibus quas prima munera dabat Clite uxor;* de *Clite* subiecto in altero membro enuntiati posito cfr.

Digitized by Google

quas dabat et picto Clite variaverat auro.
tum galeam et patriae telum insuperabile dextrae
addidit: ipse ducis pateras et Thessala contra
frena capit manibusque datis iunxere penates.
Tu mihi nunc causas infandaque proelia, Clio,
pande virum; tibi enim superum data, virgo, facultas
nosse animos rerumque vias. cur talia passus
arma, quid hospitiis iunctas concurrere dextras
Iuppiter? unde tubae nocturnaque movit Erinys?

---

ad I, 18. Imperfectum *dabat* v. 11 recentioribus suspectum de industria a Valerio scriptum puto, ut indicaret, Cliten quidem quasi initium dandi fecisse, sed regem absolvisse actionem, cum vestes Iasoni traderet.

picto variaverat auro; in re simili apud Verg. Aen. IV, 264 legitur *tenui telas discreverat auro*; cfr. etiam Luc. II, 357.

13. De *frenis Thessalis* vide ad I, 424.

14. *nepotes* Vat., *penates* Gronovius.

15. Narrationem hanc de culpa regis in matrem Idaeam admissa deque deae iratae vindicta Valerius felici inventione ipse addidit; apud Apollonium Argonautae tempestate casu orta rursus ad insulam Cyzicenorum deferuntur. Apte autem ad exspectationem legentium commovendam et augendam extrema demum pugna Cyzicum cecidisse poeta Romanus fingit, cum Graecus statim in initio descriptionis mortem regis commemoraverit; omnino multo fusius Valerius pugnam describit exsequiasque occisorum; pertinet narratio a 43 ad 458, apud Apoll. a I, 1025—1077. In eo autem sequitur Valerius Apollonium, quod errore inter Argonautas et Cyzicenos amicitia iunctos pugnam ortam esse narravit, cum alii aliter de ea re tradiderint, cfr. schol. Apoll. I, 1037; Orph. Argon. 512 seqq; Conon. c. 41 ed. West.

17. *nosse rerum vias* i. e. qua ratione res procedant vel factae sint; cfr. I, 32 *leti viae*; IV, 558 *rerum v.*; Tac. ann. II, 5 *proeliorum v.*; Ammian. XIV, 5, 6 *periculorum v.*; XVII, 1, 12 *consiliorum v.*; Mamert. paneg. Maxim. c. 24 *bellandi v.*

18. *hospitiis iunctas — dextras*; cfr. Verg. Aen. III, 83; XI, 165

19. *nocturna* interpretor accusativum pluralis i. e. nocturna facta, proelia, cum non probabile videatur, movendi vocabulum hoc loco positum esse, ut *mutare vertere* invenitur, pro eo quod est mo-

Digitized by Google

Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis
dum volucri quatit asper equo silvasque fatigat
Cyzicus, ingenti praedae deceptus amore
adsuetum Phrygias dominam vectare per urbes
oppressit iaculo redeuntem ad frena leonem.
et tunc ille iubas captivaque postibus ora
imposuit, spolium infelix divaeque pudendum.
quae postquam Haemoniam tantae non immemor irae
aerisono de monte ratem praefixaque regum
scuta videt, nova monstra viro, nova funera volvit,
ut socias in nocte manus utque impia bella

---

veri, quamquam sane reperiuntur *terra movet, res moventes* vel *moventia* lebendes'. Ad *tubae* autem ellipsi non insolita audiendum *ortae sunt*. Erinys ipso nomine Tisiphone commemoratur III, 214.

20. Ex tota sententia facile apparet, *famulos* hoc loco esse sacerdotes Cybeles, quos deam venerantes se ipsos vulnerare solitos esse notum est.

Dindyma — bacchata; cfr. Verg. georg. II, 487; Aen. III. 125; cum furor imprimis in eo cernatur, quod bracchia ferro laedunt, poeta *lacertis* Dindyma bacchata dicit pro eo quod est *a famulis*.

21. *quatit;* cfr. Verg. Aen. VIII, 596 *quatit ungula campum,* et Ennii ann. 281 V. *quatit ungula terram.*

silvasque fatigat; poetice dicitur fatigari ea regio, in qua quis passim et diu vagatur, cfr. Verg. Aen. IX, 605 *venatu invigilant pueri silvasque fatigant*; Sil. II, 74 *cursuque fatigant Hebrum*; XV, 209 *campos f.;* Claud. de laud. Stil. III, 308 *Gargani nives*; Prisc. perieg. 124 *silvas*; sic *lassandi* verbo utitur Ov. am. II, 10, 33; cfr. etiam ad V, 598.

24. Cybele vehitur curru leonibus iuncto; cfr. Cat. LXIII, 76; Verg. Aen. III, 113; Lucr. II, 601; Claud. in cons. Mall. Theod. 301.

25. *nunc* Vat., *tunc* ed. Ald.

28. *aerisono de monte* i. e. Dindymo, cymbalis resonante, cfr. Cat. 63, 21; 29.

28. *regum scuta;* saepius Argonautae reges a Valerio nominantur ut principes principumque filii; cfr. I, 203; 342; III, 173; 504; IV, 543.

30. *in nocte* pro noctu, ut V, 443, *in tempore* (non ea significatione, qua solet praepositio addi) VIII, 226. *manus conserere* hoc loco praeter consuetudinem dicitur de auctore pugnae, non de ipsis pugnantibus.

Digitized by Google

conserat et saevis erroribus implicet urbem.
nox erat et leni canebant aequora sulco,
et iam prona leves spargebant sidera somnos.
aura vehit; religant tonsas veloque Procneson
et te iam medio flaventem, Rhundace, ponto
spumosumque legunt fracta Scylaceon ab unda.

32. *nox erat et*; cfr. Verg. Aen. III, 147; IV, 522.

33. *prona — sidera; cadentia* apud Verg. Aen. II, 9; Baehrens scripsit *prima s.*, parum enim credibile esse, sub novam lucem Argonautarum reditum pugnamque locum habuisse. At neque prona sidera significant novam lucem, sed tempus a media nocte incipiens neque omnino Valerius temporis spatium accurate observavit, quoniam ne id quidem credi potest, Argonautas nocte iam exorta praeter Proconnesum longo ambitu et leni vento vectos ad Rhyndacum flumen pervenisse, tum Cyzicum revertisse et per noctem etiamtum durantem pugnasse. Haec omnia vel intra integrum unius noctis spatium fieri non possunt. Sensit hoc ipse Valerius in narrando progressus, quare v. 210 noctem iusto longiorem fuisse dicit. Nihil igitur hoc loco mutandum neque cum Koestlino Philol. 48 p. 659 v. 33 post 38 collocandus. Apollonius autem anxie veritati consulens sub noctem vehementi tempestate raptam navem rursus ad Cyzicenorum insulam celeriter delatam esse narrat I, 1015 seqq.

34. *Procneson* metri causa ausus est dicere Valerius pro Proconneso (sive potius Proconeso, cfr. Prisc. perieg. 556); similis est forma *Vesvius*, sane etiam ab aliis poetis usurpata; cfr. praeterea *Lucmo* Prop. IV, 1, 29; *Ascli* Sil. VIII, 438.

35. *ecce iam* Vat., *et te iam* cod. Monac. a manu sec.

Rhyndacus colorem suum etiam in mari servat; simile dicitur de Rheba flumine Avien. orbis 964 seq. *Rhebas cyanei qui disicit aequora ponti, Rhebas argento similem qui porrigit undam*; cfr. ad Val. IV, 698. Rhyndacus accuratius describitur Strab. XII, 8, 11, sed nihil ibi legitur de ea re, quam Valerius narrat; antea eum Lycum vocatum esse dicit Plin. nat. hist. V, 142.

36. *navifragum* vocatur Scylaceum a Vergilio Aen. III, 553 in Bruttiis situm, inde Valerius videtur transtulisse *spumosum ab unda fracta Scylaceon*, nam ne forma quidem *Scylaceum* invenitur apud alium scriptorem pro *Scylace* oppido ad Propontidem sito et ab Herodoto Plinio aliisque commemorato; *saxa Scylaceia* (sic recte em. Heinsius) Argo legisse dicitur eleg. in Maec. 107.

Digitized by Google

ipse diem longe solisque cubilia Tiphys
consulit, ipse ratem vento stellisque ministrat.
at, qui illum non ante, sopor luctamine tanto
lenit agens divum imperiis; cadit inscia clavo
dextera demittitque oculos, solataque puppis

---

ab unda; praepositio causam indicat 'in Folge', ut VI, 389; VII, 484; cfr. ad VIII, 317.

37. Redit poeta in narratione ad id tempus, quo sol occidebat Tiphysque caelum de tempestate futura consulebat. Solis *cubilia* scripsit etiam Hor. c. IV, 15, 16 (*cubile*); Stat. silv. III, 1, 183; al.

38. *ipse ratem vento stellisque ministrat* dixit Valerius paullum mutatis verbis Vergilianis *ratem velis ministrat* Aen. VI, 302 et X, 218; accuratius Tacitus Vergilium expressit Germ. 44 *nec* (naves) *velis ministrant*. Falso autem *ministrare* explicatur ita, ut sit in germanica lingua 'bedienen'; non enim in accusativo ponitur homo vel res, cui ministerium praebetur, sed id, quod ei praebetur. *Velis* igitur apud Vergilium, *vento stellisque* apud Valerium necessario dativi sunt intellegendi. Tiphys tradit ratem vento agendam, audacius poeta adiecit stellis, cum stellae ipsae navem non dirigant, sed Tiphys per stellas observatas. Alia res est, cum sine obiecto ministrandi verbum ponitur 'den Dienst versehen', velut Prop. II, 22, 35 *caelo modo sol modo luna ministrat*; tum interdum additur ablativus, ut exprimatur, qua re quis ministerium faciat, ut Stat. Theb. VII, 752 *ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis Delius*.

39. *atque* Vat., *at qui* Phil. Wagner, synaloephe sane rarissima, sed cfr. V, 459.

luctamine tanto lenit i. e. leniendo liberat tanto luctamine; non magis usitatum est, quod luctamen intellegendum non corporis labor, sed animi.

40. *agens* coniungendum cum *divum imperiis*, non cum verbo *lenit*, ut contendit Schenkl stud. p. 339, qui nonnulla ad suam sententiam confirmandam exempla attulit, quorum ne unum quidem quadrat, cfr. ad IV, 111.

cadit — clavo dextera; cfr. infra v. 52 *auriga rotis, muris claustra cadunt*.

inscia, cfr. ad I, 109.

41. *demittitque oculos*; ex dextera, quae est Tiphyos, facile subiectum ipse Tiphys auditur.

solataque puppis; solandi verbo primus usus videtur Senec. trag.

Digitized by Google

turbine flectit iter portuque refertur amico.
Ut notis adlapsa vadis, dant aethere longo
signa tubae vox et mediis emissa tenebris:
'hostis habet portus, soliti rediere Pelasgi.'
rupta quies; deus ancipitem lymphaverat urbem,
Mygdoniae Pan iussa ferens saevissima matris,
Pan nemorum bellique potens, quem lucis ab horis

Oedip. 4 *prospiciet avida peste solatas domos* i. e. vastas redditas hominibus privando, sic etiam Stat. Theb. IV, 36; V, 149; at Valerius imminuta vi verbi solatam puppim dicit regimine orbatam.

42. *turbine flectit iter* i. e. miraculo quodam divinitus circumacta; cum Apollonio consentit Hyg. fab. 16 tempestate coorta Argonautas rursus ad Cyzicenorum insulam delatos esse narrans.

45. *hostis habet portus*; Verg. Aen. II, 290 *hostis habet muros.*

46. *ancipitem* urbem dicit Valerius, quia incolae ex somno excitati primo nesciebant, quid rei esset, et ambigebant, quid facerent; cfr. Verg. Aen. V, 654 *matres ancipites—ambiguae;* Luc. I, 266 *expulit ancipiti discordes urbe tribunos*; IX, 46 et X, 13 *animi;* IX, 582 *dubii —ancipites;* Sil. XV, 572 *a. superi,* qui etiamtum dubitant utrum Romanis an Poenis victoriam dent; Sen. Oed. 847 *dubitat anceps memoria;* Auson. idyll. VI, 83 *a. Furiae.*

47. *Pan* comes est Magnae Matris, cfr. Pind. Pyth. III, 139 cum scholiis et Prelleri gr. myth. I⁴, 743.

iussa ferens; non recte comparatur Verg. Aen. IV, 378, ubi *fert iussa* solitam habet significationem; Valerii contra loco est *iussa exsequi*, cuius significationis alterum exemplum non videtur exstare.

48. De *Pane belli potente* et subitum terrorem bellicum excitante cfr. Hyg. astron. II, 28; Eratosth. catast. 27; Polyaen. I, 2; Prelleri l. l. p. 743 annot. 5.

ad oris Vat., *ad horas* ed. Bon. et Ald.; at proprium aliquid ex consuetudine Panis his verbis referri necessario statuendum est, quod nequaquam cadit in verba *lucis ad horas antra tenent,* nam hoc respondet omnino consuetudini vitae, sed sine dubio exprimere voluit poeta id Panis proprium esse, quod luce dormiat, nocte vagetur, rem sane ut saepe augens, cum Pan non per totum diem, sed meridie dormire dicatur, cfr. Theocr. id. I, 15 seqq; scribendum igitur *lucis ab horis.* Tum quod legitur v. 49 in Vat. *patet ad medias per devia noctes,* quamquam a longe plerisque editoribus toleratum, sanum

Digitized by Google

antra tenent, paret media per devia nocte,
saetigerum latus et torvae coma sibila frontis.
vox omnes super una tubas, qua conus et enses,
qua trepidis auriga rotis nocturnaque muris
claustra cadunt; talesque metus non Martia cassis
Eumenidumque comae, non tristis ab aethere Gorgo
sparserit aut tantis aciem raptaverit undis.

esse non potest, neque *latet* coniectura Baehrentis neque *volat* Kochii coniect. p. 18 satis placet: scripsi *paret media — nocte*. Quod si quis putat Valerium exemplum antiquiorum secutum activa forma vagandi verbi usum esse, quod fecit etiam Prud. cath. VI, 29, poterit legere *vagat ad medias — noctes*.

50. *comam sibilam* recte Heinsius et Burmann interpretantur coronam pineam capiti Panis impositam coll. Lucr. IV, 585 *Pan pinea semiferi capitis velamina quassans* e. q. s., Ov. met. I, 699 *Pan — pinu — caput praecinctus acuta*; fast. I, 412 *qui pinu tempora nexa geris*; cfr. etiam met. XIV, 638; Sil. XIII, 331; Prelleri gr. myth. I⁴, 740.

51. *conus* pro galea ponitur, nota quidem figura, sed tamen hoc solo, ut videtur, loco; cfr. *pecten* scriptum pro lyra III, 160; 541.

52. *trepidae rotae* sunt celerrime currentes, cfr. VI, 154 *tr. plaustra*; Ov. her. XV, 102 *tr. equi*; trist. I, 10, 10 *tr. fuga*; Luc. VIII, 662 *carina*; sic *trepidare* idem atque celeriter currere Hor. c. II, 3, 12; II, 4, 23.

53. *cadendi* verbi variis notionibus utitur poeta: cadit conus, excidunt ensis manu, auriga curru, decidunt claustra muris.

54. *ab aethere Gorgo*, scilicet cum Pallas ex aethere quatit aegidem Gorgonis imaginem ferentem.

55. *umbris* Vat.; umbrae explicantur species et simulacra terrorem inicientia; at tales umbrae a Gorgone vel Pallade non mittuntur, neque omnino intellegitur, quid his simulacris commune sit cum terrore a Pane iniecto; itaque scripsi *undis*; contrario vitio *undas* pro eo quod est *umbras* in Vat. invenitur I, 95. Undae nonnullis locis dicuntur de motu multiplici multitudinis, vid. Verg. georg. II, 462 *domus — mane salutantum totis vomit aedibus undam*; Sil. IV, 158 *spissaeque ruunt conferta per arma Undae Boiorum*. Iuv. sat. III, 244 *nobis properantibus obstat unda prior*; Stat. Theb. II, 224 *foribus cum immissa superbis unda fremit vulgi*.

Digitized by Google

ludus et ille deo, pavidum praesepibus aufert
cum pecus et profugi sternunt dumeta iuvenci.
Ilicet ad regem clamor ruit. exsilit altis
somnia dira toris simulacraque pallida linquens
Cyzicus. ecce super foribus Bellona reclusis
nuda latus passuque movens orichalca sonoro
adstitit et triplici pulsans fastigia crista
inde ciere virum. sequitur per moenia demens
ille deam et fatis extrema in proelia tendit;
qualis in Alciden et Thesea Rhoetus iniqui
nube meri geminam Pholoen maioraque cernens
astra ruit, qualisve redit venatibus actis
lustra pater Triviamque canens umeroque Learchum

---

58. *ilicet*; cfr. ad II, 186.

clamor ruit; cfr. Verg. Aen. VI, 44 *unde ruunt totidem voces.*

59. Rex clamore ex diris somniis excitatur, quae ei futurum exitium vaticinata videntur.

62. *passuque movens orichalca sonoro*; locus a plerisque non recte intellectus: *orichalca* non significant tubam, sed arma ex orichalco facta, ut Stat. Theb. X, 660; cfr. Verg. Aen. XII, 87; quae cum sonitu moventur, cum Bellona incedit, quam ob rem passus *sonorus* nominatur; cfr. sonitum sagittarum in humeris Phoebi incedentis apud Hom. Il. I, 46. Excitat autem Bellona virum non tuba, sed galea, qua fores pulsat, neque e somno excitat, sed e domo.

63. Infinitivus *ciere* non sine iusta causa scriptus est ad describendam actionem per aliquod temporis spatium durantem.

66. Ebrios omnes res geminatas videre saepius commemoratur, ut Hor. sat. II, 1, 25; Ov. artis III, 764; Iuv. VI, 305; idem fit Pentheo in insaniam coniecto Verg. Aen. IV, 470: vinum autem quasi nubem vel nebulam oculis obducit, ut minus clare videant, cfr. VIII, 81.

67. *astra* Vat., *antra* cum Pomponio Laeto recentiores, sed causam necessariam mutandi non video.

68. *pater* sc. Athamas, qui a Iunone in furorem coniectus filium Learchum interfecit. Ovidius met. IV, 512 seqq. narrat, in aula regia filium ab Athamante occisum, qui in furorem actus sibi videretur in silvis leaenam cum prole persequi, Valerius autem in ipsa venatione filium interfectum dicit atque cum eo consentiunt

Digitized by Google

advehit, at miserae declinant lumina Thebae.
iamque adeo nec porta ducem nec pone moratur
excubias sortita manus, quae prima furenti
advolat; hinc alii subeunt, ut proxima quaeque
intremuit domus et motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pavor; aegra virorum
corda labant, nec quae regio aut discrimina, cernunt,
cur galeae clipeique micent, num pervigil armis
. . . . . .
donec et hasta volans immani turbine transtris
insonuit monuitque ratem rapere obvia caeca

Stat. Theb. III, 187; schol. Stat. Theb. I, 230; Hyg. fab. 4, 5; atque, ut videtur, Apollod. III, 4, 3, 5.

69. *declinant lumina*: Catull. 69, 91.

70. Rex praeit, sine mora sequuntur vigiles excubias sortiti, ita ut rex eos sequentes exspectare non debeat.

72. *hinc* i. e. deinde, cfr. II, 447.

74. *anceps pavor*, qui hominem dubium facit, sic *a. formido* Verg. Aen. III, 47; *timor* Sil. III, 557.

aegra corda hoc loco sunt plena timoris; sic etiam Stat. Theb. IV, 408; Sil. III, 72; 214; VII, 722; XI, 55; 329; XV, 135; XVII, 170.

76. Post hunc versum nonnulla exciderunt; versus, qui erat in margine cod. Carrionis *hostis et exciti dent obvia proelia Colchi*, merito improbatur.

78. *immani turbine* de fulmine a Iove misso dictum Verg. Aen. VI, 594; cogitat Valerius de hasta ammentata, quae sane temporibus heroicis nondum in usu erat, cfr. ad VI, 162.

79. *insonuit*; vid. ad II, 91.

ratis eadem metonymia pro nautis dicitur, qua saepius nomen urbis vel regionis pro incolis, sed tamen audax est hoc loco et inusitata figura.

obvia arma, quae prima offeruntur vel comprehendi possunt 'die ersten besten'; sic Ov. met. XIV, 419 *obvia lumina portant*, ubi sententia universa docemur non significari quod nos dicimus 'entgegentragen.'

caeca — manu; caecae eae res dici possunt, quae sunt vel fiunt in tenebris ideoque non conspiciuntur, sic *caecus Mars* de pugna, quae

Digitized by Google

arma manu. princeps galeam constringit Iason
vociferans 'primam hanc nati, pater, accipe pugnam,
vosque, viri, optatos huc adfore credite Colchos.'
Bistonas in medios ceu Martius exsilit astris
currus, ubi ingentes animae clamorque tubaeque
sanguineae iuvere deum, non segnius ille
occupat arva furens; sequitur vis omnis Achivum.
adglomerant latera, et densis thoracibus horrens
stat manus, aegisono quam nec fera pectore virgo
dispulerit nec dextra Iovis Terrorque Pavorque,
Martis equi. sic contextis umbonibus urguent,
caeruleo veluti cum Iuppiter agmine nubem
constituit; certant zephyri frustraque rigentem

---

nocte fit, Verg. Aen. II, 335; *c. iter* i. e. nocturnum Ov. met. X, 456; *c. viae* Tib. II, 1, 78.

82. *adfore* hoc loco vix pro futuro esse potest, videtur igitur hanc sibi licentiam sumpsisse Valerius, ut pro praesenti poneret, quod exemplo caret; nam quae attulit Burmann, falsa sunt.

84. *tubaeque sanguineae*; ea adiectivi notio, quae indicat sanguinis cupidum, transfertur ad rem. Hannibal ita nominatur Sil. I, 40; Mars ipse Ov. remed. 153 et Verg. Aen. XII, 332, qui locus Valerio obversatus videtur; nam ibi Turnus in hostes irrumpens describitur atque cum Marte comparatur.

87. *adglomerant latera*, cfr. ad II, 171.

88. Nimia rursus superlatio hic apparet; *aegisono pectore* indicatur, Valerium hoc loco aegidem loricam Minervae intellexisse, ut Verg. Aen. VIII, 435; Sil. IX, 441; X, 434 al.; cfr. Prelleri myth. Graec. I⁴ 76; 230.

89. *Terrorem Pavoremque* Martis equos dicit Valerius secundum verba Homeri Il. XV, 119 male intellecta, ubi Δείμόν τε Φόβον τε subiecta sunt ad ζευγνύμεν, cum poeta Romanus putaret apposita esse ad obiectum ἵππους; sic Servius quoque ad Verg. georg. III, 91 et fortasse Vergilius ipse, atque adeo iam Antimachus teste schol. Il. IV, 440. In eodem errore etiam nonnulli recentiorum versantur.

90. *contextis* umbonibus etiam fortius rem exprimit quam confertis, quasi inter se conexi sint umbones vel clipei.

91. *caeruleo — agmine* est ablativus, qui dicitur qualitatis; documento locus est Lucretii VI, 100 *verum ubicunque magis denso*

Digitized by Google

pulsat utrimque notus; pendent mortalia longo
corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis.
Hinc manus infelix clamore impellere magno
saxa facesque atras et tortae pondera fundae;
fert sonitus immota phalanx irasque retentant,
congeries dum prima fluat. stellantia Mopsus
tegmina et ingentem Corythi notat Eurytus umbram.
restitit ille gradu seseque a lumine ferri

---

sunt agmine nubes e. q. s.; ut his locis agmen nubium vel nubis dicitur, sic agmen aquarum Verg. georg. I, 322; de sententia cfr. Hom. Od. XII, 405.

93. *notus* ut saepe non de certo vento dicitur, cum eum utrimque pulsare Valerius exponat.

94. *quibus — quibus*. Hoc loco non alienum videtur commemorare, Valerium anaphorae amantissimum fuisse; cfr. exempla permulta, quae congessit Gebbing de C. Valerii Flacci tropis ac figuris p. 41 seqq.

95. *hinc*; Burmann et Wagner 'a parte Cyzicenorum', Dureau 'ex hac causa', sc. propter umbones contextos infelix; sed videtur idem significare atque *tum*, *deinde*, ut supra v. 72, cfr. ad II, 447.

clamore magno, cfr. ad I, 158. *impellere saxa* inusitate Valerius dixit pro conicere, nam non prorsus simile est, quod scripsit Ovidius met. XI, 324 *nervoque sagittam impulit*, plane autem alia sunt vel *navem remis impellere* i. e. movere vel eadem sententia dictum Verg. Aen. VIII, 3 *utque impulit arma, Extemplo turbati animi*.

98. *congeries dum prima fluat* i. e. dum multitudo saxorum facium lapidum conici desinat; sic *tempus voluptas* al. *fluere* dicuntur etiam in prosa oratione.

99. Inter Cyzicenos primus est Corytus ingenti corporis magnitudine, cuius loricae splendorem etiam per tenebras conspicit Mopsus, de qua re cfr. Verg. Aen. IX, 373, et corpus quamquam nocte obscuratum *(umbram)* Eurytus; Corytus autem cum hostes armatos animadvertisset, constitit.

100. *lumen ferri*, i. e. splendor; cfr. Ov. met. II, 4 *argenti l.*; Stat. Theb. IX, 802 *ferri;* Sil. II, 167 *gemmata — lumina peltae*; 211 *aerati — radiavit luminis umbo*; Drac. satisf. 139 (leo) *iratus lumine ferri*; Val. I, 486 *lux parmae*; Stat. Theb. VIII, 124 *lux ferri*; XII, 732 *lux cuspidis*; Alcim. Avit. V, 376 *lux ferrea*.

Digitized by Google

sustinuit praeceps, subitum ceu pastor ad amnem
spumantem nimbis fluctuque arbusta ruentem.
et Tydeus 'en intentis quem viribus' inquit
'opperiar manibusque dari quem comminus optem,
quo steteris moriere loco.' subit ilia cuspis
Olenii; dedit ille sonum compressaque mandens
aequora purpuream singultibus expulit hastam.
ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
quam super ignari numquam rexere magistri
praecipites impune rates, sic agmine caeco
incurrit strictis manus ensibus. occubat Iron
et Cotys et Pyrno melior genitore Bienor.
At magis interea diverso turbida motu

---

104. 'talem', inquit Tydeus, 'opperiri mihique dari velim in iusta pugna; cum autem huius pugnae noctu copia facta non sit, statim eminus hasta confossus morieris.' Hanc sententiam paullo brevius Valerius expressit. an fortasse excidit versus ante 105?

105. *Olenius* dicitur Tydeus ab Oleno, oppido Aetoliae, etiam apud Stat. Theb. I, 402.

106. *dedit ille sonum* 'δούπησέν τε πεσών'; *compressaque mandens aequora* 'ὀδὰξ ἕλον οὖδας'; cfr. etiam Verg. Aen. X, 488 seq.

107. *aequora* i. e. superficiem campi; hac significatione legitur id vocabulum inde a Lucretio III, 1000 apud permultos poetas, non raro apud Vergilium Statiumque, saepissime apud Silium, tum apud Avienum, Italicum, Claudianum, Prudentium, Paulinum Petric., Paulinum Nol., Sedulium, Iuvencum, Corippum; neque raro apud Valerium: VI, 30; 88; 105; 239; 569; VII, 469; 548; 553.

singultibus expulit hastam; de re cfr. Ov. met. XIII, 394 (telum) *expulit ipse cruor*; Luc. III, 590 *donec utrasque simul largus cruor expulit hastas*; VII, 621 (quaerere) *ore quis adverso demissum faucibus ensem Expulerit moriens*; Sen. Oedip. 1041 *ferrumque secum nimius eiecit cruor*. De *singultibus* cfr. ad II, 212; fiunt cum motu quodam pectoris et ventris, quo accedente cruoris flumine hasta expellitur.

109. *quam super*; cfr. ad II, 626.

111. Manus Cyzicenorum incurrit strictis ensibus Argonautarum cum suo detrimento, ut nautae rupibus latentibus.

113. *et* Vat., *at* edit. Junt.; de sententia cfr. Verg. Aen. II, 298.

Digitized by Google

urbs agitur. Genyso coniunx amoverat arma;
ast illi subitus ventis vivoque reluxit
torre focus; telis gaudes, miserande, repertis.
linquit et undantes mensas infectaque pernox
sacra Medon; chlamys imbelli circumvenit ostro
torta manum strictoque vias praefulgurat ense.
talis in arma ruit, nec vina dapesque remota
statque loco torus, insomnes mansere ministri.
inde vagi nec bella modis nec casibus isdem
conseruere manu et longe iacuere perempti.
ecce gravem nodis pinguique bitumine quassans
lampada turbata Phlegyas decurrit ab urbe;

---

114. *coniunx amoverat arma*; Verg. Aen. VI, 523.

115. Cum ventus subito exortus ignem foci sub cinere latentem excitavisset, Genysus per hanc lucem arma prope focum abdita conspexit. *subitus*; notio a verbo transfertur ad subiectum, ut adiectivum ponatur pro adverbio; similia imprimis apud poetas non raro reperiri notum est, Valeriana haec cfr. exempla IV, 266 *huc alternus et huc — redit* i. e. alterna vice; VI, 230 *ingerit ensem huc alternus et huc*; 264 (avis) *irrita concitat alas*; VII, 564 *longissima Phasidis unda — fulsit.*

117. *undantes mensas*; cfr. ad I, 539.

118. Inutilem bello chlamydem circum manum laevam pro scuto circumplicaverat.

119. Ut lorica Corythi quamquam per tenebras tamen aliquomodo splendebat, (cfr. etiam v. 142), sic ensis quoque Medontis viam illustrabat; *praefulgurare* cum accus. coniungit etiam Coripp. de laudibus Iust. III, 222 *aulam*; sine obiecto legitur Stat. Theb. VII, 502 *multoque latus praefulgurat ense.*

120. *talis in arma ruit*; Luc. III, 37 *maior in arma ruit.*

121. *in quo omen* Vat., *insomnes* Bentleius: ministri cum brevi dominum rediturum sperarent, dormitum non ierunt; Postgate duce Baehrente non improbabiliter Journ. of phil. XXII, 310 *inque omen mansere sinistrum.*

122. *vagi*, sc. Genysus et Medon; *tela* Vat., *bella* Bentl.

125. *decurrit ab arce*; sic cod. Carr., cfr. Verg. Aen. II, 41. Sed cum id quod in Vat. legitur *ab urbe* in se nihil habeat offensionis, servandum.

Digitized by Google

ille leves de more manus aciemque Pelasgum
per noctem remeasse ratus pulsumque requirens
saepe sibi vano Thamyrim clamore petebat
arduus et late fumanti nube coruscus;
quantus ubi immenso prospexit ab aethere Typhon
igne simul ventisque rubens, quem Iuppiter alte
crine tenet; trepidant diro sub lumine puppes.
tollitur hinc tentoque ruit Tirynthius arcu
pectore certa regens adversa spicula flamma
per piceos accensa globos, et pectus harundo
per medium contenta fugit; ruit ille comanti

---

129. *fumanti nube coruscus* i. e. face, quam quassabat.

130. *Typhon* vehementissimus est turbo, interdum cum fulmine ex nubibus erumpens, cfr. Plin. nat. hist. II, 91 *diraque comperta Aethiopum et Aegypti populis, cui nomen aevi eius rex dedit Typhon, ignea specie ac spirae modo intorta, visu quoque torvo, nec stella verius quam quidam igneus nodus*; haec conferenda cum eis, quae dicit § 131; vid. etiam Gell. XIX, 1, 3; Sen. quaest. nat. V c. 12 et 13; Lucr. VI, 426 seqq., Luc. VII, 155 seqq.; poetice tanquam persona cogitatur. Apud Hesiod. theog. 869 ex Typhoeo venti gignuntur, cfr. Prelleri gr. mythol. I⁴, 63 seqq. Quod autem dicit Valerius, non solum igne sed etiam ventis rubere Typhonem, vid. Lucr. VI, 175 seqq. *ventus ubi invasit nubem et versatus ibidem Fecit ut ante cavam docui spissescere nubem, Mobilitate sua fervescit.*

133. *tollitur hinc* i. e. deinde prosilit, impetum facit, cfr. II, 516; VIII, 328; Sil. XVI, 394; 510.

totusque Vat., *tentoque* Baehrens; frustra Loehbach coll. VII, 600 *totusque* servare conatur.

134. *pectore certa regens — spicula*; Schenkl stud. p. 365 'die rechte Hand wird mit der Sehne bis zur Brust zurückgezogen, so dass der Ausdruck pectore c. r. sp. wohl denkbar ist.' Adversa flamma quasi scopus est, ad quem spicula certa dirigere per tenebras licet; haec autem spicula cum ipsam flammam transirent, accendebantur.

136. *fugere* saepius dicitur de celeri motu, sic *hasta fugit* Verg. Aen. X, 340 et Sil. IV, 290; *spiculum* Sen. Herc. fur. 994; *harundo* Coripp. Ioh. IV, 976; cfr. substantivum *fugae* sic usurpatum Stat. Theb. IX, 125.

ore facem supra maiorque apparuit ignis.
Ambrosium Peleus, ingentem Ancaeus Echeclum
sternit et elatae propius succedere dextrae
Telecoonta sinit duplicataque ora securi
disiecit cervice tenus. simul aspera victor
cingula sublustri vibrantia detrahit umbra.
'has, precor, exuvias et opima cadavera' Nestor

---

harundo — contenta. Non solum de arcu, verum etiam de telis, quae mittuntur, contendendi verbum dicitur, sic Verg. Aen. X, 521 *Mago — contenderat hastam*; Coripp. Ioh. IV, 774 *contenta — hasta*; Verg. Aen. XII, 815 *tela*; Sil. I, 322 *sagittas*; quin etiam Vergilius ausus est sagittam nondum missam contentam dicere Aen. V, 513 *iamdudum arcu contenta parato Tela tenens*; cfr. Lucan. VII, 563.

comanti ore de barba dictum videtur; cfr. Gebbing de C. Valerii Flacci tropis et figuris p. 90; *umerum comantem* dixit Stat. silv. I, 2, 2.

137. *facem supra*; cfr. ad I, 151.

138. Utrum duorum Ancaeorum hoc loco intellegat Valerius, incertum est. An obliviscitur poeta se in libro primo inter Argonautas duos Ancaeos commemorasse v. 377 et 413?

140. *delicataque* Vat., *duplicataque* Heinsius; cfr. ad VI, 378 et Verg. Aen. XI, 696 seqq.

141. *ora — disiecit* i. e. dissecuit; cfr. Verg. Aen. XII, 306 seq. *securi — frontem mediam mentumque reducta Disicit*; Sid. V, 417 seq. *fortique lacerto disicit ancipiti miserabile sinciput ense*; Prud. perist. II, 209 *membra morbus disicit*; Plaut. Curc. 424 *clupeatus elephantum ubi machaera disicit.*

aspera cingula sunt signis exornata; longe plerisque locis *signis* ablativus additur, ut Verg. Aen. V, 267; Ov. met. XII, 235 al., sed ablativo non addito legitur etiam Val. V, 579; Prop. II, 6, 17; Sil. XI, 277.

143. De re cfr. Il. VI, 66 seqq.; hoc loco considerato commendatur etiam emendatio edit. Ald., ubi *Nestor* legitur pro eo quod est in Vat. *nostro*; Summers proposuit *ductor*.

opima cadavera dicta esse putat Thilo praef. p. 89 'corpora ducis ab alio duce interfecta', sed duces in hac pugna erant Iason et Cyzicus, non Ancaeus aut Telecoon; mihi opima cadavera dicta videntur ea, quae divitem praedam datura erant, quam Cicero quoque opimam praeclaramque vocat pro Rosc. Amer. § 8.

Digitized by Google

'linquite' ait: 'ferro potius mihi dextera, ferro
navet opus,' prensumque manu detruncat Amastrum
diversasque simul socios invadere turmas
admonuit. pergunt rupta testudine fusi,
qua tenebrae campique ferunt. gravis invenit Ochum
Phlias et trepido Pollux impingitur Hebro.
ipse super vultus taboque natantia terga
dux campi Martisque potens ut caeca profundo
currit hiemps, Zelyn et Broten Abarimque relinquit
semineces; Glaucum sequitur Glaucumque ruentem
occupat et iugulo vulnus molitur aperto.
ille manu contra telum tenet ultima frustra
verba ciens, fixamque videt decrescere cornum.
hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense

---

145. *detruncat Amastrum,* caput abscindit; cfr. Coripp. Ioh. IV, 928 *Fugen — detruncat vulnere.*

148. *invenit Ochum.* Recte dicit Burmann ideo inveniendi verbo usum esse poetam, quod Phlias casu per tenebras in Ochum incide-rit; eodem pertinere *impingitur* v. 149.

150. *labantia* cdd. (in Vat. desunt 146—185), *natantia* Heinsius.

151. *caeca hiemps* dicitur ut *nox tenebrae caligo* sim.

152. *Zelyn* nominavit Apollon. I, 1042; *Brotes* apud eum vide-tur esse Μεγαβρόντης 1041, quare Caussin suspicatur *Bronten* esse legendum, fortasse recte.

153. Nomen proprium repetitur ex imitatione Vergiliana Aen. IX, 439 *Volscentem petit*; *in solo Volscente moratur*; X, 810 *Lausum increpitat Lausoque minatur*; cfr. infra 183 seq.

154. *vulnus molitur* non tam dicitur ratione habita contentio-nis Iasonis quam gravitatis vulneris, cfr. Ov. met. V, 366 *omnes cape tela, Cupido, Inque dei pectus celeres molire sagittas*; Stat. Theb. I, 457 *prior haec ad limina forte Molitur gressus.*

155. Telum Iasonis retinere conatur Glaucus.

156. *verba ciens*; simili sententia dicitur Verg. georg. III, 517 *extremosque ciet gemitus*; cfr. etiam Lucr. V, 1058 *dissimilis soleant voces variasque ciere.*

Decrescit cornus, cum altius in iugulum intruditur.

157. *transcurrens* sc. ab alio ad alium.

demetendi verbo poetae ita plerumque utuntur, ut significent,

Digitized by Google

Protin et insignem cithara cantuque fluenti
Dorcea, qui dulci festis adsistere mensis
pectine Bistoniae magnum post ausus alumnum.
nec pharetram aut acres ultra Tirynthius arcus
exercet, socia sed disicit agmina clava.
ac veluti densa iuvenum cum magna securi
silva labat cuneisque gemit grave robur adactis
iamque abies piceaeque ruunt, sic dura sub ictu

---

alicui membrum aliquod abscidi; hoc autem loco idem valet atque interficere, ut Sil. XVI, 102 *tantum — hominum — discordia ferro demetit*; sic simplici metendi verbo saepius poetae utuntur, ut Verg. Aen. X, 513; Hor. c. IV, 14, 31; Sil. X, 146 al.; cfr. Cic. Tusc. III, 59 *vita omnibus metenda*, quibus verbis expressit Euripideum βίον θερίζειν.

158. *cantus fluens* est qui leniter fluit, ut apud Ciceronem orat. 66 *oratio tracta et fluens* opponitur *acri*; etiam accuratius dicit de orat. II, 64 *genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens*; sic legimus *carmina fluitantia* de laud. Pis. 164.

159. *festis adsistere mensis*; cfr. Coripp. Ioh. IV, 427 *inter — festae pocula mensae*; Ov. ex Pont. I, 2, 131.

160. Orpheus est *magnus Bistoniae alumnus*, ut apud Iuv. I, 20 Lucilius magnus Auruncae alumnus.

162. *arcus exercere* 'handhaben', cfr. Ov. met. XIII, 54 *spicula ex.*; Sil. IX, 7 *tubas*; Stat. Ach. I, 622 *aera*; similiter dicitur *formam exercere* Ov. amor. I, 8, 53; Stat. silv. I, 2, 166.

aut coniunctio v. 161 prope accedit ad notionem *et* particulae hoc loco, de qua re cfr. Kuehneri gramm. lat. II, § 168, 5.

socia clava; *hasta socia* nominatur a Coripp. Ioh. IV, 864.

163. *magna iuvenum cum densa securi* cdd., *densa i. c. magna s.* Lennep, vid. stud. Vindob. V, 141. *densa securis* ponitur pro densis securis ictibus, sic Verg. Aen. XI, 698 *securim — congeminat*; Iuv. sat. VIII, 268 *illos verbera iustis Afficiunt poenis et legum prima securis*; Paul. vit. Mart. II, 296 *ictibus adsiduis crebrisque bipennibus instant.*

165. *abies piceaeque ruunt*; variatur numerus ut V, 538 seq. *quare age cognatas primum defendite sedes Nec decus oblati dimiseris advena belli.* Tacitum amantissimum esse eiusmodi variationum

Digitized by Google

ossa virum malaeque sonant sparsusque cerebro
albet ager. levis ante pedes subsederat Admon;
occupat os barbamque viri clavamque superne
intonat. 'occumbens i nunc' ait 'Herculis armis,
donum ingens semperque tuis memorabere fatis.'
horruit ille cadens nomenque agnovit amicum
primus et ignaris dirum scelus attulit umbris.
nec tibi Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
hospitiis aut mente moras fovisse benigna
et laribus sacrasse diem; procul advenit Idmon

---

notum est, velut ann. I, 7 *consules patres eques;* II, 60 *Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha*; III, 46 *eques — pedites*; IV, 74 *patres eques* al.

dura sub ictu ossa virum malaeque sonant: Verg. Aen. V, 436 *duro crepitant sub volnere malae.*

166. *cerebro albet ager.* Falso comparant interpretes tales locos, qualis est Verg. Aen. XII, 36, ubi campi ossibus albere dicuntur; multo rectius hoc loco agri rubere dicerentur, quoniam cerebrum cum sanguine spargitur. Haec una ratio loci explicandi adhiberi posse videtur, ut dicamus agrum in tenebris atrum cerebro sparso paullo pallidiorem traxisse colorem; medulla ossium *alba* vocatur Ov. met. XIV, 208.

167. *idmon* vel *hidmon* cdd. Sed non credibile est poetam nomen unius ex notissimis Argonautis etiam cuidam Cyziceno dedisse; recentissimi editores Thilonem secuti *Admon* scripserunt.

168. Laeva comprehendit Hercules barbam adversarii et dextra magno cum fragore clavam capiti eius illidit; de *intonandi* verbi constructione cfr. Hor. epod. II, 51 *Eois intonata fluctibus hiems;* simili, non prorsus eadem sententia dicuntur *haec intonare* Stat. Theb. II, 668; *minas i.* Ov. am. I, 7, 46; *furias* Stat. silv. V, 3, 96.

170. *mirabile* codd. *memorabere* Koch coniectan. p. 19; quid sit *donum tuis fatis mirabile* vel, ut Schenkl et Baehrens Bulaeum secuti scripserunt, *memorabile*, non intellego; *donum* et *fatum* idem sunt hoc loco, sc. mors ab Hercule illata. *tuis fatis memorabere* i. e. propter tua fata 'in Folge deines Geschickes', cfr. ad I, 53. De sententia ipsa cfr. Verg. Aen. X, 829 seq.; XI, 688; Ov. met. XII, 80 seq.

Digitized by Google

oblatumque ferit galeam cristasque rubentes,
heu tua dona, gerens. quem te qualemque videbit
attonitus, Crenaee, parens! en frigidus orbes
purpureos iam somnus obit, iam candor et anni
deficiunt vitaque fugit decus omne soluta.
desere nunc nemus et Nympharum durus amores.
at diversa Sagen turbantem fallere nervo
tum primum puer ausus Hylas, spes maxima bellis
pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Iuno;
prostravitque virum celeri per pectora telo.
Accessere (nefas) tenebris fallacibus acti

---

176. *cristasque rubentes*, cfr. Verg. Aen. IX, 50; XII, 89; Claud. de 4. cons. Hon. 524; idyll. 5, 50; Sil. XII, 170; Coripp. in laud. Iust. III, 241.

178. *frigidus — somnus* est mors, qui artus et membra frigida reddit; activa notione interdum scribitur hoc adiectivum velut *frigida sidera* leguntur Ov. her. II, 123.

Oculi saepius a poetis *orbes* dicuntur, a Val. IV, 235; *purpurei* i. e. claro colore splendidi; sic *olores* Hor. c. IV, 1, 10; *lumen iuventae* Verg. Aen. I, 591; *Amor* Ov. artis I, 232; *capilli* 331 et frgm. poet. ed. B. 175; *comae* Coripp. in laud. Iust. I, 35; *alae Amoris* Ov. rem. 701; *Nisus* Stat. silv. III, 4, 84; *vultus* Theb. VII, 148; *columbae* Claud. epith. Pall. 104.

179. *anni deficiunt*; rara notione anni dicuntur pro iuvenili splendore, sed cfr. Ov. am. I, 10, 15 (Amor) *sine sordibus annos — habet*; de iuvenili robore Stat. Theb. VI, 757 *ingentes spondet tener impetus annos;* cfr. etiam VIII, 380.

181. Cum ironia misericordia mixta haec verba dicuntur de ea re, quae hoc rerum statu fieri non potest, ut apud Hor. ep. II, 2, 76 cum aliqua indignatione *i nunc et versus tecum meditare canoros;* cfr. etiam ep. I, 6, 17.

182. *fallere* hoc loco scribitur de homine ipso, qui alium imprudentem occidit, saepius ita positum legitur apud poetas de telo, ut Verg. Aen. X, 754; IX, 572; Sil. V, 401.

diversa — turbantem i. e. *diversa campi parte.*

184. *prospera* i. e. propitia, sic *Bellona* Ov. fast. VI, 202; *Noctiluca* Hor. c. IV, 6, 39; *Thetis* Coripp. Ioh. I, 130; (I, 406 *prosperitas* i. q. benignitas).

Digitized by Google

Tyndaridae in sese: Castor prius ibat in ictus
nescius; ast illos nova lux subitusque diremit
frontis apex. tum Castor Ityn, qua caerulus ambit
balteus et gemini committunt ora dracones,
frater Hagen Thapsumque securigerumque Nealcen
transigit et Canthi pallentem vulnere Cydrum.
torserat hinc totis conisus viribus hastam
venatori Erymo, brevis hanc sed fata ferentem
prodidit et piceo comitem miserata refulsit

187. *ibat in ictus* i. e. in eo erat ut fratrem feriret; *ire in ictus* dicitur ut *ire in lacrimas* Verg. Aen. IV, 413; *in litem* Ov. fast. VI, 89; *in risum* Avian. fab. XIV, 10; *in sudorem* Flor. I, 20, 2.

188. *nova lux*, quam impertiit Iuppiter Castori et Polluci in initio expeditionis I, 568 seqq.

190. Wagner: 'cingulum (i. balteus) fibula continebatur, in qua duo serpentum capita ita conserta erant, ut mordere se invicem viderentur.'

192. *Canthi pallentem vulnere Cydrum*; hic a Cantho vulneratus quidem, sed non interfectus erat.

193. *hic* Vat; *hic* autem propter grammaticam rationem non potest esse Pollux, quod putavit Pius, nec Cydrus, quae est sententia Wagneri, cum, si id Valerius narrare voluisset unum ex Cyzicenis paene ab altero interfectum esse, quin id prorsus aliter expressurus fuerit. dubitari nequeat. Neque *hic* potest esse adverbium i. e. hoc tempore, ut 220, cum non eo tempore, quo Cydrum interficit, Pollux etiam in Erymum hastam contorqueat, sed post; scripsi igitur *hinc*, i. e. deinde. *torserat* plusquamperfectum ponitur, quia eadem est sententia, ac si poeta dixisset 'cum torsisset hastam — prodidit'.

torserat — hastam venatori Erymo; dativus terminum indicat, ad quem motus dirigatur; cfr. notissimum illud Vergilianum *it clamor caelo*, tum Val. III, 460; 442; V, 10.

194. De collocatione *sed* coniunctionis cfr. ad II, 150; *brevis Luna* i. e. per breve tempus splendens; sic interdum *brevis* dicitur de rebus, ad quas proprie notio temporis non pertinet, vid. Hor. c. I, 36, 16 *br. lilium;* II, 3, 13 *flos;* II, 14, 24 *dominus*; Ov. trist. V, 8, 20 *flamma;* 9, 27 *lumen solare*; Mart. I, 43, 6 *rosae*; Sen. Phaedr. 762 et Auson. epigr. in Domit. 4 *donum;* Prud. in Symm. II, 892 *bona.*

Digitized by Google

Luna polo; cessere iubae raptumque per auras
vulnus et extrema sonuit cita casside cuspis.
Nisaeum Telamon et Ophelten vana sonantem
per clipei cedentis opus cratemque trilicem,
qua stomachi secreta, ferit laetusque profatur:
'di, precor, hunc regem aut aeque delegerit alta
fors mihi gente satum, magnusque et flebilis urbi
conciderit.' super addit Aren fratremque Melanthum
Phoceaque Oleniden, Lelegum qui pulsus ab oris
regis amicitiam et famuli propioris honores
(qua patiens non arte?) tulit. nox alta cadentum

Brevi splendore lunae adiutus Erymus cum hastam venientem conspexisset, eam declinatione capitis evitavit.

196. *cessere iubae*, transitum telo dederunt, ut v. 199, et extrema modo pars cassidis hasta tacta sonuit.

197. *vulnus* pro telo dicitur, quo quis vulneratur, ut Verg. Aen. II, 529; X, 140; 488; Ov. met. IX, 126; Luc. III, 314; Sil. I, 397; II, 92; Stat. Theb. IX, 345. Ea ratione hoc loco audacior hic usus videtur, quia re vera telo vulnus non fit, cum irritum ex manu effugerit, sed similiter dixit etiam Ovidius met. XII, 102 seqq. *haud secus exarsit, quam circo taurus aperto Cum sua terribili petit irritamina cornu Puniceas vestes, elusaque vulnera sentit.*

raptum vulnus i. e. telum celeriter missum, cfr. ad III, 341.

cuspide cassis Vat., *casside cuspis* cod. Carr.

199. *clipei — opus*, cfr. 210; indicatur hac locutione magnitudo et moles clipei, ut Verg. Aen. V, 119 navem Gyae *urbis opus* nominat et Stat. Theb. VI, 86 pyram *montis opus*.

artemque Vat., *cratemque* Heinsius; *crates* interdum adhibetur ad designanda arma, quibus corpus tegitur, quamquam non ex viminibus, ut Verg. Aen. VII, 633, contexta; vid. Sil. V, 522 *cuspis — oppositas vetita est tramittere crates* dictum de clipeo Romano; et Stat. Theb. IV, 110, ubi leguntur *aeratae crates*. *Loricam trilicem* legimus Verg. Aen. III, 467.

200. *stomachi secreta* insolentius dictum; videtur significare stomachum lorica tectum, vel stomachum in interiore corpore situm.

201. In Ophelte potissimum occidendo haec Telamonem loquentem inducit Valerius, quia is vana iactatione opinionem nobilitatis moverat.

Digitized by Google

ingentes duplicat sonitus augetque ruinas.
ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesvius, attonitas acer cum suscitat urbes,
sic pugnae crudescit opus; neque enim ignea cedunt
astra loco, lentis haeret Nox conscia bigis.
perge age Tartareae mecum simul omnia noctis,
Musa, sequi. trepidam Phaethon adflavit ab alto

---

207. *donec* Vat., *duplicat* Pius apta sententia, sed dubium, num hac coniectura Valerii manus restituta sit.

208. *mugitor* ἅπαξ εἰρημ. similia *gestatrix* IV, 605; *sociatrix* V, 499; *memoratrix* VI, 142; cfr. etiam *lustramen* III, 442.

209. *Vesubius* Vat., *Vesvius* cod. Monac.; eandem formam habent Sil. XVII, 593; Stat. silv. IV, 4, 79; Mart. IV, 44, 1; anthol. lat. 83, 78 R. (ubi sane Baehrens (271,78) *visu* recepit); *Vesbius* nonnullis inscriptionum locis reperitur; cfr. Galen. X, p. 364 ed. Kuehn τὸ δ' ἔνδοξόν τε καὶ νέον ὄνομα τοῦ λόφου Βέσβιον (antea formam Βεσούβιον commemoravit) ἅπασιν ἀνθρώποις γνώριμον διὰ τὸ κάτωθεν ἀναφερόμενον ἐκ τῆς γῆς ἐν αὐτῷ πῦρ.

Hoc loco Valerius de terrae motu videtur cogitasse, non de eruptione Vesuvii, ut IV, 507. *suscitat* i. e. excitat, ut Lucan. X, 225 *Nilus — suscitat undas*; cfr. Sil. IV, 574; Plaut. mil. 330 *nescio quae te — scelera suscitant;* Verg. Aen. X, 263 *spes addita suscitat iras*; Coripp. Ioh. IV, 878 (leo) *in proelia suscitat iras;* 886 *Antalae virtus venientis suscitat iras.*

210. *crebrescit* Vat., *crudescit* cod. Carr.; cfr. Verg. Aen. VII, 788 *crudescunt — pugnae.*

211. Nox curru vehitur etiam apud Verg. Aen. V, 721; Tib. II, 1, 87; Claud. de raptu Pros. I, 277; apud Graecos quoque poetas, ut Theocr. II, 166; Eurip. Ion. 1150; cfr. Val. II, 295. Nox de industria morari dicitur a Valerio, cfr. Ov. met. VI, 588 *nox conscia sacris.*

212. *Tartarea* nox est, quia ea, quae hac nocte fiunt, opera Tartari i. e. Erinyis effecta sunt, vid. III, 19; 213; 217.

omnia — sequi sc. narrando, cfr. Verg. georg. II, 434; Aen. I, 342; Stat. Theb. I, 9.

213. *Phaethon,* ὁ φαέθων, de Sole ipso dictum secundum Homerum Il. XI, 735; Od. V, 479 al., quamquam ibi non deus significatur, quod sane interdum fit apud poetas Romanos, vid. Verg. Aen. V, 105; Sil. VI, 3; VII, 206; X, 110; 540; XIII, 458; Mart. III, 67, 5; Claud. in Ruf. II, 211.

Digitized by Google

Tisiphonen graviorque locos iam luce propinqua
umbra premit; non signa virum, non funera cernunt,
et rabie magis ora calent. vos prodite, divae,
Eumenidum noctisque globos, vatique patescat
armorum fragor et tepidi singultibus agri
labentum atque acti Minyis per litora manes.
Cyzicus hic aciem vanis discursibus implet
fata trahens; iam pulsa sibi cessisse Pelasgum

---

214. Tisiphonen per noctem modo opus suum exercere hic sumit poeta et die appropinquante fugere cogi, ut manes apud Verg. Aen. V, 739; ceterum poetae Furias etiam per diem officium exsequi narrant, cfr. Allectonis opus apud Verg. Aen. VII, 341 seqq.; Tisiphones Aen. X, 761; Stat. Theb. VIII, 346; IX, 150; Sil. II, 543.

graviorque locos — umbra premit; cum Tisiphone intellexerit sibi mox oriente die fugiendum esse, dum tempus datur caliginem etiam densiorem stragemque foediorem efficit. Ut hoc loco opera Furiae nox fit obscurior, ita vel solis lucem obscurari finxit Stat. Theb. I, 90 et XI, 120.

215. *non funera cernunt;* non satis liquet, utrum hoc loco *funera* occisionem significent an corpora mortuorum, utrumque aptum; cfr. ad VII, 643.

217. *Eumenidum noctisque globos* Wagner interpretatur Furiarum extrema nocte conferta agmina, quod non satis aptum videtur, immo *globi* sunt agmina virorum conglomerata ab Eumenidibus per noctem, sic II, 285 sunt *labores undae* qui unda efficiuntur; III, 192 *Canthi vulnus*, quod Canthus intulit; IV, 704 *deorum sors* a deis missa.

218. *tepidi singultibus agri* dicuntur, quia cum singultu etiam sanguis tepidus ex corporibus prorumpit.

220. *aciem vanis discursibus implet;* Wagner 'per totam aciem discurrit ausu inani', sed ea quae sequuntur ostendunt, eum exultantem gaudio cum clamore aciem percurrisse, itaque verba sic potius intellexerim 'viros in acie pugnantes excitat, huc illuc currendo'; cfr. ad II, 125.

221. *fata trahens* Wagner 'morti propinquus', Dureau 'traînant avec lui sa destinée', sed propius ad veritatem videtur Burmann accessisse explicando 'producens vitam, mox periturus'; ea ratione moratur fatum, quod huc illuc discurrit itaque sero demum Iasoni offertur, per quem mori ei destinatum erat; cfr. ad I, 764.

Digitized by Google

agmina, iam passim vacuos disiecta per agros
credit ovans; tales aestus, ea gaudia fingit
ira deum. fundo veluti cum Coeus in imo
vincla Iovis fractoque trahens adamante catenas
Saturnum Tityumque vocat spemque aetheris amens
concipit, ast illum fluviis et nocte remensa
Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae:

---

223. *auditus* Vat.; quid poeta scripserit incertum, ex magno numero coniecturarum probabilissima videtur Schenkelii, qui scripsit *aestus*.

224. *Coeus* filius Terrae, unus ex Titanibus a Iove in Tartarum coniectis; interdum ei contingit catenas frangere et iam erupturus a Furiis repellitur.

227. *fluviis et nocte remensa;* iam feliciter transiit fluvios inferorum Cocytum et Phlegethontem noctemque Erebi, sed viam hanc remetiri cogitur et in Tartarum redire; nihil igitur mutandum.

228. *Eumenidum canis*; canes Stygiae sunt comites aut Furiarum apud poetas latinos, ut Luc. VI, 733 aut Hecates, ut Verg. Aen. VI, 257; Hor. sat. I, 8, 35; Tib. I, 2, 52. Falso nonnulli Servium ad Verg. Aen. III, 209 secuti ipsas Furias his locis canes dici putant, quod sane fit apud Graecos poetas. Singularis autem ponitur pro plurali apud Valerium eadem ratione, qua in eodem versu legitur *hydra* pro hydris, siquidem angues Furiarum intellegimus; cfr. praeterea *densa securis* III, 163; *arbor* 353; *arcus* 523; *densa trabs* 484; *incola* IV, 513; *Symplegas* IV, 221; V, 299; *ardua cautes* de Symplegadibus IV, 671; *thorax* VI, 186; *catena* 233; *spira* 396; *flagellum* VII, 149; *dens* 554; *cassis* 617; *arbor* VIII, 289; *cratis* (de tota classe) 292. Sic saepe etiam apud alios poetas. *Reppulit* autem praedicatum in singulari numero positum ad solum posterius subiectum grammatice refertur, cum etiam ad prius pertineat, cfr. ad I, 136 et Kuehn. gramm. lat. II, 13, c. Incertum est, utrum poeta verbis *sparsae iuba — hydrae* angues indicare voluerit Eumenidum an monstrum illud, quod intus in Tartaro ad custodiendum sedere Verg. narrat Aen. VI, 576.

sparsa hydra est se porrigens, promovens, prorumpens, ut Stat. Theb. VI, 443 seq. de equo Adrasti dicit *non cohibente magistro spargitur in gyros*; cfr. Val. I, 422.

Ut Coeus furoris plenus impetum facit, sed frustra, sic Cyzicus quoque.

Digitized by Google

saevit acerba fremens tardumque a moenibus agmen
increpitat: 'numquamne dolor virtusque subibit
nil ausas sine rege manus? at barbara buxus
si vocet et motis ululantia Dindyma sacris,
tunc ensis placeatque furor, modo tela sacerdos
porrigat et iussa sanguis exuberet ulna.'
talibus insultans iamdudum numine divae
deficit; infracti languescunt frigore cursus;
corda pavent; audit fremitus irasque leonum

---

229. *acerba fremens*, cfr. ad I, 38. *a moenibus* sc. appropinquans; cfr. V, 565; VII, 645.

230. *virtute* Vat., *virtusque* Heinsius.

231. De sententia conferendum Verg. Aen. IX, 617 seqq.; *barbara buxus*: Ciris 166.

232. *motis sacris* i. e. cum vasa et omnino instrumenta, quibus utuntur ad sacra peragenda, petunt ab eo loco, ubi servari solent; cfr. v. 540; Verg. Aen. IV, 301 et comice translatum apud Plautum Pseud. 109 seq. *scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra, Quo pacto et quantas soleam turbellas dare*; paullum alia sententia legitur *sacra movere* Stat. Theb. III, 451.

De tota sententia cfr. Claud. de rapt. Pros. II, 267 seqq.; Val. VIII, 239 et ad III, 20.

233. *placeatque furor*; de collocatione *que* particulae cfr. ad I, 844.

234. *iussa — ulna*; sic interdum per genus quoddam breviloquentiae *iussus* participium scriptum invenitur, ut I, 74; III, 508; Ov. met. II, 844 al.; ulna enim aut orae aut freta aut littora nihil ipsa iubentur; ceterum Vat. habet sine sententia *iusta — urna*, corr. Hugo Grotius.

235. *iamdudum* 'alsbald'; cfr. VI, 456; 604; Ov. artis III, 679; met. II, 843; fast. IV, 207 al.; saepius sane sic scriptum invenitur, si quis quid facere iubetur, ut notissimo illo loco Vergiliano Aen. II, 103.

236. *deficit* dictum de corporis viribus, ut V, 428; VI, 671; Verg. Aen. IV, 689; Ov. tr. IV, 6, 39; fast. I, 689; Luc. IX, 401 et saepe alias.

frigore i. e. formidine, qua frigus efficitur, cfr. Verg. Aen. I, 92; XII, 905 et ad VII, 530.

237. *corda* de uno homine dicta in frequentissimo usu est apud poetas neque exemplis demonstrare opus; vid. etiam I, 799.

Digitized by Google

cornuaque et motas videt inter nubila turres.
tunc gravis et certo tendens stridore per umbram
Aesonii venit hasta ducis latumque sub imo
pectore rumpit iter. quam nunc incognita vellet
lustra sibi nullosque datos venatibus annos?
talia magnanimi diverso turbine fundunt
tela viri, sonitusque pedum suspectaque motu
explorant; prensant socios vocemque reposcunt.
quod si tanta lues seros durasset in ortus,
extinctum genus et solas per moenia matres
vidisset stratamque dies in litore gentem.

---

audit fremitus irasque leonum: Verg. Aen. VII, 15 *hinc exaudiri gemitus iraeque leonum.*

238. *motas — turres* i. e. conspicere sibi videtur Cybelen Turrigeram cum comitatu, in quo sonent non solum cymbala tympana tibiae, sed etiam cornua, vid. Lucr. II, 619; Catull. 64, 263. *nubila* hoc loco sunt tenebrae noctis; cfr. Stat. Theb. IX, 851 *nigrae praecedunt nubila mortis*; interdum ita legitur *nubilus* adiectivum pro tenebroso: Enn. trag. 71 R. *Acherunsia templa alta Orci nubila tenebris;* Ov. met. IV, 432 *via — funesta nubila taxo*; XIV, 514 *antra — multa nubila silva*; fast. III, 322 *nubila Styx.* Haec omnia apparere ideo Cyzico narrat poeta, ut rex sciat auctore dea se morte feriri.

243. *diverso turbine fundunt tela* breviter dictum pro eo quod est: diversis locis fundunt tela turbine contorta; turbo autem teli dicitur de hasta ammentata ut III, 78; Verg. Aen. XI, 284; Sil. I, 362; IV, 540; IX, 568; XV, 631; XVI, 58; XVII, 406.

244. Cum per tenebras omnino nihil conspici possit, gradus eo dirigunt, unde sonitum pedum vel alium strepitum motu corporum exortum audire sibi videntur; sicubi in quem inciderunt, voce se ostendunt r u r s u sque ab altero vocem ut edat poscunt.

246. *Iovis* Vat., *lues* Heinsius; hoc substantivum de strage bellica usurpatum videmus etiam VI, 400, sed saepius apud Silium: V, 108; 390; X, 603; XII, 184; XVI, 622.

In tota hac descriptione pugnae cruentissimae et noctu quidem factae id mirum fortasse videatur, quod neminem Argonautarum ne levissimo quidem vulnere affectum Valerius commemoravit.

247. *per moenia matres*: Coripp. Ioh. VI, 66.

Digitized by Google

Tum pater omnipotens tempus iam rege perempto
flectere fata ratus miserasque abrumpere pugnas,
supremam celeravit opem nutuque sereno
intonuit, quem Nocte satae, quem turbidus horret
armipotens. tunc porta trucis coit infera belli.
continuo dant terga metu versique per agros
diffugiunt, quae sola salus: nec terga ruentum
mens Minyis conversa sequi; stetit anxia virtus.
ecce levi primos iam spargere lumine montes
orta dies notaeque (nefas) albescere turres.

---

251. *celebrabit* Vat., *celeravit* cod. Monac. a man. sec.

suprema ops est ea, quae in summis angustiis praestatur supremo tempore, quod si praeteriisset, nullam iam opem ferre potuisset Iuppiter; sic Catullus dicit c. 76, 18 *si quibus unquam Extremam iam ipsa in morte tulistis opem* et Vergil. Aen. XII, 653 *Turne, in te suprema salus;* Sil. II, 283 *quae postrema salus rerum patriaeque reposcit.*

252. *Nocte satae*; cfr. Verg. Aen. VII, 331 *virgo sata Nocte,* quibus verbis Iuno Allectonem Furiam alloquitur.

253. Mars tonitru Iovis terretur, ut Ulixes et Minerva Hom. Od. XXIV, 539 seq., Diomedes Il. VIII, 134.

Porta infera i. e. inferorum rursus clauditur, cum Tisiphone in Tartarum a Iove ternta rediisset; fortasse Valerii animo obversatus est locus Verg. Aen, I, 293 seqq., quamquam is de portis templi Iani videtur cogitasse.

254. *aversique* Vat. *versique* cod. Carr.

256. *conversa* spectat ad terga, non, ut vult Dureau, cum eo, quod est *mens,* coniungendum.

stetit anxia virtus; verbis eisdem, sed sententia diversa dixit Lucan. VIII, 592 *stetit anxia classis*; Valerius virtutem dixit pro viris fortibus, heroibus ut VI, 200 *mixta perit virtus;* Lucan. III, 690 *nec cessat naufraga virtus*; Petron. c. 89 v. 8 seq. *huc* (in equum) *decenni proelio irata virtus abditur.* Anxii autem sunt Minyae, quia insidias subito fugientium timent.

257. *ecce levi primos — portus* Vat., sed *primi portus,* quamquam servaverunt recentiores, quid hoc loco significent, non video; scripsi *montes,* qui primi feriuntur nova luce, vide Verg. Aen. XII, 113 seq.; eodem pertinet, quod *turres albescere* dicit poeta; conferendus est locus Verg. Aen. IV, 584 seq. *Et iam prima novo spargebat*

Digitized by Google

'di maris', attonito conclamat ab agmine Tiphys
'ut mea fatali damnastis pectora somno!
heu socii quantis complerunt litora monstris!'
illi autem neque adhuc gemitus neque conscia facti
ora levant; tenet exsangues rigor horridus artus,
ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi impulsae iam se deus agmine matris
abstulit et caesi vanescunt cornua tauri.

---

umine terras Tithoni croceum linquens Aurora cubile, sed inde ne minima quidem defensio traditae scripturae paratur.

259. *conclamat ab agmine* i. e. oritur eius clamor ab agmine; cfr. Verg. Aen. IX, 375 *conclamat ab agmine Volscens;* Stat. Theb. IV 802 *conclamat ab agmine primo — Argus.*

262. *neque — gemitus neque — ora levant* figura dicitur quod zeugma vocatur; *ora levare* est attollere ora, ut IV, 166; VII, 408; 512; Luc. VI, 719; Stat. silv. II, 6, 75.

264. *pavet ad crines* i. e. cum crines conspicit; notus est hic usus praepositionis ad causam significandam; Valerii inter alia cfr. IV, 465 *nomen ad Actaeae Calais Zetesque sororis prosiliunt*; 712 *ad subitam stupuere ratem*; VI, 686 *ad infesti Lexanoris horruit arcus*; au dacius sed similiter scripsit VII, 623 *ad dirae — hydrae agmina — defessus.*

265. *impulsae* sc. bacchico furore; *impellere furiis* dicit Val. IV, 33; V, 42; et eadem sententia *impellere* ablativo non addito Ov. her. XV, 140; Luc. I, 575; *impellere* autem pro eo quod est misericordia commovere legitur Val. IV, 486; pro eo quod est horrore implere Stat. Theb. II, 468. *agmine matris* i. e. a matre ducto, ut Luc. III, 116 *Caesaris agmina.*

266. *caesi vanescunt cornua tauri* i. e. eius quem cecidisse sibi videbatur mater Penthei, cum esset filius, qui iam vera imagine oculis attonitae matris offertur; cfr. Stat. Theb. III, 189. Non constant sibi poetae in fera nominanda, sub cuius imagine laniatus sit Pentheus; apud Ovidium est aper met. III, 714; myth. Vatic. II, 83 vitulus; apud Euripidem leo Bacch. 1142; 1174; 1214; 1278; consentiunt Philost. imag. I, 18; Nonnus Dionys. XVLI, 177; 219; (taurus contra apud Euripidem pro Baccho a Pentheo vincitur 618; cfr. 920; 1159); omnino feram nominat Serv. ad Verg. Aen. IV, 469 ut Apollod. III, 5, 2, 2 θηρίον.

Digitized by Google

nec minus effusi grandaevum ad litora vulgus,
ut caesas videre manus, dare versa retrorsus
terga metu. dextram tendens proclamat Iason:
'quos fugitis? vellem hac equidem me strage meosque
procubuisse magis. deus haec, deus asper utrisque
implicuit. sumus heu Minyae, sumus hospita turba.
[cur etiam flammas miserosque moramur honores?']
Tum super exsangues confertae caedis acervos

---

267. *effusi — grandaevum vulgus*; cfr. Verg. Aen. VI, 660 *manus vulnera passi*; 580 *genus antiquum Terrae, Titania pubes fulmine deiecti*; Stat. Theb. II, 523 *tacitis huc gressibus acti deveniunt peritura cohors*; Kuehneri gramm. lat. II, § 9, 2.

268. *socias — manus* Vat., sed qui fieri poterat, ut Cyziceni socios fugerent? Neque quidquam proficit Wagner, qui manus suorum explicat; scripsi *caesas*.

271. Liberiore ratione *magis* a verbo, ad quod pertinet, divellitur, cfr. ad I, 284; prorsus eadem ratione in extrema sententia ponitur etiam VII, 337; cfr. Lucr. I, 639 *clarus ob obscuram linguam magis*; IV, 251 *tam procul esse magis res quaeque remota videtur*.

haec — utrisque implicuit; magis usitatum est utrosque his implicuit, sed cfr. VII, 598 *propinquanti noctem implicat*; VIII, 124 *pellem — implicat ille sinistrae*; Verg. Aen. I, 660 et VII, 355 *ossibus implicet ignem*; Ov. met. I, 762 *implicuit materno bracchia collo*; Sil. II, 516 *medullis implicat — amorem*; Stat. Theb. XI, 234 *implicitum Tirynthius ossibus ignem Sensit*; Claud. in IV. cons. Hon. 538 *Python implicuit fractis moritura volumina silvis*.

273. Versus hoc loco prorsus intolerabilis; non sine probabilitate Schenkl suspicatur, eum a poeta ad v. 310 in margine adscriptum fuisse, ut postea apta conformatione insereretur, cum autem carmen imperfectum post Valerii mortem ederetur, falso loco eum additum esse. Hartel eum aptavit versui 313 scribendo *iam dudum flammas* e. q. s. ephem. gymn. Austr. 24, p. 140.

274. *consertes* Vat., *confertae* cod. Carr.; *confertae caedis acervos* i. e. caesorum, ut Verg. Aen. X, 245 *ingentis Rutulae spectabis caedis acervos*; XI, 207 *confusaeque ingentem caedis acervum — cremant*; Sil. I, 453 *perque ipsos caedis cumulos — monstrabat iter* (cfr. Luc. VII, 722); VI, 665 *caedis acervo — texere virum*; VII, 614 *telumque in caede reliquit*; Tac. hist. IV, 1 *plenae caedibus viae*.

Digitized by Google

praecipiti plangore ruunt; agnoscit in alta
strage virum sua texta parens, sua munera coniunx.
it gemitus toto sinuosa per aequora campo.
pars tenuis flatus et adhuc stridentia prensant
volnera, pars sera componunt lumina dextra.
at vero in mediis exsangui rege reperto
aggeribus, tristi sileant ceu cetera planctu,
sic famulum matrumque dolor, sic omnis ad unum
versa manus. circa lacrimis ac mentibus aegri

277. *et* Vat., *it* edit. Bon. et Ald.; *caelo* Vat., *campo* ego; nota est locutio *it clamor caelo* atque similes, ubi caelo dativum esse constat, sed quomodo gemitus toto caelo i. e. per aequora in toto caelo eat, intellegi non potest; *sinuosa per aequora* hoc loco eadem sententia dicitur, ut *aequora campi*; *sinuosa* autem nominantur, quia gemitus per littus potissimum sinuosum auditur, ubi pugna et caedes factae erant.

278. *fletus* Vat.; *flatus* cod. Carr. i. e. spiritus, ut Stat. Theb. VI, 604; 873; saepius apud posteriores: Claud. de VI. cons. Hon. 279; magn. 33; Pseudo-Claud. laud. Herc. 124; Paulin. vit. Mart. VI, 171; de visit. nepot. 24; Paulin. Nol. 15, 281; Venant. Fort. vit. Mart. I, 369; Drac. de deo III, 303; Sidon. V, 173; cfr. etiam Verg. Aen. IX, 324 *toto proflabat pectore somnum.*

Strident vulnera sanguine profluente, cfr. Ov. met. VIII, 417 *stridentemque novo spumam cum sanguine fudit;* Sen. Herc. Oet. 1165 *nec ullus per meum stridet latus Transmissus ensis.*

279. *sera componunt lumina dextra;* adiectivum *sera* pro adverbio *sero* ponitur, ut saepe apud poetas adiectiva locum vel tempus significantia *matutinus crastinus vespertinus nocturnus domesticus,* cfr. Verg. Aen. X, 94 *nunc sera querelis Haud iustis assurgis* et Kuehn. gramm. lat. II, § 63, 1, a.

281. *ceu* ut *quasi* cum coniunctivo coniunctum non raro reperitur imprimis apud poetas epicos, ut V, 353; Verg. Aen. II, 438; Sil. II, 378; III, 501; IV, 560; V, 191; XIII, 238; XVII, 479; Stat. Theb. II, 418; XII, 733; Prud. in Symm. II, 10; 456; Ven. Fort. carm. VIII, 9, 11; vit. Mart. III, 140; cum indicativo Dracont. ed. B. X, 91.

283. *lacrimis et mentibus aegri* breviter dictum: mentis aegritudinem ostendunt lacrimis.

Digitized by Google

stant Minyae deflentque nefas et cuspidis ictus
Aesoniae sortemque ducis solantur acerbam.
ille ubi concretos pingui iam sanguine crines
pallentesque genas infractaque pectore caro
tela neque hesternos agnovit in hospite vultus,
ingemit atque artus fatur complexus amicos:
'te tamen ignarum tanti, miserande, furoris
nox habet et nullo testantem foedera questu:
at mihi luctificum venit iubar. heu quibus adsum
conloquiis? cui me hospitio Fortuna revexit?
extinguine mea (fatis id defuit unum)
speravi te posse manu? talisve reliqui
has ego, amice, domos? quod si iam bella manebant,

---

284. *cuspidis ictus Aesoniae* expressum ex Verg. Aen. VII, 756 *Dardaniae — cuspidis ictum* et XI, 40 *volnus cuspidis Ausoniae*; inde id quoque concludi posse videtur, *Aesoniae* dictum esse pro *Thessalicae* eadem ratione, ut dicitur *Oebalius* pro Spartano, *Inachius* vel *Iasius* pro Argivo, *Ogygius* et *Cadmeus* pro Thebano, *Cecropius* pro Attico. Quod cum Baehrens non perspiceret, scripsit *Haemoniae*, vid. etiam VI, 653 et VII, 17.

285. *sors acerba ducis* intellegenda sors Iasonis, cui destinatum erat hospitem occidere.

286. Cfr. Verg. Aen. II, 277.

287. *infractaque pectore caro tela*: fracta in pectore tela, ut Verg. Aen. X, 731 *infractaque tela cruentat.*

290. *te tamen ignarum* e. q. s. Tacet poeta initium querelae, quod breviter indicatur verbo *ingemit* atque statim rapit lectorem in medios Iasonis dolores et lamentationes; cfr. notissimum illud Schilleri nostri 'und muss ich so dich wiederfinden'; similis est locus Val. IV, 191.

291. *et nullo*; vid. Kuehn. gramm. lat. II, § 157, 3 annot.

292. *iuvarint* Vat., *iubar heu* Thilo in annot.

294. *fatis id defuit unum:* Verg. Aen. XII, 643 *id rebus defuit unum.*

295. Sperandi verbum inter voces quae dicuntur mediae referendum esse notum est, atque interdum obiectum assumit malam rem vel calamitatem exprimens, ut Verg. ecl. VIII, 26 *quid non speremus amantes?*; Aen. I, 542 seq.: IV, 419.

Digitized by Google

et placitum hoc superis, nonne haec mea iustius essent
funera meque tuus potius nunc plangeret error?
nec Clarii nunc antra dei quercusque Tonantis
arguerem? talesne acies, talesne triumphos
sorte dabant? tantumque nefas mens conscia vatum
conticuit, patriae exitium crudele senectae
et tot acerba canens! heu divis visa sinistris
regna mihi! quinam reditus? quae me hospita tellus
accipiet? quae non primis prohibebit harenis?
invidere dei, ne Phasidis arva remoti
et Scythicas populatus opes haec rursus adirem
litora, neve tuos irem tunc ultor in hostes.
fas tamen est conferre genas, fas iungere tecum
pectora et exsangues miscere amplexibus artus.
vos age funereas ad litora volvite silvas

---

298. *potius* om. Vat., add. cod. Carr.

300. *arguerem* Vat., *arguerim* Thilo scripsit, ea re, ut videtur, motus quod esset nimis acerba vituperatio Iovis et Apollinis, si diceret Iason uturum esse, ut non argueret oracula, si ipsi quid acci disset, nunc autem se ea arguere. Sed lenitur haec acerbitas, si cum Schenkelio signum interrogationis post *arguerem* ponimus.

De oraculis ipsis cfr. ad I, 544, minus accurate Valerius Apollinem Clarium hoc loco nominat.

301. *mens conscia* sc. divinae voluntatis.

302. *conticuit* videtur derivandum a conticendi verbo, non a conticescendi, quod nusquam cum accusativo coniunctum reperitur neque ad sententiam satis quadrat.

Mirum quod hoc loco Iason dicit vates sibi cecinisse exitium patris, cum nullo alio loco ne verbo quidem Valerius hanc rem tangat, contra aperte in initio libri secundi dicat, mortem patris ei incognitam mansisse, cfr. VII, 494.

305. Verg. Aen. I, 540 *hospitio prohibemur arenae.*

310. *miscere — artus* idem quod arte complecti; alterum exemplum huius significationis extare non videtur.

311. *age* imperativus tamquam interiectio quamquam praecedente plurali ponitur, ut Sil. XI, 575 *atque adeo temptate, agedum*; Stat. Theb. X. 33 *ite, age*; Liv. XXXVIII, 47, 11 *mittite agedum legatos* e. q. s.;

Digitized by Google

et socios lustrate rogos; date debita caesis
munera, quae nostro misisset Cyzicus igni.'
Parte alia Clite laceras super ora mariti
fusa comas misera in planctus vocat agmina matrum
fatur et haec: 'primis coniunx ereptus in annis
cuncta trahis; necdum suboles nec gaudia de te
ulla mihi, quis maesta tuos nunc, optime, casus
perpeterer tenui luctum solamine fallens.
Mygdonis arma patrem funestaque proelia nuper
natales rapuere domos, Triviaeque potentis
occidit arcana genetrix absumpta sagitta:

---

saepius invenitur postposito verbi plurali ut V, 538; VI, 213. vid. Kuehn. gramm. lat. II, § 17, 2; ita vel apud Ciceronem legitur.

312. *socios lustrate rogos:* rogos sociorum, ut I, 838 *mortales pellere curas*; IV, 201 *mortalia nusquam signa manent*; V, 20 *omnis manibus nunc pendet ab unis* i. e. manibus unius; 185 *populeos flexus — videt* i. e. flexum ordinem populorum.

lustrare rogum cum audaci breviloquentia dictum est pro exstruendo rogum lustrandi causa.

313. *nostro — igni:* insigni brevitate dictum pro eo quod est igni ad nostra corpora cremanda accenso; cfr. 389 *suos sontes* i. e. qui in se facinus commiserint; VII, 638 *sua proelia*: proelia in se ipsos facienda.

314. *parte alia* i. e. ab altera parte, cfr. ad I, 140.

317. *gaudia* intellegendi sunt liberi, quibus caret Clite, qui si adessent, matri lugenti solacio essent; sic Hero Leandrum sua gaudia nominat Ov. her. XVIII, 41 et met. XII, 16 avis pullos a serpente correptos, cfr. etiam Prop. I, 19, 9; de sententia vid. Verg. Aen. IV, 327 seqq. Consentit Valerius cum Apollonio, qui I, 973 seqq. tradit, nondum peperisse Cliten, cfr. Val. infra 345 et Conon. c. 41 ed. W., contra Hyg. fab. 16 narrat, Iasonem filiis Cyzici regnum tradidisse.

320. *Mygdon* rex Mygdoniae vel Phrygiae; filius eius Coroebus commemoratur apud Verg. Aen. II, 341.

322. *arcana sagitta* idem quod ἀγανὰ βέλη Homeri neque cum Wagnero de ira Dianae cogitandum, totus locus expressus ex Hom. Il. VI, 413 seqq.; cfr. praeterea Prop. I, 11, 23 seq.; Ov. her. III, 52; Venant. Fort. app. I, 51 ed. Leo, ubi Radegundis queritur de

Digitized by Google

tu, mihi qui coniunx pariter fraterque parensque
solus et a prima fueras spes una iuventa,
deseris heu, totamque deus simul impulit urbem!
ast ego non media te saltem, Cyzice, vidi
tendentem mihi morte manus aut ulla monentis
verba tuli; quin te thalamis modo questa morari,
heu talem tantique metus secura recepi.'
illam vix gemino maerens cum Castore Pollux
erigit haerentem compressaque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urguent
certatim decorantque pyras et corpora maesti
summa locant; vadit sonipes cervice remissa
venatrix nec turba canum pecudumque morantur;

---

fratre amisso: *quod pater extinctus poterat, quod mater haberi, Quod soror aut frater, tu mihi solus eras.*

325. *deseris heu*: Verg. Aen. III, 711.

326. *non media te saltem — vidi tendentem mihi morte manus:* ne in media quidem morte; cfr. Stat. silv. IV, 9, 14 (librum) *nec saltem tua dicta continentem;* V, 2. 66 *nec saltem — ostrum — exuit;* Iuvenc. I, 487 *legis ne littera saltem — deerit.*

328. *et* Vat., *te* Schenkl. Modo questa est in thalamis Clite, quod vir nondum redierit, sed exitium ei iam paratum esse minime praesagiebat.

331. *compressaque colla trahentem:* Clite secum trahit collum mariti, quod arte complexa erat.

332. Rursus Valerius rem immodice neque eleganter auget; *nudatis montibus*: cfr. Stat. Ach. I, 427; Theb. XII, 51; Sen. Troad. 74; Luc. III, 428.

urgere interdum apud poetas significat cum studio et ardore aliquid conficere, sic *vestem u.* Verg. Aen. IX, 489; *opus* Ov. met. IV, 390; Tib. I, 9, 8; *iter* Ov. fast. VI, 250; *propositum* Hor. sat. II, 7, 6; *inceptum* Val. V, 399.

333. *tempora* Vat., *corpora* cod. Carr.

334. Apud Homerum equi et canes in rogum Patrocli coniciuntur ab Achille Il. XXIII, 171 seqq.; cfr. Verg. Aen. XI, 197 seqq.; Stat. Theb. XII, 69 seq. et quae Tacitus de Germanorum more refert Germ. c. 27. Vel ex commemoratione *pecudum* v. 335 apparet, etiam Valerium de immolandis animalibus cogitavisse.

Digitized by Google

munera fert, quae cuique manus, quae cura suorum,
quae fortuna fuit. medio rex aggere longe
eminet; hunc crebris quatiens singultibus ora
adlevat Aesonides celsoque reponit in ostro.
dat pictas auro atque ardentes murice vestes,
quas rapuit telis festina vocantibus austris
Hypsipyle; galeam dilectaque cingula regi
inicit; ille suam vultus conversus ad urbem
sceptra manu veterum retinet gestamen avorum.
nam quia nec proles alius nec denique sanguis,

336. *funereaeque* Vat. sine dubio corruptum; cum statim *manus cura fortuna* commemorentur, certum videtur, Valerium loqui de muneribus pro uniuscuiusque artis peritia vel pietate vel fortuna oblatis; scripsi *munera fert* sc. quisque, quod subiectum, ut saepe, in enuntiato relativo positum est. Poetae mentem recte perspexerunt Phil. Wagner Philol. XX, 637 et Koch coniect. p. 19. sed quod proposuerunt *munera dant*, nimis recedit a scriptura tradita. *quae cuique manus* e. q. s. dicuntur ut in prosa oratione *quae est eius prudentia* similiaque; *manus* autem artis peritiam significat ut Verg. Aen. I, 455 *artificumque manus — miratur.*

337. Quasi *agger* efficitur ingenti rogo, qui sufficeret tot corporibus cremandis.

338. *quatiens singultibus ora:* Ov. amor. III, 9, 12 *oraque singultu concutiente sonant.*

340. *ardentes murice vestes*; cfr. Verg. Aen. IV, 262; Coripp. de laud. Iust. II, 118 *ardenti murice texit* et ad I, 427.

341. *fortuna* Vat., *festina* cod. Carr.; *quas rapuit* i. e. summa cum festinatione confecit; simili, non prorsus eadem notione dicuntur *tempora bellum viam iter cursum rapere*; cfr. praeterea *incendia rapere* Luc. III, 684; *castella* i. e. celeriter expugnare VI, 269; *mortem* IX, 1059; *letum* Sil. II, 678; *certamina* X, 470; *raptor stupri* vocatur Hippolytus apud Sen. Phaed. 726; alia exempla vide ad V, 271. Eadem sententia, qua Valerius, ante dixerat Verg. Aen. IX, 488 (veste) *tibi quam noctes festina diesque Urgebam*; cfr. ad 332.

vocantibus austris: Verg. Aen. III, 70; 357.

Ceterum non satis haec quadrare ad subitam Argonautarum ex Lemno profectionem, quae narratur II, 393 seqq., Thilo vidit praef. p. XXVII.

345. *alius nec denique sanguis*; saepius sanguinem dici pro filio

Digitized by Google

ipse decus regnique refert insigne parenti.
inde ter armatos Minyis referentibus orbes
concussi tremuere rogi, ter inhorruit aether
luctificum clangente tuba; iecere supremo
tum clamore faces; rerum labor omnis in auras
solvitur et celsis conlucent aequora flammis.
scilicet haec illo iuvenem populosque manebant
tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor;
hoc volucrumque minae praesagaque fulmina longo
acta mari tulerant. sed quis non prima refellat
monstra deum longosque sibi non auguret annos?

---

vel filia notum; hoc autem loco apparet scriptum esse pro quovis consanguineo.

346. *parentis* Vat., *parenti* Madvig adv. II, 140; refert sceptrum patri iam mortuo, a quo id acceperat.

347. Numerum ternarium in rebus ad religionem et caerimonias pertinentibus usitatissimum esse constat; de hoc tumuli vel rogi circumeundi honore cfr. infra 441; Apollon. I, 1059; Verg. Aen. XI, 188; Luc. VIII, 735; Stat. Theb. VI, 215; vide etiam Hom. Il. XXIII, 13; Od. XXIV, 68 seq.; ludos quoque Argonautas Cyzico instituisse dicunt Apoll. l. c. et Hyg. fab. 273.

349. *luctificum clangente tuba*, cfr. ad II, 453.

350. *cum clamore* cod. Carr., sed vid. ad I, 158.

rerum labor omnis non videtur mutandum neque alienum ab audacia dicendi Valeriana; dictum est pro labore omnium rerum idque eandem sententiam habet, ac si poeta dixisset 'omnes res cum labore confectae', de qua re cfr. ad I, 159; atque pertinet ad ea, quae v. 336 posita sunt. *regum labor*, quod proposuit Gronovius, receperunt Schenkl et Baehrens, hic locum non habet, cum longe plurimae res, quae cremantur, ad regem omnino non pertineant.

352. *iuvenis* est rex Cyzicus, cui aves et fulmina ominibus nuntium tulerant de futuro ab Argonautis exitio, sed ea non curans longam vitam speraverat.

355. *quis non prima refellat monstra deum*; monstra proprie sic dicta, quibus dei aliquid monstrent, vid. Cic. de div. I, 93; Verg. georg. III, 58; Aen. II, 171; 680; III, 59 al.

monstra refellere contrarium est ei, quod dicitur omen accipere, sed sine exemplo scriptum videtur.

Digitized by Google

iamque solutus honos cineri, iam passibus aegris
dilapsae cum prole nurus, tandemque quiescunt
dissona pervigili planctu vada, qualiter arctos
ad patrias avibus medio iam vere revectis
Memphis et aprici statio silet annua Nili.
At non inde dies nec quae magis aspera curis
nox Minyas tanta caesorum ab imagine solvit.
bis zephyri iam vela vocant, fiducia maestis
nulla viris; aegra adsiduo mens carpitur aestu,

357. *passibus aegris* i. e. languidis, quales sunt aegrorum; sic saepius apud poetas, ut Ov. met. VII, 540 *balatus gregum* aegri nominantur; Sil. I, 494 *aegro scandit in adversum — nisu*; Verg. Aen. V, 432 *vastos quatit aeger anhelitus artus.*

359. *dissonus* adiectivum de regione, quae completur clamore, dictum; similiter legitur apud Petron. de bello civ. c. 120 v. 72 *non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta locuntur.*

360. Arcti *patriae* nominantur, quia in his sedibus illae aves pullos educunt ipsaeque natae sunt; Aegyptus nominatur, in quam aves appropinquante hieme transmigrent, etiam apud Statium Theb. V, 11; Luc. III, 199; V, 711; VII, 832 seq.; Claud. de bell. Gild. 474 seqq.; schol. Arat. v. 1010; magis generatim has regiones indicat Verg. Aen. VI, 312.

362. Die toto nocteque, quae insecuta est, funere et planctu consumptis, iam die qui sequebatur et altera nocte et tertio die lugere non desinunt Argonautae; hic autem tertius dies secundus erat morae inutilis; igitur Valerius *'bis zephyri'*, inquit, *'iam vela vocant'*. Noctu insomnibus curae et dolores solent esse maiores; cfr. Ov. her. XIII, 104 *tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis*; *Nocte tamen quam luce magis.*

inde dies: dies proximus; *inde* adverbium pro attributo ponitur, cfr. V, 423 *pinguemque sine imbribus annum* 'das regenlose Jahr'; 572 *oraque iuxta Aeacidum* i. e. iuxta sedentium; VI, 220 *tibi — tot — montibus inter diviso* 'durch so viele dazwischen liegende Berge'; VI, 736 *tantos flentem sine honore labores* 'unrühmliche Arbeiten'. Nota sunt exempla, qualia *eri semper lenitas* Ter. Andr. 175; *neque ignari sumus ante malorum* Verg. Aen. I, 198; vid. Kuehn. gramm. lat. II, § 58 b.

365. *aegro assidue* Vat., *aegra assiduo* Heinsius; *mens carpitur aestu*: Verg. Aen. IV, 2 *regina — carpitur igni.*

Digitized by Google

necdum omnes lacrimas atque omnia reddita caesis
iusta putant; patria ex oculis acerque laborum
pulsus amor segnique iuvat frigescere luctu.
ipse etiam Aesonides, quamquam tristissima rerum
castiganda duci vultuque premenda sereno,
dulcibus indulget lacrimis aperitque dolorem.
tum secreta trahens Phoebeum ad litora Mopsum
'quaenam' ait 'ista lues, aut quae sententia divum?
decretusne venit fato pavor? an sibi nectunt
corda moras? cur immemores famaeque larisque
angimur? aut pariet quemnam haec ignavia finem?'
'Dicam' ait 'ac penitus causas labemque docebo'
Mopsus, et astra tuens 'non si mortalia membra
sortitusque breves et parvi tempora fati
perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi,
fas ideo miscere neces ferroque morantes

---

367. *sacerque* Vat., *acerque* cod. Carr.

370. *tristissima rerum castiganda duci* i. e. animo cohibenda, reprimenda, ut VI, 660 *castigatque metus*; Petron. 47 *castigamus crebris potiunculis risum*; Verg. contra Aen. I, 209 scripsit *premit altum corde dolorem*.

374. *nectunt — moras*: Sen. Herc. Oet. 10.

376. *quemnam* praeter consuetudinem postponitur; referendum hoc ad magnam illam libertatem, quam sibi sumit Valerius in vocabulis collocandis. Iam in versu, qui sequitur, tale quid invenimus, ubi *ait* et *Mopsus* paene toto versu inter se separata sunt; de hac re cfr. II, 575; III, 143; V, 129.

378. Iam exorditur Mopsus sententiam de animorum post mortem condicione exponere; poeta imitatus videtur Verg. Aen. VI, 724 seqq., ubi Anchises apud inferos similia edocet filium, tum Stoicorum de animis praecepta respexit, denique nonnulla ipse addidit, imprimis 384 seqq.

379. *sortitus* hoc loco pro sorte ponitur; sic propria *sortis* notione invenitur apud Stat. Theb. VI, 389 *et iam sortitus Prothous versarat aena Casside*; et translata IX, 54 *nec iam sortitus veteres — peto* et XII, 556 *eademque in sidera, eosdem Sortitus animarum — (homines) creati*.

381. *miscere neces* i. e. inter se pugnare pugnandoque homines

exigere hinc animas redituraque semina caelo.
quippe nec in ventos nec in ultima solvimur ossa;
ira manet duratque dolor. cum deinde tremendi
ad solium venere Iovis questuque nefandam
edocuere necem, patet ollis ianua leti
atque iterum remeare licet; comes una sororum
additur et pariter terras atque aequora lustrant.
quisque suos sontes inimicaque pectora poenis

---

interficere, cfr. *funera miscere* VI, 428; 631; *vulnera* Verg. Aen. XII, 720; Luc. III, 354; *proelia* Ov. met. V, 156; Luc. V, 476; VII, 510; Sil. I, 266; II, 152; IX, 233; X, 427; XIV, 521; XV, 673; XVI, 48; Coripp. Ioh. IV, 843; *certamina* Sil. V, 302; IX, 330; *pugnas* I, 69; *bella* II, 528.

383. *nec in ventos — solvimur*; contraria est Epicureorum sententia Lucr. III, 456 *dissolvi — convenit omnem animai Naturam ceu fumus in altas aeris auras.*

nec in ultima solvimur ossa recte videtur Burmann explicasse 'quae cremato corpori supersunt', sed fortasse etiam dictum est de reliquiis humatorum corporum: ossa non ultimum est, in quod solvimur, sive crematur corpus sive humatur.

384. *ira manet duratque dolor*; aptissime hos potissimum sensus animi Valerius hoc loco nominat pro anima ipsa, quae post mortem corporis duret.

385. Iovem Stygium vel Plutonem hoc loco dici apparet ex eis, quae sequuntur, cfr. ad I, 730.

386. *patet ollis ianua leti*, unde rursus exeant ex inferis: contrarium cogitatur IV, 231; Verg. Aen. II, 661; Stat. Theb. III, 68.

387. *sorores* a poetis Romanis dicuntur aut *Furiae*, ut hoc loco, Ov. met. IV, 450; 470; VI, 662; X, 314; 349; Stat. silv. II, 1, 185; Theb. V, 201; XII, 647; Drac. ed. B. X, 465; 529; Sen. Oed. 161; Agam. 759; Prud. in Symm. I, 361; aut *Musae*, ut Verg. ecl. VI, 65; Tib. III, 4, 45; Prop. II, 30, 27; III, 1, 17; Ov. trist. II, 13; IV, 1, 29; V, 3, 17; Stat. silv. I, 2, 10; Theb. IX, 317; poetae min. ed. B. XIX, 1, 35; Paulin. de vita Mart. I, 303; VI, 340; Alcim. Av. VI, 16; aut *Nymphae* Sil. VII, 414; VIII, 198; longe autem plurimis locis *Parcae*, cuius notionis exempla afferre non opus est.

388. *terras atque aequora lustrant:* Luc. V, 347; IX, 1057.

389. *quisque suos sontes — poenis implicat* i. e. suos interfectores, magnacum audacia et prorsus praeter consuetudinem dictum; cfr. ad 313.

Digitized by Google

implicat et varia meritos formidine pulsant.
at quibus invito maduerunt sanguine dextrae,
seu fors saeva tulit miseros et proxima culpae,
hos variis mens ipsa modis agit et sua carpunt
facta viros: resides et iam nil amplius ausi
in lacrimas humilesque metus aegramque fatiscunt
segnitiem, quos ecce vides. sed nostra requiret
cura viam. memori iam pridem cognita menti
est procul ad Stygiae devexa silentia noctis
Cimmerium domus et superis incognita tellus,
caeruleo tenebrosa situ, quo flammea numquam
Sol iuga sidereos nec mittit Iuppiter annos.

Baehrens *suis* recepit, Peerlkampii coniecturam; at noluit Valerius dicere quemque propria nocentes poena afficere, sed quemque suum ipsius interfectorem.

391. *invito maduerunt sanguine dextrae*; similiter dictum Ov. ex Pont. II, 1, 16 *invita saepe iuvamur ope.*

392. *sed* Vat., *seu* Ellis journal of phil. IX, 55. Distinguuntur ei, qui prorsus inviti alterum occiderunt, ab eis, qui errore quidem quodam ducti sed tamen voluntate caedem fecerunt ideoque proximi sunt culpae: inter hos referendi Argonautae. *fors saeva tulit miseros* i. e. abstulit: Ov. her. VII, 7 seq. *certus es ire tamen miseramque relinquere Dido*; *Atque idem venti vela fidemque ferent*; XII, 199 seq. (dotem) *campo numeravimus illo Qui tibi laturo vellus arandus erat;* cfr. Val. VI, 104.

396. *requiret* propria notione scriptum i. e. rursus quaeret, nam iam antea hanc viam investigaverat, cfr. quae statim sequuntur et v. 409 seq.

397. *vate* Vat. teste Thil., *nati* Vat. teste Sch., *menti* Schenkl in annot.

399. Apud *Cimmerios* descensum esse ad inferos auctor primus est Homerus Od. XI, 14 seqq.; *devexa* domus nominatur i. e. devexa via ducens ad Stygiae silentia, cfr. praef. cap. I.

401. Ad *Sol* subiectum *flectit* praedicatum figura zeugmatis ex *mittit* addendum; solem ad Cimmerios non penetrare iam apud Homerum l. c. legitur.

siderei anni sunt anni tempora, quae motu solis ceterorumque siderum vel efficiuntur vel notantur, sic *frigidus annus* Verg. Aen.

Digitized by Google

stant tacitae frondes immotaque silva comanti
horret verna iugo; specus umbrarumque meatus
subter et Oceani praeceps fragor arvaque nigro
vasta metu et subitae post longa silentia voces.
ensifer hic atraque sedens in veste Celaeneus

VI, 311; *pomifer* Hor. c. III, 23, 8; *hibernus* epod. II, 29; *inversus* sat. I, 1, 36; *versus* Stat. silv. I, 2, 157; *Pisaeus annus* (i. e. aestas) I, 3, 8; *horrens* Theb. IV, 1; *letifer* VII, 709; *melior* IX, 406; *tener* (i. e. ver) Mart. IX, 13, 1.

402. Densis arboribus descensum ad inferos circumdatum esse saepe apud poetas legimus: Hom. Od. X, 509; Apoll. II, 738; Verg. Aen. VII, 565; Sil. XII, 122; Stat. Theb. X, 86; Sen. Herc. fur. 663; cfr. Ettig Acheruntica in stud. Lips. XIII, p. 367 annot. 2 et 3.

tacitae sunt frondes, quia cantu avium non resonant; cfr. Petron. de bello civ. c. 120 v. 73 *non verno persona cantu Mollia discordi strepitu virgulta locuntur*; quamquam licet etiam de strepitu foliorum explicare, sed haec explicatio non commendatur eis quae sequuntur: *immotaque silva — horret.*

403. *silva — horret* interpretantur Burmann et Wagner de frigore, quale sit hieme, sed si id voluisset poeta, frondes commemorare non debebat; verum *horret* indicat arbores immotas stare ne levissima quidem aura agitatas, Stat. Theb. X, 86 eandem silvam *inertem* nominat.

umbrarum meatus est via, qua mortui ad inferos descendunt; de hac meatus substantivi notione cfr. Luc. I, 663; Claud. in Ruf. I, 271; de bell. Gild. 223; in Eutrop. I, 14; de rapt. Pros. II, 184; anthol. B. 527, 9; Avien. phaen. 157; Prud. hamart. 319; 650; perist. X, 565; Boeth. de cons. I, 2, 7; Alcim. Av. c. IV, 248 rimas navium nominat *rimosos compagum meatus.*

404. *niger* metus dicitur, quia pertinet ad inferos; vel ignes rogi nigri sive atri dicuntur Verg. Aen. IV, 384; XI, 186; Hor. c. IV, 12, 26; epod. V, 82; Ov. fast. II, 561; *niger deus* Ov. her. II, 72; *Dis* met. IV, 438; *Tartara* trist. I, 2, 22; *Orcus* Hor. c. IV, 2, 23; *colla* (Cerberi) Stat. Theb. II, 28; *Iuppiter* (Dis) 49 et Sen. Herc. Oet. 1705; *domus* (Tartarus) Coripp. Ioh. VI, 136; *maritus* (Dis) 137.

406. Tota haec res de *Celaeneo* a Valerio ipso videtur inventa esse et nomen ductum a graeco adiectivo κελαινό-

Digitized by Google

insontes errore luit culpamque remittens
carmina turbatos volvit placantia manes.
ille mihi quae danda forent lustramina caesis
prodidit, ille volens Erebum terrasque retexit.
ergo ubi puniceas oriens ascenderit undas,
tu socios adhibere sacris armentaque magnis
bina deis; me iam coetus accedere vestros
haut fas interea, donec lustralia pernox
vota fero. movet en gelidos Latonia currus.
flecte gradum, placidis sileant age litora coeptis.'

407. *insontes errore luit*; cum luendi verbo aut crimen aut poena in accusativo coniungi solet, si translatam habet notionem; alia res est, cum proprie significat lavare, ut apud Silium legimus XI, 21 *Graecia — Ionio luitur*; ex hoc autem usu Valerius insontes, qui lavantur vel purgantur, in accusativo ponit, in ablativo res, qua purgantur; sed hoc sine exemplo est.

408. *carmina — volvit* i. e. recitat; sic Sen. Oed. 561; Luc. IX, 927; *verba volvere* etiam apud Ciceronem invenitur.

410. *terras retexit* i. e. aperuit, ut ad inferos descendere possem.

411. *oriens* est sol oriens, ut Verg. georg. I, 250; Aen. V, 739; Ov. fast. I, 653.

412. *adhibere*; more Homeri infinitivum ponere ausus est poeta pro imperativo secundae personae singulari exemplo; nam qui loci aliorum scriptorum afferuntur, aut corrupti videntur, ut Apul. met. VI, 10, ubi nunc editur *discerne — congeriem* pro eo quod traditur *discernere*, aut aliter explicari debent, ut Varr. de re rust. I, 31, 1; 6; III, 9, 8; 10; Colum. XII, 39, 1. Fortasse Valerius etiam deceptus est falsa interpretatione verborum Verg. Aen. III, 405 *purpureo velare comas adopertus amictu*; de duobus inscriptionum exemplis cfr. Buecheleri anthol. lat. part. poster. p. 160.

armentaque magnis bina deis; ex eis, quae praecedunt, notio immolandi ad haec verba audienda est; armentum ponitur pro bove Luc. I, 329; Hyg. fab. 118, qui hecatomben esse dicit, cum centum armenta occidantur; sed etiam magis insolitum, quod de ovibus a Valerio dictum esse apparet ex v. 431, nisi forte putamus, Valerium intra tam paucos versus sibi non constitisse.

bina Vat., *bima* Pius, sed duas fuisse, quas nos dicimus 'ein Paar', recte concludi posse videtur ex Hom. Od. X, 527.

415. De curru Lunae vid. II, 295.

416. *placidis sileant age littora coeptis*; placidis coeptis est dati-

Digitized by Google

Iamque sopor mediis tellurem presserat horis
et circum tacito volitabant somnia mundo,
cum vigil arcani speculatus tempora sacri
Ampycides petit adversis Aesepia silvis
flumina et aequoreas pariter decurrit ad undas.
hic sale purpureo vivaque nitentia lympha
membra novat seque horrificis accommodat actis.
tempora tum vittis et supplice castus oliva
implicat et stricto designat litora ferro:
circum humiles aras ignotaque nomina divum

---

vus: Argonautas per littora stratos favere linguis iubet Mopsus; *placida* i. e. placantia; sic *laurus placida* v. 434; *ars* Ov. artis III, 545.

418. *circum — volitabant*; praepositio a verbo separata, ut Verg. georg. I, 345; Aen. I, 175 al.

420. *Aesepus* fluvius secundum schol. Apoll. I, 1115 in confinio Troadis et Mysiae fluit; cfr. etiam Strab. XII, 4, 6; nominatur ab Homero Il. II, 825; IV, 91; XII, 21.

adversis silvis fere idem atque per silvas, quae eunti adversae, i. e. in fronte sitae erant.

421. *flumina*; cfr. ad II, 496.

pariter decurrit i. e. postquam ad ripam fluminis pervenit, pariter atque aquae fluminis ad mare decurrit.

422. *sal purpureum* proprie intellegere videtur Wagner, sed quamquam concedendum, posse etiam sal, ut oculum vultum nivem cycnum, purpureum dici, tamen hoc loco cum ad mare descendisset vates, undam maris cum Burmanno intellegere praestat.

Praeter aquam marinam utitur Mopsus etiam fluviatili, quod indicatur verbis *viva lympha*.

423. *membra novat* quid sit hoc loco, apertum est: dicitur similiter atque agrum novare, cum ipse ager non novus fiat, sed species eius mutetur et novetur; ita interpretanda videntur Silii quoque verba IV, 12 *pila novant* i. e. acuunt; cfr. Ov. her. IV, 90 *haec* (requies) *reparat vires fessaque membra novat*; Cic. de inv. I, 25 *animus defessus audiendo — risu novatur*.

424. *supplice oliva*, cfr. ad I, 109.

425. Quasi templum in littore ferro designat.

426. *humiles aras* instituit deis inferis; vid. schol. ad Verg. ecl. V, 66, ubi inter alia affertur, focos dicari teste Varrone deis in-

Digitized by Google

instituit silvaque super contristat opaca.
utque metum numenque loco sacramque quietem
addidit, ardenti nitidum iubar emicat alto.
Atque Argoa manus variis insignis in armis
ibat agens lectas aurata fronte bidentes.
Delius hic longe candenti veste sacerdos
occurrit ramoque vocat: iamque ipse recenti
stat tumulo placida transmittens agmina lauro:
ducit et ad fluvios ac vincula solvere monstrat

---

feris, quocum consentit Stat. Theb. IV, 457; de humilibus aris ad cultum manium exstructis cfr. Rohde Psych. p. 33 et 140.

aras ignotaque nomina divum instituit per figuram dicitur, quae hendiadys vocatur, rursusque per figuram scribitur *ignota nomina divum* pro nominibus ignotorum divum; nomina autem non sunt propria notione, sed magis generali verba, quibus dei ignoti nominantur vel significantur. Vides etiam hoc loco audaciam dicendi Valerio non insuetam. Magnae erant partes deorum ignotorum in Romana potissimum religione: cfr. Gellii noct. Att. II, 28 et Prell. rom. mythol. I^3, 62.

427. *silva — opaca* i. e. densa fronde, cfr. Ov. met. IV, 339; Stat. silv. V, 5, 30; Theb. II, 248; Paulin. vitae Mart. II, 261.

contristare i. e. contegere praeter consuetudinem quidem sed non inepte hoc loco dicitur.

428. Numini ignoto locum consecrat indeque metus exoritur hominibus loci violandi; cfr. Luc. I, 608.

429. *evocat* Vat., *emicat* Froehner ann. phil. suppl. V, 41. Non credibile est, Valerium artis magicae peritum Mopsum descripsisse.

432. Iam licet Mopso sacris nocturnis peractis ad Argonautas accedere, vid. v. 413; *candenti veste:* ablativus praepositione non addita ponitur similiter etiam VII, 181.

433. *vocat* facilem et aptum habet explicatum, *novat,* quod legitur in cod. Carr., ex 423 invectum est.

434. *placida,* cfr. ad 416.

transmittens agmina lauro i. e. praeter se transire iubet unumquemque praetereuntem lauro tangens; de transmittendi verbi notione cfr. Stat. Theb. I, 498 seq. *nox quae — Ignea multivago transmittis sidera lapsu*; VIII, 594 seq. *leo — imbelles vitulos mollesque iuvencas Transmittit,* i. e. sinit praeterire.

435. *monstrat* cum infinitivo coniunctum cum iubendi vel do-

Digitized by Google

prima pedum glaucasque comis praetexere frondes
imperat, hinc alte Phoebi surgentis ad orbem
ferre manus totosque simul procumbere campis.
tunc piceae mactantur oves, prosectaque partim
tergora, per medios partem gerit obvius Idmon.
ter tacitos egere gradus, ter tristia tangens
arma simul vestesque virum lustramina ponto
pone iacit; rapidis adolentur cetera flammis.
quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum

---

cendi notione etiam Hor. sat. II, 8, 52; Lucr. V, 1104; Verg. Aen. IX, 44; Ov. am. I, 6, 8; artis II, 65.

436. *vincula solvere — prima* scriptum pro eo quod est primo vincula solvere; cfr. infra 490; IV, 166; VII, 172; 378.

437. Precaturi orientem versus manus tendebant, cfr. Marquardti antiqu. Rom. VI, 173 annot. 5.

438. *totisque* Vat., *totosque* Eyssenhardt mus. Rhen. 17, 386; i. e. toto corpore.

439 sqq. paullo obscurius dicta sunt, praesertim cum subiecta saepius mutari ex sententia demum ipsa concludendum sit: Mopsus prosecat partem hostiarum et in aris ponit, partem per ordines Argonautarum eis obviam eundo quasi minister Mopsi Idmon portat, quem sacerdotem Phoebi esse Valerius dixerat I, 228, ut Mopsus ipse III, 372 *Phoebeius* et 432 *Delius* nominatur; tum Argonautae ter circum aras eunt euntiumque arma et vestes Mopsus ea parte sacri. quam antea Idmon per medios gesserat, tangit, denique hanc in pontum iacit alteramque partem in aris positam cremat.

440. *pectora* Vat., *tergora* Baehrens.

441. *egere gradus*, vid. ad III, 8 et de re ipsa supra 347; *tangens arma*: exspectatur perfectum *tactis armis*, sed cfr. IV, 27 *hoc nemus — mihi iam domus improba quo me Nympha rapit.*

442. *lustramina ponto pone iacit:* Hom. Il. I, 314 οἱ δ'ἀπελυμαί-νοντο καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον; Verg. eclog. VIII, 101 seq. *fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti Transque caput iace; nec respexeris*; Claud. de VI cons. Hon. 329 *trans caput aversis manibus iaculatur in austrum Secum rapturas cantata piacula taedas*; cfr. Rohde Psych. p 362 annot. et p. 376 annot. 3.

444. *quercus nemorum truncas* recte explicat Caussin quercus, quibus rami et frondes recisae sunt coll. Verg. georg. IV, 310 *ani-*

Digitized by Google

rite locat quercus simulataque subligat arma.
huc Stygias transire minas iramque severi
sanguinis, his orat vigiles incumbere curas,
atque ita lustrifico cantu vocat: 'ite perempti
ac memores abolete minas; sint otia vobis,
sit Stygiae iam sedis amor; procul agmine nostro
et procul este mari cunctisque absistite bellis.
vos ego nec Graias umquam contendere ad urbes
nec triviis ululare velim, pecorique satisque
nullae ideo pestes nec luctifer ingruat annus,
nec populi nostrive luant ea facta minores.'
dixerat, et summas frondentibus intulit aris
libavitque dapes, placidi quas protinus angues,
umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.

---

malia trunca pedum; vid. praeterea Sil. X, 310 *truncus capitis — exercitus*; de collocatione verborum vid. ad I, 284; *nemus* autem idem significat, quod frondes, ut Paul. vitae Mart. II, 262 seq. *arcebatque omnem foliorum crate calorem Arboris unius densum nemus.*

effigiesque virorum per epexegesin additur: locat truncas quercus, quae essent effigies virorum; de sententia cfr. Verg. Aen. XI, 83 seq.

449. *abolet animas* Vat., *abolete minas* cod. Vat. 1613.

451. Cfr. Verg. Aen. VI, 258 seq.

453. *ululant* manes ad superos redeuntes per noctem Ov. fast. II, 553 et in triviis potissimum talia apparent, cfr. Verg. Aen. IV, 609; Tib. I, 3, 12; anthol. ed. B. 207, 33.

454. De sententia cfr. Verg. Aen. III, 139.

455. *minores* i. e. posteri, ut Verg. Aen. I, 532; 733; VI, 822; VIII, 268; Ov. fast. III, 327; trist. IV, 10, 55; Sil. VI, 550; XVI, 44.

456. *summas — dapes* i. e. supremas, ut I, 542; Verg. Aen. II, 324; Hor. c. III, 28, 13; ep. I, 1, 1.

frondentibus aris; cfr. 427.

457. Apud Verg. Aen. V, 84 seqq. anguis dapes ab Aenea manibus Anchisae oblatas consumit; cfr. Sil. II, 584 seqq. ibique Ruperti doctam annot.; Ov. met. XIV, 410; et omnino de serpentibus Geniorum quasi famulis vel manes repraesentantibus Prell. mythol. Rom. II³, 196; Rhode Psych. I, 223; Bern. Schmidt Volksleben der Neugriechen p. 184.

Digitized by Google

Continuo puppem petere et considere transtris
imperat Ampycides nec visum vertere terrae:
exciderint quae gesta manu, quae debita fatis.
illi alacres pars arma locant, pars ardua celsis
insternunt tabulata toris oriturque trementum

---

459 sqq. Apollonius narravit I, 1078 seqq. Argonautas duodecim dies et noctes navigatione prohibitos esse tempestate maxima excitata Magnae Matris ira, quam cum placavissent, eis copiam datam insulae Cyzicenorum relinquendae. Cum autem Valerius ira Cybeles iam usus esset ad causam funestae illius pugnae explicandam, aliam morae rationem proferre debebat.

459. *considere transtris*; Verg. Aen. III, 289.

461. *exciderint*: variatur constructio imperandi verbi v. 459 et 460 cum infinitivo, 461 cum coniunctivo coniuncti; cfr. VI, 16 *edocet adfari Minyas fraudemque tyranni ut doceant*. Excidendi autem verbum singularem animo excidendi vel obliviscendi notionem habet cfr. Claud. epist. II, 13; sic *auferre* (memoria) II, 245; *repetere* (memoria) III, 493; *redire* (in memoriam) IV, 187; *tempora legere* (animo) IV, 440; *exigere* (e vita) VI, 572; *intendere* (animum) VI, 600; *percurrere* (oculis) VI, 601; *figere* (cruci) Mart. II, 82, 1; saepius *deiectus* (spe vel animo) ut Sil. XII, 190; Verg. Aen. X, 858; Coripp. Ioh. V, 607; saepissime *advertere* (animum) *deficere* (animo, viribus) *volvere* (animo) *defunctus* (vita) al.

quae debita fatis 'was sie dem fatum zu verdanken hatten' i. e. quae per fata, non ipsis auctoribus, acciderant; sic interdum *debitus* dicitur de rebus ingratis vel malis, ut VI, 200 *nescit cui debeat Ocheus aut cui fata Tyres*; Luc. IV, 546 *cui volnera prima debebat*; 560 *nec volnus adactis debetur gladiis*; Ov. fast. II, 825 *hoc quoque Tarquinio debebimus?*; cfr. trist. II, 516; Paul. Pell. euchar. 274; Boeth. de cons. phil. I, 5, 30.

462. *celsis* om. Vat., add. cod. Carr., sed valde incertum, num ita scripserit Valerius.

463. *tabulata* hoc loco sedes ligneae remigum nominantur; similis certe notio est huius vocis apud Mart. epigr. IX, 59, 5; haec tabulata, ut mollius remiges sedeant, sternuntur toris, quae Graeci ὑπηρέσια dicunt, contextis ex cannabi vel ulva vel simili materia; vid. Pers. sat. V, 146 *tibi torta cannabe fulto Cena sit in transtro*: Ov. met. VIII, 645 seq. *in medio torus est de mollibus ulvis Impositus*

Digitized by Google

remorum sonus et laetae concordia vocis.
Iuppiter urguentem ceu summa Ceraunia nubem
cum pepulit movitque iugis, fulsere repente
et nemora et scopuli nitidusque reducitur aether:
sic animi rediere viris, iamque ipse magister
nutat ab arce ratis, remisque insistere tendunt.
instaurant primi certamina liber amictu
Eurytus et dictis Talai non territus Idas;
inde alii increpitant atque aequora pectore tollunt.
par gemitu pulsuque labor, versumque vicissim

---

lecto. Serv. ad Verg. Aen. I, 708 *torum* explicat herbam tortam; sane prorsus falso, si ad illum Vergilii locum respicis, sed vide etiam Non. p. 11 et Isid. orig. XX, 1.

464. *concordia vocis* sc. Orphei, cfr. I, 471 seq.; est vox sono remorum concors.

465. De comparatione cfr. Hom. Il. XVI, 297 seqq.

469. *obsistere tend* Vat., *obsistere tendit* ceteri codd. Verba tradita non alia ratione explicari posse puto atque fecit Dureau: tam vehementer remorum pulsu concussam et promotam esse navem, ut Tiphys in sede sua celsa nutare inciperet et contra tenderet, ne sede decideret. Sed hoc Valerium dicere voluisse cum minime credibile sit, *tendunt* scripsi Schenkelium secutus et *insistere* cum Ph. Wagnero Philol. 20, 637. Nutat autem Tiphys ad socios incitandos, neque frustra, cum statim contendant remis insistere.

470. *instaurant certamina*: parant exordiuntur, sic *inst. diem* Verg. Aen. IV, 63 et Stat. Theb. II, 88; *mensas* Sil. XI, 421; *tunicas* Plin. nat. hist. XI, 77; *monumenta* XXXI, 6; *dapes* Claud. rapt. Pros. III, 216.

471. *Talaum* fingit poeta nonnulla dixisse ad irridendum Idam, quod Euryti viribus non par esset, qui fortis describitur I, 439.

472. *increpitant*: provocant, adhortantur, ut Verg. Aen. I, 738; Sil. III, 140; IV, 500; XI, 72.

pectore breviter neque proprie dictum pro eo quod est remorum capulis ad pectus admotis.

473. *par gemitu pulsuque labor*; gemitu et pulsu dativos intellego: labor aeque magnus est atque ea, quae sub aures et oculos cadunt: gemitus pectoris editus in remigando et pulsus remorum marisque; de gemitu in acri contentione virium ex pectore edito cfr. Cic. Tusc. II, 56 *pugiles vero etiam cum feriunt adversarium, in iactandis caestibus*

Digitized by Google

mittitur in puppem remo mare. laetus et ipse
Alcides 'quisnam hos vocat in certamina fluctus?'
dixit, et intortis adsurgens arduus undis
percussit subito deceptum fragmine pectus,
atque in terga ruens Talaum fortemque Eriboten
et longe tantae securum Amphiona molis
obruit inque tuo posuit caput, Iphite, transtro.
Iam summas caeli Phoebus candentior arces
vicerat et longas medius revocaverat umbras.
tardior hinc cessante viro quae proxima Tiphys

---

ingemiscunt, non quod doleant animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior.

vicissim hoc loco idem significat quod certatim.

474. *mare*, aqua marina, cfr. ad I, 479; eandem notionem habet *aequor* IV, 666.

laetus et ipse Alcides — dixit, quem magnis viribus praeditum ad certamen cum inferioribus descendisse non verisimile erat. Etiam apud Apollonium invenimus hanc de fracto remo Herculis narrationem certamine instituto, sed minus bene et contra veritatem poeta Graecus fingit, per aliquantum temporis solum Herculem ceteris defessis navem remigando promovisse. Vix autem credibile, Apollonium nescivisse, si ab uno tantum latere remis agatur, navem non promoveri, sed in orbem moveri.

475. *hos fluctus* 'quos ego moveo'. *vocat in certamina fluctus*; Verg. Aen. VI, 172.

476. *intortis — undis*, undae remis intorquentur, cfr. VIII, 287 et ad I, 362.

477. *subito fragmine* i. e. quod subito (remus) fractus est; fragmen actionem frangendi hoc loco indicat ut Sil. I, 372 *scindunt* (rupes) *resonanti fragmine montem*.

478. *in terga ruens*, cfr. VI, 399 *pavor occupat ingens excussis in terga viris*; *in tergum cadere* dixit Luc. IV, 39; *post t. ruere* Prud. cathem. VII, 195. Sed apud Coripp. *post tergum redire* Ioh. III, 229; 240; IV, 189, 922; VI (V), 463; 682; 759; *in terga redire* VIII (VII), 596 significat idem, quod *terga vertere*, ut iam apud Sil. X, 191.

482. *longas medius revocaverat umbras*, ne tam longe procederent, i. e. breviores fecerat, contraxerat.

medius, cum esset in medio cursu; cfr. ad II, 444.

483. Hercule cessante navem tardiorem factam nihil mirum.

Digitized by Google

litora quosque dabat densa trabe Mysia montes
advehitur. petit excelsas Tirynthius ornos;
haeret Hylas lateri passusque moratur iniquos.
Illum ubi Iuno poli summo de vertice puppem
deseruisse videt, tempus rata diva nocendi
Pallada consortem curis cursusque regentem,
nequa inde inceptis fieret mora, fallere prima
molitur caroque dolis avertere fratri.

484. De singulari *densa trabe* cfr. ad III, 228.

486. *haeret lateri*; Verg. Aen. IV, 93; Val. VIII, 55; *passusque moratur iniquos*; cfr. Verg. Aen. II, 724 *sequiturque patrem* (Ascanius) *non passibus aequis*, et de Hyla ipso copiosius narrantem Stat. Theb. V, 441 seqq.; *passus iniqui* sunt passus non aequi i. e. maiores Herculis, ita ut adiectivum proxime accedat ad notionem propriam, sed tamen subest translatio, cum magni Herculis passus Hylae non parvam molestiam pararent; prorsus eadem ratione dictum legimus apud Pers. sat. I, 129 seq. *sese aliquem credens, Italo quod honore supinus Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas* et sic saepius de mensuris vel ponderibus, ut Iuv. sat. XIV, 126 *servorum ventres modio castigat iniquo*, cfr. Iahnii annot. ad Pers. l. l.

487. Narrationem de interventu Iunonis et cervo ad pelliciendum Hylam immisso feliciter invenit Valerius; pariter ea quae in initio libri quarti de Iove in somnis Herculi apparente narravit. Apollonius secutus est fabulam vulgatam de Hyla a Nymphis rapto, dum aquam ex fonte petit ad cenam parandam; in ea re fere omnes auctores praeter Valerium quantum scio consentiunt, nisi quod Zenob. paroem. VI, 21 et Orph. Arg. 643 seqq. paullum discedunt. Vid. Theocr. Idyll. XIII, 36; ibique schol. et ad v. 46; Apollod. I, 9, 19; Strab. XII, 4, 3; schol. Arist. Plut. 1127; schol. Apoll. I, 1207; Anton. Lib. c. 24 ed. Westerm.; Prop. I, 20, 24; Iuv. sat. I, 164; Stat. silv. III, 4, 43; schol. Stat. Theb. V, 453; myth. Vat. I, 49; II, 199; Serv. ad Verg. ecl. VI, 43; Serv. et Prob. ad georg. III, 6; Drac. ed. B. II, 123 seqq. Helbig, Wandgem. Camp. Nro 1260 et 1261. Nonnullos alios locos vide apud Tuerk de Hyla p. 47 seq. et p. 67; de artis operibus p. 74 seqq.

488. Verg. Aen. VII, 511.

489. *consortem curis* i. e. consortem factam curis; cfr. Luc. IV, 178 *studiis consors puerilibus aetas.*

490. Verg. Aen. III, 473.

Digitized by Google

tum sic adloquitur: 'procerum vi pulsus iniqua
germanique manu (repetis, quo crimine) Perses
barbaricas iam movit opes Hyrcanaque signa:
Aeetes contra thalamis et virgine pacta
conciliat reges Scythicos, primusque coacta
advehit Albana Styrus gener agmina porta.
bellum ingens, atque ipse citis Gradivus habenis
fundit equos. viden Arctoo de cardine quanta
tollat se nubes atque aethere pendeat atro?
corripe prima vias; finem cum Phasidis alti
transierit Perses aciemque admoverit urbi,
coepta refer paulumque moras et foedera necte
consiliis atque arte tua. sponde adfore reges
dis genitos, quis arma volens, quis agmina iungat.'
at virgo, quamquam insidias astusque novercae

---

492. De contentione inter Aeetam et Persen orta vide V, 265 seqq.

493. *Perses* est filius Solis et frater Aeetae, vid. Hyg. fab. 27; 224; p. 12 Schm.

494. *Hyrcanaque signa*; utitur et hoc adiectivo Valerius et eo, quod legitur 496, *Scythicos* reges non notione proprie geographica, ut certam aliquam regionem designet, sed omnino ad indicandas gentes in ultimo oriente habitantes. Ceterum sibi poeta non constitit in sociis utriusque ducis designandis, cfr. VI, 34 et quae dicentur ad V, 606.

497. *gener* sc. futurus; sic Verg. Aen. II, 344; Tib. II, 2, 13; *socer* Ter. Andr. 792; *coniunx* Verg. ecl. VIII, 18 et 66; Aen. VII. 189; Tib. III, 2, 4; *maritus* Verg. ecl. VIII, 30; Aen. IV, 35; *vir* Tib. III, 2, 13.

Albanam portam Caspias portas Valerius videtur dicere, cfr. Plin. nat. hist. VI, 40.

499. *fundit equos* praeter consuetudinem dictum pro incitat.

carcere Vat., *cardine* Heinsius.

501. *prima*, pro eo quod est prior, ante me; sic *primus* legitur pro priore etiam IV, 398; 670; VI, 214; Ov. am. I, 7, 32; Verg. Aen. VI, 143.

503. *nefas* Vat., *moras* Burmann.

505. *dis genitos*; cfr. ad I, 1.

506. *aestusque* Vat., *astusque* edit. Bon. et Ald.

Digitized by Google

sentiat et blandos quaerentem fingere vultus,
obsequitur tamen et iussas petit ocius oras.
Ingemuit Iuno tandemque silentia rumpit:
'en labor, en odiis caput insuperabile nostris.
quam Nemeen tot fessa minis, quae proelia Lernae
experiar? Phrygiis ultro concurrere monstris
nempe virum et pulchro reserantem Pergama coepto
vidimus. en ego nunc regum soror! et mihi gentis
ullus honos? iam tum indecores lusaeque dolorum
primitiae, ut tenero superati protinus angues.
debueram nullos iuveni iam quaerere casus
victa nec ad tales forsan descendere pugnas.
verum animis insiste tuis astumque per omnem

Recte Caussin animadvertit, huius Minervae itineris Valerium postea esse oblitum eumque nihil aliud cogitantem, quam ut a Iunone testem importunam amoveret, non sensisse, se inita fabula, quae exitu careret, legentium exspectationem frustra movisse.

quamquam insidias — sentiat; *quamquam* cum coniunctivo coniunctum ut VIII, 205; alia est ratio loci VI, 39.

509. *ingemuit — rumpit*; variatur tempus historicum ut II, 211; 360; 441; IV, 48 seq.; 61; 247 seq.; 487; V, 260; VII, 509; VIII, 325.

511. *belua* Vat., *proelia* edit. Ald.

513. *ponto* Vat., *coepto* Burmann.

514. Ante oculos habuit Valerius locum Verg. Aen. I, 46 seq.

gentis i. e. generis, simili notione, qua gentes patriciae Romanorum dicuntur.

515. *iussaeque* Vat., solet scribi *iustaeque*, sed *iustus* adiectivum non satis apte coniungitur cum eo quod est *indecores*, quare scripsi *lusae*.

516. *et* Vat., *ut* Heinsius.

517. Melius erat, inquit Iuno, omnino non pugnare cum hoc iuvene, cum iam initio victa essem; tales pugnae sunt duodecim labores Herculi auctore Iunone iniuncti: sed dea ira commota rursus sententiam mutat.

519. *actumque* Vat., *astumque* Heinsius; *movebo* Vat., *per omnem* cod. Carr.

Digitized by Google

tende, pudor; mox et Furias Ditemque movebo.'
haec ait et pariter laevi iuga pinea montis
respicit ac pulchro venantes agmine Nymphas,
undarum nemorumque decus. levis omnibus arcus
et manicae virides et stricta myrtus habena,
summo palla genu, tenui vagus innatat unda
crinis ad obscurae decurrens cingula mammae.

---

520. *ditem quomodo verbo* Vat., *ditemque movebo* cod. Carr. *tende pudor:* quamquam pudore affecta persevera.

Videtur Valerius tangere ultimum duodecim laborum, quo Hercules iussus est Cerberum ex inferis afferre; cfr. etiam Verg. Aen. VII, 312.

521. *pariter:* simul, eodem tempore, cfr. ad I, 368.

iuga pinea, cfr. ad II, 631.

523. *undarum nemorumque decus* Nymphae vocantur; cfr. Stat. Theb. IX, 383. Ea, quae sequuntur, pertinent ad habitum venatricum, cfr. Ov. met. II, 413 seqq.; X, 536; Verg. Aen. I, 318 seqq.; Senec. Phaedr. 390 seqq.; Claud. de cons. Stil. 242 seqq.; de rapt. Pros. II, 30; Nemes. cyneg. 88 seqq.; Callim. hymn. in Dian. 8 seqq.

524. *manicas* scripsit poeta pro armillis, ut Sil. IV, 155 *manicaeque rigebant Ex auro.*

stricta myrtus habena est telum ammentatum ex myrti ligno factum; cfr. Verg. georg. II, 447 *myrtus validis hastilibus — bona*; Aen. VII, 817 (gerit Camilla) *pastoralem praefixa cuspide myrtum*; etiam apud Gratt. cyneg. 129 myrtus enumeratur inter arbores *validis hastilibus aptas.* Sine causa igitur necessaria verba tradita a nonnullis mutata sunt.

525. *umbra* Vat., quod substantivum quamquam de crinibus dici posse nonnullis poetarum locis docetur, tamen propter *innatat* verbum non aptum esse recte visum est; *unda* ed. Ald.; *umbra* et *unda* confunduntur etiam I, 95; III, 1. De crine undatim moto cfr. VI, 618 *terrificis undantem crinibus Hebrum*, nec aliter dicuntur *lora undantia* Verg. Aen. V, 146; *undantes habenae* XII, 471; *undans chlamys* Plaut. Epid. 432; *vagi* crines reperiuntur dicti apud Ov. met. II, 673. De crine venatricum soluto cfr. locos ad 523 allatos; at Diana ipsa in artis operibus semper crine in nodum ligato apparet.

526. *obscurae mammae* i. e. tectae; cfr. Hor. sat. II, 7, 55 *caput obscurante lacerna*; Verg. georg. IV, 424; Aen. II, 135; Ov. met. VI, 521; *cingula mammae* leguntur Verg. Aen. I, 492.

Digitized by Google

ipsa citatarum tellus pede plausa sororum
personat et teneris summittit gramina plantis.
e quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
cum fugerent iam tela ferae, processerat ultra
turbatum visura nemus, fontemque petebat
rursus et attonitos referebat ab Hercule vultus.
hanc delapsa polo piceaeque adclinis opacae
Iuno vocat prensaque manu sic blanda profatur:
'quem tibi coniugio tot dedignata dicavi,
Nympha, procos, en Haemonia puer appulit alno,
clarus Hylas, saltusque tuos montesque pererrat.
vidisti roseis haec per loca Bacchus habenis
cum domitas acies et Eoi fercula regni
duceret ac rursus thiasos et sacra moventem;
hunc tibi vel posito venantem pectine Phoebum
crede dari. quae spes Nymphis aufertur Achaeis!
praereptum quanto proles Boebeia questu

527. *tellus pede plausa*; sic Stat. silv. I, 3, 74 *natatu plaudit aquas* (Auson. Mos. 344 *plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu*); Tib. I, 2, 66 *applauso latere;* Verg. georg. III, 186 *plausae sonitus cervicis;* idem est quod dicit Stat. Theb. IV, 11 *plaudit equos* et Ov. met. II, 866 *pectora praebet Virginea plaudenda manu*; Sil. III, 348 *resonas plaudere caetras.* Cfr. Val. IV, 358.

528. Cfr. Lucr. I, 7 seq. *tibi suavis daedala tellus summittit flores.*

529. *Dryopen* finxit ipse Valerius. nomen fortasse sumpsit ex Verg. Aen. X, 551.

531. *petebat* imperfecto utitur poeta, quia nympha revocata a Iunone non ad fontem pervenit.

537. *fontesque* Vat., *montesque* Baehrens.

539. *fercula — duceret* sc. in pompa triumphali, ut Sen. Herc. Oet. 110; Stat. Theb. XII, 524; Prud. in Symm. II, 581 et saepius apud scriptores prosaicos.

540. *moventem*; consilio constructionem mutavit poeta: 'vidisti cum duceret et vidisti moventem', ut indicaret non eodem tempore has res duas factas esse, sed vidit Dryope Bacchum bellatorem et victorem ex India redeuntem, tum postea eum thiasos et sacra moventem; de hac ipsa locutione cfr. ad 232.

543. *proles Boebeia* sunt nymphae Boebeidis paludis Thessaliae

Digitized by Google

audiet et flavi quam tristis nata Lycormae!'
sic ait et celerem frondosa per avia cervum
suscitat ac iuveni sublimem cornibus offert.
ille animos tardusque fugae longumque resistens
sollicitat suadetque pari contendere cursu.
credit Hylas praedaeque ferox ardore propinquae
insequitur; simul Alcides hortatibus urguet
prospiciens: iamque ex oculis aufertur uterque,
cum puerum instantem quadrupes fessaque minantem
tela manu procul ad nitidi spiracula fontis
ducit et intactas levis ipse superfugit undas.
hoc pueri spes lusa modo est nec tendere certat

---

prope oppidum Boeben sitae: cfr. Hom. Il. II, 711 seq.; schol. Pind. Pyth. III, 59.

544. *Lycormas* fluvius Aetoliae etiam ab Ovidio met. II, 245 *flavus* nominatur; eius filiam amore Hylae incensam fuisse fingit Valerius.

547. *tardusque fugae*: Ov. hal. 19; *longum* i. e. aut *diu.* ut IV, 436; Verg. Aen. X, 740; Ov. met. V, 65; Stat. Theb. II, 269; 429; III, 95; silv. I, 3, 13; Sil. III, 572; Mart. I, 31, 7; VIII, 38, 15; IX, 18, 1; Iuv. VI, 65 aut, quod multo probabilius, *procul*, ut Verg. ecl. III, 79 *longum — inquit;* Dirarum v. 94 *intueor campos longum*; etiam Hor. artis p. 459 de loco dicitur *longum clamet.*

548. *suadetque:* incitat, impellit; actio haec translata ab hominibus ad res non raro apud poetas invenitur: Lucr. I, 175; II, 171; Verg. ecl. I, 55; Aen. IX, 340; Ov. her. VII, 55; Luc. I, 162; 173; Sil. I, 11; VII, 668; XII, 200; Stat. silv. I, 5, 54; III, 3, 42; Ach. II, 293; Theb. II, 75; III, 603; IV, 247; V, 93; VI, 744; VIII, 170; Prud. perist. II, 491; Paulin. vitae Mart. II, 326. De voce avium legitur Prud. cathem. I, 19.

552. *minantem tela*, cfr. ad I, 338.

553. *spiraculum* est caverna vel antrum, unde fumus vel nebula vel vapores alii exeunt, hoc autem loco videntur significari ipsi humores spirantes ex aqua ascendentes et ad refrigerandum apti; cfr. *spectaculum*, quod non solum significat locum, ubi spectatur, sed etiam rem, quae spectatur.

555. *pueris perfusa* Vat., *pueri spes lusa* ed. Bon. tertia et Ald., cfr. Verg. Aen. I, 352.

Digitized by Google

amplius; utque artus et concita pectora sudor
diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.
stagna vaga ceu luce micant, ubi Cynthia caelo
prospicit aut medii transit rota candida Phoebi:
tale iubar diffundit aquis; nil umbra comaeque
turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphae.
illa avidas iniecta manus heu sera cientem
auxilia et magni referentem nomen amici
detrahit; adiutae prono nam pondere vires.
Iam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
depulerat magnoque iugi stridore revulsas
terga super fulvi porrexerat horrida monstri

---

556. *utque artus — sudor diluerat;* de plusquamperfecto cfr. Kuehn. gramm. lat. II § 207, 5; *ut* autem coniunctio temporalis accedit ad notionem causalem; similiter *postquam* apud antiquiores saepiusque *quando.*

557. *amnes* significant aquas fontis; sic torrentes dicuntur *amnes* Verg. Aen. IV, 164 atque adeo aquae in vas infusae VII, 464; XII, 417.

avidus sc. bibendi; cfr. ad I, 183 et de re Sedul. pasch. c. I. 210 *pronus ab amne bibit.*

558. *sic* Vat., *ceu* Heinsius.

559. *medii — Phoebi*; vid. ad II, 444.

560. Mirus candor dicitur faciei Hylae fontem illustrantis, cum ad bibendum procumberet.

Imagine admodum venusta et vere poetica describit Valerius nympham ex aqua orientem puerumque, dum labris aquam bibendi causa tangeret, osculatam et amplexam secum in profundum traxisse; id quoque pulcherrime verbis pingitur nympham magis magisque appropinquare: primum apparet umbra quaedam eius aqua etiamtum submersae, tum conspiciuntur comae, denique fit sonitus, cum Dryope caput ex aqua ad osculandum exserit. Contra ipsa detrahendi actio ornatius narratur apud Apollon. I, 1237 seqq.; Baehrens Valerii verba prorsus falso interpretatus est.

561. *surgentis ad oscula nymphae:* eleganti brevitate dictum, cfr. Stat. Ach. I, 485 (cum) *Gradivus in hastam surgeret*; Iuv. VI, 507 *et levis erecta consurgit ad oscula planta.*

566. *depulerat*; fortasse scribendum *impulerat.*

Digitized by Google

litora curva petens; alia nam calle reversum
credit Hylan captaque dapes auxisse ferina.
sed neque aput socios structasque in litore mensas
unanimum videt aeger Hylan nec longius acrem
intendens aciem. varios hinc excitat aestus
nube mali percussus amor, quibus haeserit oris,
quis tales impune moras casusve laborve
attulerit; densam interea descendere noctem
iam maiore metu; tum vero et pallor et amens
cum piceo sudore rigor. ceu pectora nautis
congelat hiberni vultus Iovis agricolisve,
cum coit umbra minax, comitis sic adficit error
Alciden saevaeque monet meminisse novercae.
continuo, volucri ceu pectora tactus asilo

---

570. Apud Apollonium I, 1257 seqq. a Polyphemo, qui clamoribus Hylae rapti auditis frustra puerum quaesiverat, Hercules de iactura edocetur.

571. *unanimus* adiectivum solet dici de pluribus, interdum autem de uno dictum reperitur, qui alteri familiaritate vel animo est coniunctissimus; sic IV, 162; Verg. Aen. IV, 8; Sil. IX, 401; XIII, 651; XVI, 251; Sen. Oedip. 773; Stat. silv. V, 1, 176; Theb. IV, 354; IX, 169; X, 727; Auson. parent. 19, 11.

573. *nube mali*; obnubilatur animus, cum nesciat, quid Hylae factum sit; cfr. ad III, 66.

574. *casusve laborve*: Verg. Aen. IX, 211 *casusve deusve.*

576. De ellipsi verbi *oritur* cfr. ad I, 489.

577. *piceus* est sudor mixtus cum pulvere, ut Verg. Aen. IX, 813; *caeruleum* sudorem Herculis venenata veste lacerati Ovidius dixit met. IX, 173.

578. Iovis vultus nautis ex nubibus quasi minatur; ***congelat*** sc. metu, saepius sic *frigidus* adiectivum legitur, cfr. ad VII, 530.

579. *umbra* hoc loco est atra nubes; varie adhibent hanc vocem poetae ad res tenebricosas vel quae umbram faciant significandas, velut taberna tonsoris tenebricosa Hor. ep. I, 7, 50; barba densa Stat. Theb. IV, 336; quin etiam alae Cupidinis silv. III, 4, 30 umbra nominantur.

581. Sumpsit comparationem Valerius ex Apoll. I, 1265 seqq., sed in brevius contraxit neque vero eo pulchriorem reddidit; pluri-

Digitized by Google

emicuit Calabris taurus per confraga saeptis
obvia quaeque ruens, tali se concitat ardens
in iuga senta fuga: pavet omnis conscia late
silva, pavent montes, luctu succensus acerbo
quid struat Alcides tantaque quid apparet ira.
ille, velut refugi quem contigit improba Mauri
lancea sanguineus vasto leo murmure fertur
frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem,
sic furiis accensa gerens Tirynthius ora
fertur et intento discurrit montibus arcu.
heu miserae quibus ille feris, quibus incidit usquam
immeritis per lustra viris! volat ordine nullo
cuncta petens; nunc ad ripas deiectaque saxis

---

bus contra verbis laborem Herculis in quaerendo Hyla consumptum persequitur.

tactus asilo; vocabulum rusticorum. rarissime a scriptoribus receptum: Verg. georg. III, 147, ex eo sumpsit Valerius; praeterea legitur Plin. nat. hist. XI, 100; XXXII, 10; schol. Stat. Theb. I, 32; Tertull. de pudic. 10; cfr. Sen. epist. 58, 1.

582. *confraga*, dumeta densa, cfr. Luc. VI, 126 *confraga densis Arboribus dumeta tegunt*; vid. praeterea Stat. Theb. IV, 494.

584. *conscia silva* sc. raptus Hylae, cui quasi adfuerat; sic *conscia culpae antra* dicuntur IV, 356.

587. Comparatur Hercules cum leone vulnerato, ut Turnus apud Verg. Aen. XII, 4 seqq.; cfr. etiam Apoll. I, 1243; Theocr. id. XIII, 61 seqq.; Luc. I, 207 seqq.; ceterum hoc loco nimis cumulavit Valerius comparationes.

improbam lanceam Wagner dictam putat propter magnitudinem, rectius Caussin. quod ab hoste fugiente missa sit.

588. *vasto — murmure*, cfr. ad II, 534 et I, 158.

589. Impotens ira leonis describitur.

591. *decurrit* Vat., *discurrit* Baehrens.

592. *ferae* Vat., *feris* Schmitz de Val. Fl. dicendi genere p. 21.

594. *deiectaque saxis flumina* i. e. celerrime defluentia vel decidentia; sic Auson. Mos. 247 leguntur *scopulis deiectae undae*; cursum ipsum deiectum nominat Man. III, 371; passivum scribitur notione reflexiva medii Graeci, ut saepe *mutari moveri verti*; rariora sunt haec exempla Valeriana: IV, 677 *abductis montibus*: postquam montes se

Digitized by Google

flumina, nunc notas nemorum procurrit ad umbras.
rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat
avia; responsant silvae et vaga certat imago.
At sociis immota fides austrisque secundis
certa; mora est nec parvus Hylas, quamquam omnibus aeque
grata rudimenta: Herculeo sub nomine pendent.
illum omnes lacrimis maestisque reposcere votis,
incertique metu nunc longas litore voces
spargere, nunc seris ostendere noctibus ignes.
ipse vel excelsi cum densa silentia montis

---

abduxerunt, recesserunt; V, 285 *quibus addimur armis*: nos addimus; 331 *Medea — rapta toris*: postquam de toro se deiecit, desiluit; VI, 491 *virgo — commissa sorori*: quae se commiserat; VII, 372 *noctique infertur opacae*: se infert; VIII, 54 *rapido per devia passu tollitur*: se tollit, currit, properat. Cfr. inter alia etiam Ov. met. XIV, 762; fast. III, 231; Verg. Aen. II, 707; VII, 640.

595. *notae nemorum umbrae* sunt eae, in quibus antea Hercules ornum remo aptam quaesiverat inveneratque, quasque iterum iterumque Hylam quaerens pererrat.

596. *reclamat* i. e. iterum clamat, ut VIII, 174; Coripp. de laud. Iust. II, 169; de re cfr. Verg. ecl. VI, 43 seq.

599. *moraes* Vat.; *mora est* Eyssenhardt, sed cum perversa interpunctione; *nec* alteri sententiae vocabulo postponitur, cfr. ad I, 261.

600. *Herculeo sub nomine pendent*; haec locutio exemplo carere videtur; sententia aperta 'sie stehen unter dem Banne des Namens des Hercules.'

602. *longas littore voces spargere* i. e. in omnes partes mittere; saepius leguntur *sagittas tela fulmina calamos hastilia sp.*, sed etiam *nomen sp.* Ov. met. VIII, 267; *bellum* Sil. IX, 277; *ululatum spargit in auras* Stat. Theb. VII, 121; vid. praeterea Val. V, 487 *suus ut magnum rex spargit ab Argis Alciden.*

longae voces 'weit hin schallend', sic Ov. met. III, 706 *Penthea sic ictus longis ululatibus aether Movit*; alia notione scripsit Verg. Aen. IV, 463 *longas in fletum ducere voces*; incertior est locus Ov. met. XIV, 405 *longis Hecaten ululatibus orat*; cfr. praeterea Horatii locum artis poeticae ad V, 547 allatum.

604. *densa* silentia montis nominantur, quia mons densis arboribus consitus poetae animo obversabatur; cum autem et ex v. 588

Digitized by Google

strata vel oblatis ductor videt aequora ventis
stat lacrimans magnoque viri cunctatur amore.
illius incessus habilemque ad terga pharetram,
illum inter proceres maestaeque silentia mensae
quaerit inops quondam ingenti comprensa trahentem
vina manu et durae referentem monstra novercae.
Nec minus interea crudelis iapyga Iuno
adsidue movet et primis cum solibus offert.
iamque morae impatiens cunctantes increpat ultro
Tiphys et oblato monet otia rumpere cursu.
ergo animum flexus dictis instantis Iason
concedit sociosque simul sic fatur ad omnes:
'o utinam, Scythicis struerem cum funera terris,

---

et ex 611 appareat ventum secundum flare, *silentia* non possunt dicta esse de foliis vento non motis, sed ne minimum quidem sonitum audiunt Herculis silvas perquirentis, ita ut ne levissimum quidem vestigium relictum sit ad eum quaerendum; ventus autem, qui flat, est lenissimus (cfr. *strata aequora* 605), itaque ad navigandum aptissima tempestas; nihilo tamen setius Iason cunctatur.

607. *habilemque ad terga pharetram*; ingenti tergo respondet ingens pharetra; paullum alia notione dixit Verg. Aen. XII, 432 *postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est.*

609. *trahentem vina* i. e. einschlürfen; cfr. Luc. IX, 934 *pallentia volnera lambit Ore venena trahens;* Sen. Agam. 878 *merumque in auro veteris Assaraci trahunt*; similiter *auras tr.* Oed. 599; Herc. Oet. 893; Ov. met. II, 229; *oblivia* Luc. IX, 356.

comprensa — vina manu; satis audacter vina dicuntur pro poculo vini pleno, cfr. Stat. Theb. X, 279 *coetibus hos mediis vina inter et arma iacentes;* sed in ea re audacia Valerio non feliciter cessit, quod cum dicit *vina trahentem*, de ipso potu cogitandum est, cum autem haec vina *manu comprensa* dicit, de vase vini pleno. Ebrius describitur Hercules in Eurip. Alcest. 747 seqq.; in artis operibus saepius Hercules conspicitur vel potans vel iam ebrius, cfr. Prell. graec. mythol. II^3, 268.

613. *ausus* Vat., *ultro* Koch coniect. p. 20, quod quamquam dubitanter recepi imprimis motus verbis Vergilianis Aen. X, 830; *orsis* i. e. verbis Baehrens, sed languet haec notio cum *increpat* coniuncta, cum ipsa verba non afferantur.

Digitized by Google

vox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes,
agmine de tanto socium qui maximus armis
adforet, hunc Iovis imperiis fatoque teneri
ante procellosum scopulis errantibus aequor.
necdum fama viri nec certior extitit auctor.
verum agite et, dubiis variant quia pectora curis,
consulite et, motis seu vos via flatibus urguet,
pergite et inceptos mecum revocate labores,
seu pluris tolerare moras rursusque propinquis
quaesivisse iugis, pretium haut leve temporis acti.'
dixerat; et studiis iamdudum freta iuventus
orat inire vias; unum tanto afore coetu,
nec minus in sese generis dextrasque potentes

---

618. *vox Parnasia* est vox Apollinis Delphici: optat Iason, ut oraculum de Hercule relicto datum falsum sit; tale oraculum alias non commemorat poeta, nisi quod Mopsus Apolline plenus I, 218 Hylae raptum obscuris verbis tangit, sed cfr. ad I, 544. *o utinam — tulerit*; exspectatur *tulisset;* at cfr. 654 *ceu — maneant*; Plaut. Men. 295 *perieris* (i. e. utinam periisses); Ter. Andr. 463 *utinam aut hic surdus aut haec muta facta sit.*

619. *maximus armis:* Verg. Aen. II, 339.

622. Iason dicit oraculo se doctum esse, fore ut ab Hercule desereretur, sed neque fama neque auctore certiore constare, iam eo ipso tempore hoc accidisse.

623. *agite et — consulite*; particula addita praeter consuetudinem, sed cfr. Verg. Aen. V, 58 *agite et laetum cuncti celebremus honorem. variunt qui* Vat., *variant quia* Heinsius; *dubiis variant pectora curis* figura enallages dictum est: variant curae in pectore; cfr. ad I, 499.

626. *pluris* sc. est.

tolerare — quaesivisse; tempora variavit Valerius, ut mox 681 seq. *dare — lustrasse;* VII, 209 *dilexisse — reddere*; de infin. perfecti cfr. ad I, 361.

627. *pretium haud leve temporis acti* esse dicit Iason, quia aliquam tamen habet spem, fore ut Herculem amplius quaerendo tandem inveniant.

628. *studiis — freta iuventus* i. e. freta se suis studiis suoque ardore expeditionem ad felicem exitum perducturam.

630. *dextrasque potentes*: Verg. Aen. VII, 234.

Digitized by Google

esse ferunt. tali mentem pars maxima flatu
erigit et vana gliscunt praecordia lingua:
saltibus ut mediis tum demum laeta reducit
cerva gregem, tum gestit aper reboatque superbis
comminus ursa lupis, cum sese Martia tigris
abstulit aut curvo tacitus leo condidit antro.
at pius ingenti Telamon iam fluctuat ira
cum fremitu, saevisque furens periuria dictis
insequitur magnoque implorat numina questu.
idem orans prensatque viros demissaque supplex
haeret ad ora ducis, nil se super Hercule fari,
sed socio quocumque, gemens quamquam aspera fama
iam loca, iamque feras per barbara litora gentes,
non alium contra Alciden, non pectora tanta
posse dari. rursum instimulat ducitque faventes
magnanimus Calydone satus, pro moribus ille

631. *flatu* i. e. *superbia*; sic saepius apud poetas legitur, sed plurali numero, ut 699; singularis sententia non prorsus certa Sil. X, 248.

632. *gliscunt praecordia*; cfr. II, 278; praecordia autem indicant superbiam, ut Ov. met. XI, 149.

634. *reboat* i. e. contra boat, boando respondet; sic *regemere* Coripp. Ioh. IV, 1120 *bipennes Congeminant validos silvis regementibus ictus*, et ipsum reboare Paul. Nol. XV, 36 *asinam reboare loquendo — fecisti*; Sid. VIII, 10 *ad nostrum reboat concava Roma sophos.*

637. *pius* Telamon nominatur insignis fide erga Herculem; *ingenti iam fluctuat ira:* Verg. Aen. IV, 532 *magnoque irarum fluctuat aestu*; XII, 527 *fluctuat ira intus.*

638. *ferens iurgia* Vat., *furens periuria* Koestlin, Phil. 39, 425.

641. *haeret ad ora ducis* i. e. non discedit a vultu Iasonis; similiter paneg. in Pis. 188 *haeret in haec populus spectacula*, ubi Wernsdorf *ad haec* scripsit; cfr. Ter. Eun. 1055 *ut haeream — apud Thaidem*; Plaut. Epid. 191 *haerere apud nescio quam fidicinam.*

642. *quamquam* postponitur ut *quippe* I, 452; 699; *quoniam* V, 676; VIII, 320; *quando* VII, 17.

646. *potioribus* Vat., *pro moribus* Baehrens; Ellis journal of philol. IX, 56 fortasse recte traditam scripturam interpretatur 'me-

Digitized by Google

deteriora fovens semperque inversa tueri
durus et haud ullis umquam superabilis aequis
rectorumve memor. 'non Herculis' inquit 'adempti,
sed tuus in seros haec nostra silentia questus
traxit honor, dum iura dares, dum tempora fandi.
septimus hic celsis descendit montibus auster
iamque ratem Scythicis forsan statuisset in oris;
nos patriae immemores, maneant ceu nulla revectos
gaudia, sed duro saevae sub rege Mycenae,
ad medium cunctamur iter. si finibus ullis
has tolerare moras et inania tempora possem,

---

lioribus rationibus causam deteriorem defendens' coll. Soph. Oed. Col. 765 seq.

647. *inversa tueri durus* i. e. pertinax in eis defendendis, quae perversa essent neque defendi deberent; *inversa* dicuntur ea, quae ex bona condicione in deteriorem mutata sunt, cfr. Hor. c. III, 5, 7 *pro curia inversique mores!* Quintil. instit. or. III, 9, 9 *nonne nos haec inversa consuetudo deceperit?* Apparet *durum* hoc loco pertinacem significare, sed exemplo videtur carere; proxime accedunt loci, qualis est Verg. georg. II, 170 *Scipiadas duros bello* (Italia extulit) 'ausdauernd'. De pervicacia Meleagri cfr. quae exponit Prell. graec. mythol. II^3, 304 seq.

650. Meleager socios silentium tenuisse affirmat reverentia Iasonis ductos ideoque sero postquam ius loquendi dedisset (v. 624), se de mora ingrata queri. Falso putant Burmann et Wagner, his verbis vituperari Iasonem, quod omnia ex arbitrio et regia superbia agat, sed vituperatur, quod tamdiu cunctatus sit.

652. Iam per sex dies moratum esse Iasonem his verbis ostenditur.

655. *duro — sub rege* sc. Eurystheo, qui nobis redeuntibus novos labores imponeret.

656. *ad medium iter* i. e. in medio fere itinere; similiter dicitur velut Nep. vit. Att. 22, 4 *sepultus est iuxta viam Appiam ad quintum lapidem* e. q. s.

Si in ulla regione, inquit Meleager, tales moras tolerare possem, certe in patria possem ibique quietus mansissem.

657. *inania tempora* i. e. inertia, in quibus nihil agatur, ut Verg. Aen. IV, 433; paullo alia est notio Ov. met. II, 575, ubi dicuntur tempora inaniter consumpta.

Digitized by Google

regna hodie et dulcem sceptris Calydona tenerem
laetus opum pacisque meae, tutusque manerem
quis genitor materque locis. quid deside terra
haeremus? vacuos cur lassant aequora visus?
tu comitem Alciden ad Phasidis amplius arva
adfore, tu socias ultra tibi rere pharetras?
non ea pax odiis oblitave numine fesso
Iuno sui. nova Tartareo fors semine monstra
atque iterum Inachiis iam nuntius urguet ab Argis.
non datur haec magni proles Iovis; at tibi Pollux
stirpe pares Castorque manent, at cetera divum
progenies, nec parva mihi fiducia gentis.
en egomet quocumque vocas sequar, agmina ferro
rupta metam, tibi dicta manus, tibi quidquid in ipso
sanguine erit, iamque hinc operum quae maxima posco.
scilicet in solis profugi stetit Herculis armis
nostra salus. nempe ora aeque mortalia cuncti
ecce gerunt; ibunt aequo nempe ordine remi.
ille vel insano iamdudum turbidus aestu,
vel parta iam laude tumens consortia famae

660. *deside terra*; cfr. ad I, 109.

661. *vacuos cur lassant aequora visus;* de sententia, qua indicatur prospectus in vastum mare, quo tandem oculi fatigantur, cfr. I, 707 *visu lassatur inani omnis eques.*

664. *fax* Vat., *pax* Heinsius; etiam III, 96 in Vat. confunduntur haec vocabula, et IV, 20 Vat. habet *fas*, cum vera scriptura *pax* sit.

oblitave sui: Verg. Aen. III, 629.

666. *iterum* hoc loco idem quod *rursus*, ut IV, 625; Lucr. IV, 283; Prop. II, 18, 12; Stat. Theb. I, 307; Man. V, 610; Coripp. Ioh. VI, 672.

669. Cfr. Luc. VIII, 362.

670. *et ego et* Vat.; *en egomet* Heinsius; *voces qua tegmina* Vat.; *vocas, sequar; agmina* Iacobs: *egomet* fere eadem notione dictum, atque simplex *ego*, de qua re vide ad V, 200.

671. *plura* Vat.; *rupta* Baehr.

675. *ibant* Vat., *ibunt* ed. Ald.; *aequo* sc. atque antea.

Digitized by Google

despicit ac nostris ferri comes abnuit actis.
vos, quibus et virtus et spes in limine primo,
tendite, dum rerum patiens calor et rude membris
robur inest; nec enim solis dare funera Colchis
sit satis et tota pelagus lustrasse iuventa.
spes mihi, quae tali potuit longissima casu
esse, fuit; quiscumque virum perquirere silvis
egit amor; loca vociferans non ulla reliqui.
nunc quoque, dum vario nutat sententia motu,
cernere devexis redeuntem montibus opto.
sat lacrimis comitique datum, quem sortibus aevi
crede vel in mediae raptum tibi sanguine pugnae.'
Talibus Oenides urguet: simul incita dictis
heroum manus. ante omnes Argoa iubebat
vincla rapi Calais. furias miratur ovantum

678. *abnuit*: recusat; cfr. Liv. XXII, 13, 11 *nec abnuebant — melioribus parere.*

679. *in limine primo*; cfr. ad I, 823; non sine causa iuniores potissimum adhortatur Meleager.

680. *rude membris robur inest*, nondum laboribus vexatum, integrum; sic Ov. am. III, 6, 16 nominat *rude solum* nondum aratum; Priap. 44, 4 *hastam*; Iuvenc. II, 192 seq. *liquido si quis de fonte renatus Et flatu sancto rudibus consistere membris Coeperit* i. e. in integrum restitutis.

681. Ne simus, inquit Meleager, contenti, ut solis Colchis bellum inferamus totumque iuventutis tempus in hac expeditione transmarina consumamus.

683. Cfr. Verg. Aen. XI, 312.

684. *perquirere — egit amor*; raro *agere* c. infin. coniungitur. saepius composita, velut *adigere* Sil. II, 497 al.; *subigere* Sil. I, 635 al.

688. Cfr. Verg. Aen. II, 291.

689. *in mediae — sanguine pugnae* i. e. media in caede; similiter VI, 23 *abstineant alienae sanguine pugnae.*

692. *vincla rapi* i. e. celerrime solvi; huius loci meminit Val. IV, 31; cfr. Ov. met. XI, 489 *hic rapit antennas* i. e. celerrime demittit; Sil. IX, 218 *fossarum rapuere moras* i. e. celerrime amoverunt; Coripp. Ioh. IV, 814 *r. castra* i. e. celeriter expugnare; de Calaide cfr. Apoll. I, 1300 seqq.

Digitized by Google

Aeacides, multusque viri cunctantia corda
fert dolor, an sese comitem tam tristibus actis
abneget et celsi maerens petat ardua montis.
non tamen et gemitus et inanes desinit iras
fundere. 'quis terris pro Iuppiter' inquit 'Achaeis
iste dies! saevi capient quae gaudia Colchi!
non hi tum flatus, non ista superbia dictis,
litore cum patrio, iam vela petentibus austris,
cunctus ad Alciden versus favor: ipse iuvaret,
ipse ducis curas meritosque subiret honores.
iamne animis, iam gente pares? aeque inclita fulgit
dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus?
nunc Porthaonides, nunc dux mihi Thracia proles?
aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?
hanc ego magnanimi spolium Didymaonis hastam,

---

693. *Aeacides* hoc loco sine dubio putandus est Telamon coll v. 637 et Apoll. I, 1289. Dolor impellit virum, ut deliberet, num navem relinquere debeat; de usu particulae *an* vid. Kuehn. gramm. lat. II, § 235,7.

695. Cfr. Verg. Aen. VIII, 221.

700. Poetica imagine venti vela petere dicuntur, cum nondum navigatur; hoc, ut multa, non intellexit Baehrens.

702. De hac re in initio carminis Valerius nihil dixit; Apollonius contra I, 331 seqq. narrat Herculem ab Argonautis ducem creatum esse, sed recusasse quominus hoc munus susciperet atque negasse, se quemqam nisi Iasonem ducem passurum; paullo aliter Orph. Argon. 280 seqq. rem factam describit, cum dicit ipsum Iasonem, quia se non satis dignum iudicaret, sociis suasisse ut Herculem ducem crearent, sed Hercule auctore Iasonem creatum esse. Herculem re vera ducem fuisse tradiderunt Nicander heter. II frg. 48; Diod. IV, 41; Dion. Mytil. apud Apollod. I, 9, 29.

703. *adque* Vat., *aeque* Vossius; *vulvi* Vat., *fulgit* Madvig adv. crit. II, 141.

pares sc. estis, vid. ad II, 51.

705. *Porthaonides* Meleager filius Oenei filii Porthaonis; non recte nunc editur *Parthaonides*, cfr. Bergkii verba apud Brix. Plaut. Men. 745.

707. Hunc heroem Didymaonem finxit Valerius, nomen sumpsit

quae neque iam frondes virides nec proferet umbras,
ut semel est evulsa iugis ac matre perempta
fida ministeria et duras obit horrida pugnas,
testor et hoc omni, ductor, tibi numine firmo:
saepe metu, saepe in tenui discrimine rerum
Herculeas iam serus opes spretique vocabis
arma viri, nec nos tumida haec tum dicta iuvabunt.'
Talibus Aeacides socios terroribus urguens
inlacrimat multaque comas deformat harena.
fata trahunt, raptusque virum certamine ductor
ibat et optenta mulcebat lumina palla.
hic vero ingenti repetuntur pectora luctu,

---

ab Verg. Aen. V, 359, ubi artifex commemoratur; hoc autem loco est vir fortis, quo superato Telamon hastam spolium cepit.

In testanda hasta imitatus est Valerius Hom. Il. I, 234 seqq. et Verg. Aen. XII, 206 seqq.; cfr. etiam Apoll. I, 466.

709. *mater* de arbore, a qua ramus avulsus est, dicitur apud Verg. georg. II, 23; 55; Aen. XII, 209; Pseudo-Ov. nucis 13; Man. V, 241; Coripp. de laud. Iust. II, 78; 81; saepiusque etiam apud Columellam et Plinium mai.

711. *omni — numine* i. e. per omnes deos; paullo aliter scripserat Vergilius Aen. XII, 188 *di numine firment.*

712. *tenui discrimine* indicatur summum periculum, in quo parvum momentum mutationem rerum gravissimam afferre possit; cfr. Ov. met. VII, 426 *attonitus tamen est ingens discrimine parvo Committi potuisse nefas.*

713. *opes* scribit Valerius pro singulari, auxilium enim ab Hercule ferendum indicatur, sed eadem notione etiam nonnullis aliis locis pluralis scriptus legitur: IV, 125; Liv. trag. fr. 20 R.; Hor. c. III, 3, 28; ep. I, 10, 36, ubi *opibus* auxilium significari argutius quam verius negatur.

716. Cfr. Achillem apud Homerum Il. XVIII, 23; praeterea Verg. Aen. X, 844; Catull. 64, 224; Stat. Theb. III, 50.

718. *obtenta — lumina palla:* Stat. Theb. XII, 469.

719. *repetuntur pectora luctu*, ut antea primum capta erant, cum Herculem requirerent; cfr. Sil. VIII, 104 *Aeneas dulci repetitus amore.*

Digitized by Google

ut socii sedere locis nullaeque leonis
exuviae tantique vacant fastigia transtri.
flet pius Aeacides, maerent Poeantia corda,
ingemit et dulci frater cum Castore Pollux.
omnis adhuc vocat Alciden fugiente carina,
omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.
Dat procul interea toto pater aequore signum
Phorcys et immanes intorto murice phocas

720. *ut socii sedere locis: sedere* perfectum est sidendi verbi, non sedendi, sed cfr. tamen quae ad III, 738 et IV, 61 dicta sint.

721. *vestigia* Vat., *fastigia* Sandstroem emend. in Prop. Lucan. Val. Flacc. p. 33; quae sint *vestigia* transtri vacantia aeque ac Sandstroem ignoro, *fastigia* summa pars transtri intellegenda.

Consentit Valerius in ea re cum Apollonio, quod Hercules in Mysia relinquitur, sed apud poetam Graecum I, 1273 seqq. Argonautae tum demum Herculem relictum esse sentiunt, cum navis iam esset in cursu, id quod probabilitate caret; contra Telamonem autem statim oriuntur filii Boreae, postremo placantur animi interventu Glauci eiusque vaticinationibus; cum Hercule autem et Hyla relinquitur etiam Polyphemus; cfr. Hyg. fab. XIV *quem* (Hylam) *dum Hercules et Polyphemus requirunt, vento rapta navi deserti sunt*; idem tradit Apollod. I, 9, 19, 2. Contra alii aliter tradiderunt, aut toti expeditioni Herculem aut omnino non interfuisse aut alio loco relictum esse, cfr. quae exposuerunt Apoll. I, 9, 19, 3; schol. Apollon. I, 1168; 1290; apud Theocr. XVIII, 73 seqq. Hercules ab Argonautis tanquam desertor vituperatur atque pedibus ad Colchos pervenit; Diod. IV, 49 expeditione in Colchos iam facta Argonautas redeuntes cum Hercule Troiam expugnasse narrat; Anton. Liber. c. 26 Polyphemo solo relicto Herculem cum ceteris ancoram ab Mysia solvisse.

726. *toto aequore* fere idem est atque p e r totum aequor, ut VIII, 103 *nec me tua sibila toto exagitent infesta mari.*

727. *Phorcys* est dominus belluarum marinarum: Verg. Aen. V, 240; 824; *chorus Phorci* invenitur etiam Plin. nat. hist. XXXVI, 26; vid. praeterea Prelleri graec. mythol. I⁴, 560. *pater* nominatur, ut interdum semidei vel heroes, sic *Hercules* III, 565; Stat. silv. III, 1, 125; Prop. IV, 9, 71; *Silvanus* Hor. epod. II, 22; *Tiberis* Stat. silv. I, 6, 100; (*Tiberinus pater* Verg. georg. IV, 369); *Portunus*

Digitized by Google

contrahit antra petens; simul et Massylus et una
Lyctius et Calabris redit armentarius arvis.
ilicet extremi nox litore Solis Hiberas
condidit alta domos et sidera sustulit axis.
flamina conticuere, tacet cum flatibus aequor.
Amphitryoniades nec quae nova lustra requirat,
nec quo temptet iter, comitis nec fata parenti
quae referat, videt, aut socios qua mente revisat.
urit amor solusque negat decedere silvis.

Verg. Aen. V, 241; *Eridanus* Sil. IV, 691; *Inachus* Verg. Aen. VII, 792; Val. V, 209; *Rhenus* Mart. X, 7, 1, *Oceanus* Sil. V, 395; *Albula* VIII, 454; *Lar familiaris* Plaut. Merc. 834; *Somnus* Val. VIII, 70.

729. *Lyctius* pastor Lycto ex urbe Cretensi ortus.

730. Nox in littore Oceani domos Hiberas, quas Sol extremus visit, tenebris condit.

731. *axis* est caelum vertens, in quo fixa cogitantur sidera; vid. Verg. Aen. IV, 482 (Atlas) *axem humero torquet stellis ardentibus aptum*; idem versus legitur VI, 798; cfr. XI, 202; Ov. met. II, 70 seq.; 204; Avien. phaen. 78.

732. *flumina* Vat., *flamina* cod. Carr.; *iacet* Vat., *tacet* Burmann.

734. *parenti* i. e. matri, nam patrem occiderat Hercules, cfr. Apollon. I, 1212 seqq., Prelleri graec. mythol. II³, 247; Dracont. Hyl. 159 *quid matri narrabo tuae, quae te mihi parvum Deposuit . . . .?* et 161 seqq. *dicam tamen ipse parenti 'Exulta genetrix, nimium laetare, beata Ante parens hominis pulchri, modo numinis auctor'.*

736. *solisque* Vat., *solusque* Reuss observ. Valerian. p. 33; *negat* i. e. recusat, non vult; cfr. V, 29; VII, 306; Sil. IX, 534 *exstingui primordia tanta negabam*; Ov. ex Pont. III, 6, 20 *Nec — Leucothee nanti ferre negavit opem*; Stat. silv. I, 5, 63 *hic iterum sudare neget*; II, 2, 47 *exactamque negat dimittere lucem*; III, 1, 123 *exscindere — saxa negantia ferro*; Theb. IV, 127 *ire tamen peritura in castra negavit*; V, 233 (fera) *verbere crebro in mores negat ire suos*; V, 412 *clavumque audire negantem Lassat agens Tiphys*; Sil. XI, 470 (ratis) *pontumque intrare negaret*; XIV, 19 *Nereus — dividuos* (populos) *coniungi pernegat*; XVI, 548 *cineresque simul iacuisse negarunt*. Horum locorum talis est sententia, ut voluntas negantium, non sermo indicetur aut indicari possit.

737. *gemitu* Vat., *gemitum* Heinsius; gemere leones dicit etiam

Digitized by Google

non aliter gemitum quondam lea prolis ademptae
aegra dedit; sedet inde viis inclusaque longo
pervigilant castella metu; dolor attrahit orbes
interea et misero manat iuba sordida luctu.

Lucr. III, 297, *gemitus* autem *prolis* scribitur ut Verg. Aen. I, 462 *lacrimae rerum*; II, 784 *lacrimas dilectae pelle Creusae*; 413 *ereptae virginis ira*; X, 863 *Lausi dolores*; Ter. Andr. 261 *misericordia huius*.

738. *terga* Vat., *aegra* Heinsius; *gemitum — dedit* i. e. gemuit: de hac dicendi ratione cfr. ad IV, 69; perfectum autem *dedit* scriptum est in comparatione eadem notione qua Graeci aoristo utuntur, vid. III, 85; 465; 582; IV, 49; V, 343; VI, 411; 666; 756; VII, 376; cfr. Kuehn. gramm. lat. II § 33, 9 et interpretes ad Verg. georg. I, 49.

sedet inde viis: leaena postquam latebras, in quibus prolem edidit, vacuas prolemque raptam vidit, primo mugitum tollit, tum obsidet vias, ut hominibus aggrediendis rapinam ulciscatur.

739. *dolor attrahit orbes* etsi inusitate dictum est, tamen facile intellegitur, quid Valerius dicere voluerit: dolor oculos contrahit; cfr. Hom. Il. XVII, 136 (λέων) πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων; *attractiorem* autem frontem pro *contractiore* scripsit etiam Senec. de benefic. IV, 31; cfr. VI, 7 *vultus tuus—colligit rugas et attrahit frontem*. Oculi autem saepius *orbes* dicuntur, ut IV, 235; VI, 246; Cul. 222; Ov. met. II, 752; Luc. II, 184; *oculorum orbes* Verg. Aen. XII, 670; *oculi orbis* Luc. VI, 216. At quid Valerius ultimo versu indicare voluerit, non perspicio neque tam offendo in iuba leaenae commemorata quam in eo, quod iuba misero luctu manasse dicitur. Viderint hoc alii; nam de lacrimis cogitare, ut Wagner fecit, ineptum est.

Digitized by Google

Typis expresserunt Max Schmersow (Zahn & Baendel),
Kirchhainii (Lusatia).

Digitized by Google

Berliner Studien

für

classische Philologie u. Archaeologie

herausgegeben von

Prof. Dr. Oscar Seyffert.

Neue Folge.

Erster Band.

Berlin 1897.
Verlag von S. Calvary & Co.

Digitized by Google

Inhalt.

C. Valeri Flacci Setini Balbi Argonauticon libri octo enarravit P. Langen.

Digitized by Google

Berliner Studien
für
classische Philologie u. Archaeologie
herausgegeben von
Prof. Dr. Oscar Seyffert.

Neue Folge.

Erster Band.
Drittes und viertes Heft.

C. Valeri Flacci Setini Balbi Argonavticon

Libri octo

enarravit

P. Langen.

Pars Posterior continens Libros IV—VIII.

Berolini 1897.
Apud S. Calvary & Co.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI SETINI BALBI ARGONAVTICON

LIBRI OCTO

ENARRAVIT

P. LANGEN.

PARS POSTERIOR CONTINENS LIBROS IV—VIII.

BEROLINI
APVD S. CALVARY & CO.
MDCCCXCVII.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER QVARTUS.

Atque ea non oculis divum pater amplius aequis
sustinuit, natique pios miseratus amores
Iunonem ardenti trepidam gravis increpat ira:
'ut nova nunc tacito se pectore gaudia tollunt!
haeret inops solisque furit Tirynthius oris.
at comite immemores Minyae facilesque relicto
alta tenent. sic Iuno ducem fovet anxia curis
Aesonium, sic arma viro sociosque ministrat.
iam quibus incertam bellis Scythicaeque paventem
gentis opes, quanta trepidam formidine cernam!
tum precibus, tum me lacrimis et supplice dextra
attemptare veto; rerum mihi firma potestas.

1. Verg. Aen. IV, 372; IX, 209.

4. *se* om. Vat., add. Heinsius; de *tacito pectore* cfr. Verg. Aen. I, 502 *Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.*

6. *faciles* i. e. facili negotio parati sc. ad Herculem oblivi-scendum, deserendum; de hac adiectivi *facilis* notione cfr. ad I, 151.

8. *viros* Vat., *viro* Heinsius.

9. *incertam* i. e. nescientem quo se vertat, quid faciat, inopem consilii, ut III, 603; V, 303; Luc. VIII, 166; falso explicant Burmann et Wagner incertam esse Iunonem de eventu bellorum.

12. *rerum mihi firma potestas*; imitatus videtur Valerius Verg.

Digitized by Google

i, Furias Veneremque move; dabit impia poenas
virgo nec Aeetae gemitus patiemur inultos.'
dixit et arcano redolentem nectare rorem,
quem penes alta quies liquidique potentia somni,
detulit inque vagi libavit tempora nati.
ille graves oculos et Hylan resonantia semper
ora ferens, ut nulla deum superare potestas,
procumbit. tandem fessis pax reddita silvis,
fluminaque et vacuis auditae montibus aurae.
Ecce puer summa se tollere visus ab unda

Aen. X, 18, ubi Iuppiter ipse a Venere appellatur *rerum aeterna potestas*, at Valerio res non feliciter cessit, cum hoc loco non agatur de potestate Iovis, quam Iuno avertere vel elevare non possit, sed de certa voluntate, de qua eum precibus demovere nequeat. An scripsit poeta *firma voluntas?*

13. Alludit Iuppiter ad ea quae futura sunt: Veneris auxilium Iunonem implorasse poeta narrat VI, 449 seqq. et VII, 156 seqq.; de Furiis cfr. ad VII, 170.

15. *redolentem nectare rorem;* redolendi verbum rarius cum ablativo quam cum accusativo coniungitur, sed cfr. Verg. georg. IV, 169 *redolentque thymo fragrantia mella*; Ov. met. XV, 80 *mella thymi redolentia flore.*

Rorem Iovis somni efficientem invenisse videtur Valerius.

16. *liquidus somnus* potest esse tranquillus, ut *mens* Cat. 63, 46; *animus* Plaut. Epid. 643; Pseud. 232; de homine ipso Most. 751; Mil. 665; fortasse autem ideo somnus liquidus nominatur, quia laticis instar corpus perfundit, cfr. Verg. Aen. I, 691 *Venus Ascanio placidam — quietem irrigat*; Lucr. IV, 905 *somnus per membra quietem irriget*; Fur. apud Macr. sat. VI, 1 *mitemque rigat per pectora somnum*; Hom. Od. V, 492 ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦε.

18. Oculi oraque Herculis somno gravantur; *graves* igitur praedicative, quod nunc dicitur, additum est, falso Wagner tristes oculos explicat neque minus falso cum ceteris interpretibus deum Somnum intellegit, cuius hoc quidem loco nullum apparet vestigium, sed est Iuppiter, qui somnum propria notione dictum immisit.

20. *fas* Vat., *pax* ed. Bon. et Ald.

21. Tum rursus lene murmur aquae susurrique frondium audiri poterant, cum regio illa vacaret clamore Herculeo.

Digitized by Google

frondibus in croceis et iniquae munere Nymphae,
stansque super carum talis caput edere voces:
'quid, pater, in vanos absumis tempora questus?
hoc nemus heu fatis mihi iam domus, improba quo me
Nympha rapit saevae monitu Iunonis, in amnes
nunc Iovis accessus et iam mihi numina caeli
conciliat iungitque toros et fontis honores.
o dolor! o dulces quas gessimus ante pharetrae!
iam socii laetis rapuerunt vincula ventis,
hortator postquam furiis et voce nefanda
impulit Oenides. verum cum gente domoque
ista luet saevaeque aderunt tua numina matri.
surge age et in duris haut umquam defice; caelo
mox aderis teque astra ferent; tu semper amoris
sis memor et cari comitis ne abscedat imago.'
talibus orantem dictis visuque fruentem
ille ultro petit et vacuis amplexibus instat
languentisque movet frustra conamina dextrae:

---

23. *iniquae munere Nymphae* i. e. veste caerulea, qua indutus describitur Hylas a Mopso I, 220.

26. *haec* Vat., *heu* Dorville ad Charit. V, 1.

27. *amnes* non videtur mutandum coll. I, 692; servavit Caussin.

28. *lumina* Vat., *numina* Baehrens,

29. *toros* om. Vat., add. Burmann.

fontis honores i. e. quales habent dei fontium.

34. Tangit Valerius notam de Meleagro fabulam, quam fusius narravit Ovid. met. VIII, 260 seqq.

aderunt tua numina matri; data hac occasione ipse poeta finxit etiam Herculis fuisse partes in ulciscendo Meleagro.

35. *surge age*; Verg. Aen. III, 169.

37. *et — ne* pro eo quod est *neu*; vid. ad II, 5.

38. Verg. Aen. IV, 219.

39. *vacuis amplexibus* i. e. inanibus, sic *vacua nomina* Tac. hist. I, 30.

40. *movet frustra conamina dextrae* audaci enallage dictum pro eo quod est frustra conatur dextram movere; cfr. III, 281 *tristi sileant ceu cetera planctu* i. e. ceu ceteri tacite secum lugeant.

Digitized by Google

corpus hebet somno refugaque eluditur umbra.
tum lacrimis, tum voce sequi, tum rumpere questus,
cum sopor et vano spes maesta resolvitur actu.
fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
cum rapit halcyones miserae fetumque laremque,
it super aegra parens queriturque tumentibus undis
certa sequi, quocumque ferant, audetque pavetque,
icta fatiscit aquis donec domus haustaque fluctu est;
illa dolens vocem dedit et se sustulit alis:

---

42. *rumpere quaestus*; vid. ad I, 508.

43. Vano actu ex somno Hercules excitatur et cum somno etiam spes Hylae amplectendi evanescit.

44. Hanc Herculis cum halcyone comparationem imitatus est Stat. Theb. IX, 360 seqq., sed vividum descriptionis Valerianae colorem non assecutus; cfr. etiam Sen. Agam. 680 seqq.; sane neglexit poeta traditam de diebus halcyoniis narrationem, cfr. Hyg. fab. 65; Serv. ad Verg. georg. I, 399; myth. Vat. I, 9; al.; Prell. graec. mythol. II³, 249.

46. *it super* i. e. supervolat sc. fluctus nidumque abreptum; raro etiam apud alios poetas eundi verbum pro volandi positum legimus: Ov. artis II, 37 *restat iter caelo*, inquit Daedalus, *caelo tentabimus ire*, et de eadem re v. 60 *aetherias — per auras ibimus*; de sagitta sic dicitur met. VIII, 695; X, 588; de Mercurio per aera volante Sil. XVI, 501; *super* autem praepositio a verbo divellitur, ut vice adverbii fungatur, cfr. Nep. VII, 8, 1 *Atheniensibus exhaustis praeter arma et navis nihil erat super*; Verg. ecl. V, 6 *super tibi erunt, qui dicere laudes, Vare, tuas cupiunt*; Caes. de bello civ. II, 10 *eo super tigna bipedalia iniciunt*. Quamquam licet etiam praepositionem intellegere, ut coniungenda sit cum *tumentibus undis*, neque id satis certum, si adverbium esse statuimus, utrum *tumentibus undis* sit dativus, quod putat Burmann, an ablativus.

48. *icta fatiscit aquis*: Ov. trist. I, 10, 8. *donec* postponitur tertio vocabulo, primo I, 591; II, 473; IV, 403; VIII, 292; 383; cfr. de *dum* coniunctionis collocatione II, 32; VII, 76.

49. *vocem dare* significat clamare vel loqui, ut VII, 373; 412. Sic permulta substantiva in accusativo posita et cum dandi verbo coniuncta imprimis apud Vergilium et Ovidium, rarissime apud lyricos poetas simplicem verbi notionem efficiunt intransitivam: haec substantiva plerumque habent notionem soni alicuius aut motum signi-

Digitized by Google

haut aliter somni maestus labor. exsilit amens
effusisque genas lacrimis rigat. 'ibimus', inquit
'solus et hos montes desertaque lustra tenebis,
care puer, nec res ultra mirabere nostras?'

---

ficant: *balatus dare* Ov. met. VII, 540; *cantus* (canere) Pseudotib. III, 4, 40; Verg. Aen. I, 398; IX, 618; Ov. fast. II, 767; Sid. XV, 59; *certamina* (certare) Cul. 316; *carmen* (canere, de avibus) Prop. IV, 3, 32; *choros* (saltare) Il. lat. 881; *cladem* (cadere) Lucr. V, 347; *clamorem* Verg. Aen. III, 566; Sil. VI, 252; VII, 326; *clangorem* Sil. IV, 118; *crepitum* Lucr. VI, 110; Iuv. III, 108; *cursum* (currere) Verg. Aen. X, 870; Drac. VII, 95 B.; *dicta* Val. II, 69; IV, 222; VII, 558; Lucr. V, 53; Ov. fast. I, 356; V, 572; ex Pont. IV, 16, 31; Verg. Aen. II, 790; V, 852; VI, 628; VII, 323; 471; VIII, 541; IX, 431; X, 600; 633; XII, 81; 441; Sil. VII, 746; Petron. c. 121 v. 100; Claud. carm. min. 51, 2; anthol. B. 271, 13; Lucil. sat. M. I, 13; Alcim. Avit. III, 283; *discessum* (discedere) Lucr. IV, 41; *finem* (desinere) Verg. Aen. VI, 76; Sid. VII, 598; *fletus* Ov. met. II, 340; *fragorem* VIII, 340; XI, 507; Lucr. VI, 129; 136; Stat. Theb. V, 388; VI, 601; 882; Paul. Nolan. XXVIII, 86; Paul. Petr. vit. Mart. II, 301; *fremitus* Sen. Oed. 227 (cod. E.); Drac. V, 309 B.; *fugam* (fugere) Val. VII, 570; Verg. Aen. XII, 367; *gemitum* Val. III, 738; Ov. her. XI, 30; XV, 123; met. II, 606; VI, 565; VIII, 513; 758; X, 509; 599; XV, 612; Stat. Theb. IV, 23; VI, 107; 527; Verg. Aen. I, 485; II, 53; IV, 409; IX, 709; XI, 377; XII, 713; Sil. III, 643; V, 398; 592; Prud. psych. 797; Coripp. Ioh. IV, 1115; 1160; VI (V) 612; *insidias* Ov. artis II, 594; (Plaut. Pseud. 594; 1239; 1245; Mil. 303; Bacch. 286; Cas. 436; Aulul. 662; Vid. frgm. 10;) *iocos* Spart. vita Hadr. 25; *iurgia* Claud. de bell. Gild. 295; *labem* (labi) Lucr. II, 1145; *lacrimas* (praetermissis eis locis, ubi dativus additur, cui lacrimae dentur vel dicentur) Ov. her. III, 15; XIII, 113; amor. I, 7, 60; rem. 129; met. XI, 669; XIII, 622; trist. I, 8, 28; Verg. Aen. IX, 292; Alcim. Av. V, 330; (non huc pertinet *lamenta dare* Stat. silv. III, 3, 135) *latratus* Sen. Med. 840; *modos* (modulando canere) Ov. fast. IV, 214; Verg. Aen. VII, 701; *motus* (moveri) Lucr. II, 311; Ov. met. V, 629; *mugitum* Ov. fast. I, 560; met. XV, 510; Sil. I, 370; Auson. 64, 1; Drac. V, 282, *murmura, murmur* Lucr. VI, 143, Ov. met. II, 788; Auson. ep. XXIV, 11 Sch.; Venant. Fort. VIII, 3, 208; *partus* (parere) Ov. fast. I, 623; *pausam* (desinere) (Plaut. Pers. 818); *planctus* Sen. Troad. 641; Octav. 720; *plangorem* Ov. met. II, 346; VIII, 447;

Digitized by Google

haec fatus relegitque vias et vallibus exit
incertus, quid Iuno ferat, quas apparet iras.
nec minus et socios cernit procul aequore ferri
praecipites tacitumque pudet potuisse relinqui.

XIV, 421; *plausum* Verg. Aen. V, 215; Claud. de laud. Stil. II, 403; Coripp. in laud. Iust. I, 346; (Plaut. Asin. 947; Rud. 1421; 1423; Cist. 787; Most. 1181; Capt. 1036;) *preces* Ov. ex Pont. IV, 9, 130; *principium* (incipere) (Ter. Eun. 457); Lucr. I, 339; *pugnam* (Plaut. Bacch. 273; Pseud. 525; Capt. 583; Ter. Eun. 899;) *proelia* Verg. georg. III, 265; Gratt. cyneg. 155; *querelas* Paul. Nol. XX, 143; *questus* Sen. Thyest. 1036; *ruinam* (ruere) Lucr. II, 1145; V, 347; VI, 801; Verg. Aen. II, 310; XI, 613; *saltus* (salire) Ov. met. II, 165; III, 599; 683; IV, 551; XI, 524; fast. I, 507; Ibidis 285; Verg. Aen. XII, 681; Venant. Fort. vit. Mart. II, 385; *sibila* Ov. met. IV, 493; XV, 684; Corn. Sev. frg. 6 B.; Sid. XV, 12; *sonum sonitum* Val. III, 106; Ov. met. III, 37; VII, 629; XI, 735; XII, 276; XIV, 740; XV, 527; Ibidis 159; fast. VI, 698; ex Pont. III, 3, 66; IV, 4, 12; Tib. I, 8, 58; Stat. silv. V, 3, 55; Theb. V, 564; Verg. georg. II, 306; III, 83; 199 *(sonorem)*; IV, 409; Aen. II, 243; III, 238; 584; V, 139; 435; VII, 567; IX, 667; X, 488; XI, 458; 799; XII, 267; 524; Lucr. VI, 108; 131; 136; 157; 170; Gratt. cyneg. 343; Drac. VIII, 645; Enn. ann. 290; 320 B.; Varronis Atac. frg. 12, 2 B.; Alcim. Av. VI, 239; Sid. II, 335; Boeth. de cons. phil. III, 1, 8; *stragem* (mori) Nemes. cyn. 197; *tinnitum* Ov. fast. IV, 184; Sen. Phaedr. 792; *tortus* (torqueri) Verg. Aen. V, 276; *tumultus* Paul. Nol. XIX, 280; *turbam turbellas* (Plaut. Pseud. 110; Bacch. 357; Pers. 852; Ter. Eun. 653; Caecil. frg. 101 R.;) *ululatus* Verg. Aen. XI, 190; *vagitus* Ov. her. XI, 85; *verba* (exceptis eis locis, ubi propria dandi notio subest, ut Verg. Aen. X, 639; Ov. met. VI, 164; ex Pont. IV, 9, 11 pro simplici loquendi notione apud posteriores demum poetas) Anthol. 62, 10; 94, 4 B.; Avian. fab. IX, 20; XXIV, 10; XXXVII, 2; XXXVIII, 6; Orest. trag. 767; Maximian. eleg. V, 72; Venant. Fort. III, 27, 2; XI, 23, 6; app. 24, 2; Arat. act. apost. II, 41; 1032; Dracont. de deo III, 456. Itaque satis mirum, hanc locutionem, quae meliorum scriptorum temporibus longe aliud significavit, hac notione praeditam uno loco etiam apud Valerium inveniri VII, 251; contra ut *dicta* saepe, sic *voces dare* nonnullis locis reperitur: Ov. met. IX, 583; Verg. Aen. VII, 560; XI, 534; 840; Sil. XIII, 735; Sen. Thyest. 1036; Drac. V, 288; Claud. de rapt. Pros. II, 233; Venant. vit. Mart. IV, 50; Val.

Digitized by Google

Iamque iter ad Teucros atque hospita moenia Troiae
flexerat Iliaci repetens promissa tyranni,
cum maesto Latona simul Dianaque vultu
ante Iovem stetit et supplex sic fatur Apollo:
'in quem alium Alciden, in quae iam tempora differs
Caucaseum, rex magne, senem? nullumne malorum

VII, 373; 412; denique eo loco, unde disputatio initium fecit. Consulto omisi omnia ea exempla, in quibus dativo addito dandi verbum ad solitam notionem videtur accedere. Ideo autem in hac re exponenda paullo longior fui, quia ex verborum indicibus notis minime apparet, quam late hic usus apud poetas patuerit. Cfr. etiam Thielmann 'das verbum dare' p. 28 seqq. et 77 seqq.

De perfectis *dedit* et *sustulit* cfr. ad III, 738; *se sustulit alis*: Verg. Aen. V, 657; IX, 14.

61. *stetit — fatur*; de varietate temporum cfr. ad III, 509; de singulari numero *stetit* ad III, 228; perfectum autem *stetit* ponitur eadem fere sententia, qua saepe aoristus in Graeca lingua eorum verborum, quae statum aliquem significant, ad eam actionem indicandam, ex qua status ille sequatur; *stetit* igitur est hoc loco 'sie trat (vor ihn) hin'; sic IV, 583 (cum) *rapidi steterint in gurgite montes* 'wenn sie stehen geblieben sind'; II, 404 *modo saeva quierunt aequora* 'sind zur Ruhe gekommen'; IV, 172 *quierit* 'möge er zur Ruhe gekommen sein'; Verg. Aen. VII, 6 *postquam alta quierunt aequora*; cfr. IV, 523; VI, 226; Auson. Mos. 178 *medio cum sol stetit aureus orbe*; Hor. ep. II, 1, 204 seq. *actor cum stetit in scaena, concurrit dextera laevae*; 83 *vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt* 'was bei ihnen Gefallen gefunden hat'.

Iovem precibus Latonae eiusque liberorum commotum esse, ut Herculem mitteret ad liberandum Prometheum, ipse Valerius videtur finxisse. Omnino nihil de Prometheo liberato legitur apud Apollonium, sed Herculem ad Eurystheum rediisse poeta graecus narrat I, 1347. Etenim etiam id Valerius excogitavit ad carmen suum digressionibus ornandum, in ipsa Argonautarum expeditione Prometheum liberatum esse; Diodorus IV, 15 hoc ante expeditionem factum esse dicit, Apollod. II, 5, 11, 10 Herculem id fecisse proficiscentem ad Hesperides, (quocum consentit Hyg. astr. II, 15,) Servius ad Verg. Aen. VIII, 300 ab Hesperidibus redeuntem.

62. *quem alium*; synaloephe rarissima, cfr. Muell. de re metr. p. 283 (p. 393 ed. alt.).

Digitized by Google

finem adeo poenaeque dabis? te cuncta precatur
gens hominum atque ipsi iam te, pater optime, montes
fessaque cum silvis orant iuga. sat tibi furtum
ignis et aetheriae defensa silentia mensae'.
dixit ubi, e scopulis media inter pabula diri
vulturis ipse etiam gemitu maestaque fatigat
voce Iovem saevis relevans ambusta pruinis
lumina; congeminant amnes rupesque fragorem
Caucaseae; stupet ipse dei clamoribus ales.
tunc etiam superas Acheronte auditus ad arces
Iapetus; gravis orantem procul arcet Erinys
respiciens celsi legem Iovis. ille dearum
fletibus et magno Phoebi commotus honore
velocem roseis demittit nubibus Irim.
'i, Phrygas Alcides et Troiae differat arma.
nunc' ait 'eripiat dirae Titana volucri'.
diva volat defertque viro celeranda parentis
imperia atque alacrem laetis hortatibus implet.
Iam Minyae mediis clarae per sidera noctis
fluctibus intulerant placido cava lintea cursu,

---

65. *optime* om. Vat., add. cod. Monac.

66. Satis audaci zeugmate *furtum ignis* et *defensa silentia mensae* coniunguntur, cfr. VIII, 254. Sed quid Prometheo cum silentiis aetheriae mensae? Num Valerius Tantali et Promethei crimina in unum confudit?

68. De collocatione *ubi* particulae cfr. IV, 229; V, 306; 443; VI, 546; VIII, 218; sic *ut* insolentiore loco ponitur I, 127; 205; IV, 137; V, 330.

71. *congeminant — fragorem*; Stat. Theb. VI, 41.

78. *arma Troiae* i. e. bellum contra Troianos, ut Sil. II, 428 *bella Aeneadum*; Drac. II, 94 *bella suis* de Herculis cum apro Erymanthio pugna.

80. *celeranda — imperia*; cfr. v. 385 et *opem celerare* III, 251.

81. *hortatibus implet*; II, 126; Stat. Theb. X, 35; Sil. V, 150; cfr. I, 105 *attollitque animos hortando et talibus implet.*

82. *per sidera*: cum sidera collucerent, sic *per lunam* Verg. Aen. II, 340.

Digitized by Google

multaque deserto memores super Hercule volvunt.
Thracius at summa sociis e puppe sacerdos
fata deum et miserae solans incommoda vitae
securum numeris agit et medicabile carmen;
quo simul adsumpta pulsus fide luctus et irae
et labor, et dulces cedunt e pectore nati.
Interea magni iam iam subeuntibus astris
Oceani genitale caput, Titania frenis
antra sonant; Sol auricomis urgentibus Horis
multifidum iubar et bisseno sidere textam

---

85. *at (ast)* coniunctio primo sententiae vocabulo postposita reperitur etiam I, 264; II, 437; V, 548; VI, 197; VIII, 255.

87. *securum carmen*, i. e. quod faciat, ut homines curas oblivi-scantur, significatione rarissima, sed cfr. Ov. ex Pont. II, 4, 23 *securae biberes si pocula Lethes*, et sic fortasse etiam verba interpretanda Silii III, 170 *mulcentem securo membra sopore Aggreditur iuvenem;* iam id minus insolitum, quod *medicabilis* quoque adiectivum transitivam notionem habet, cfr. *genitabilis dissociabilis penetrabilis* al.; vid. ad I, 782, ubi etiam de agendi verbo dictum est.

88. *quod simul adsumpta pulsum fide* Vat., quod servaverunt recentissimi tres editores, sed vix credibile, Valerium ad tantam audaciam progressum esse, ut cum deberet dicere, Orpheum carmen cecinisse voce adsumpta lyra i. e. nervis lyrae concinentibus, scriberet carmen pulsum esse atque prorsus falso affert Dureau Iuv. sat. VII, 55, neque probari potest Thilonis excusandi ratio, qui praef. XV 'Valerius carmen', inquit, 'quod e fidibus pulsatis quasi eliceretur, pelli dixit', cum hoc loco carmen non sit cantus nervorum, sed vox humana praeter cantum nervorum nominata; recepi cum Burmanno scripturam ed. Bonon. *quo — pulsus.*

89. Filii Argonautarum commemorantur etiam I, 150.

91. *genitale caput*; de re cfr. ad II, 62; *caput* videtur fontem significare, cfr. Hes. theog. 282.

92. *Titania — antra* sunt antra Solis, qui Titane ortus ipse interdum Titan a poetis nominatur, ut Verg. Aen. IV, 119 al.

frenis — sonant; ipsa frena sonantia dixit Ov. met. II, 121.

ingentibus Vat., *urgentibus* codd. interpol.

93. *multifidum iubar:* Sol cum corona radiata saepe apparet in artis operibus; vid. Gerhardi ges. Abhandl. I tab. V, 1; 2; VI, 1;

Digitized by Google

loricam induitur; ligat hanc qui nubila contra
balteus undantem variat mortalibus arcum.
inde super terras et eoi cornua montis
emicuit sparsitque diem candentibus undis,
et Minyas viso liquerunt flamina Phoebo.
Proxima Bebrycii panduntur litora regni,
pingue solum et duris regio non invida tauris.
rex Amycus; regis fatis et numine freti
non muris cinxere domos, non foedera legum
ulla colunt placidas aut iura tenentia mentes.
quales Aetnaeis rabidi Cyclopes in antris
nocte sub hiberna servant freta, sicubi saevis
advectet ratis acta notis tibi pabula dira
et miseras, Polypheme, dapes: sic undique in omnes
prospiciunt cursantque vias, qui corpora regi
capta trahant. ea Neptuno trux ipse parenti
sacrifici pro rupe iugi media aequora supra

3; VII, 1; 2; 3; Muelleri-Wies. Denkm. I, 54, 270; II, 23, 251; 75, 971; 972; cfr. anthol. 139, 7 B.

bissenum sidus recte de duodecim signis zodiaci explicatur; de toto Solis ornatu cfr. Ov. met. II, 118—124 et Stat. Theb. III, 410 seqq.

95. Splendore baltei Solis varii colores arcus caelestis efficiuntur; *undantem arcum* sc. aqua, ut VIII, 254.

96. *Eous mons* Taurus ab interpretibus intellegitur.

97. *traxitque* Vat., *sparsitque* Crusius apud Harl.

99. De Amyco quae narravit Valerius usque ad v. 344, conferenda cum Apoll. II, 1—164. Apud Theocr. idyll. XXII, 27 seqq. Argonautae superatis demum Cyaneis ad Bebryces deveniunt; cum Apollonio et Valerio consentit Apollodorus I, 9, 20.

101. *numine* i. e. Neptuno, cuius filius erat Amycus ex nympha Melia, cfr. v. 119.

103. De *aut* coniunctionis collocatione vid. ad II, 181.

110. *pro rupe* i. e. in extremo margine rupis in mare prominentis (*media aequora supra*); dicitur ut *pro littore ripa tribunali rostris* aliaque multa.

De *supra* praepositionis collocatione cfr. ad I, 151.

Digitized by Google

torquet agens; sin forma viris praestantior adsit,
tum legere arma iubet sumptisque occurrere contra
caestibus; haec miseris sors est aequissima leti.
huc ubi devectam Neptunus gurgite puppem
sensit et extremum nati prospexit in oras
et quondam laetos domini certamine campos,
ingemit ac tales evolvit pectore questus:
'infelix imas quondam mihi rapta sub undas,
nec potius magno, Melie, tum mixta Tonanti!
usque adeone meam quacumque ab origine prolem
tristia fata manent? sic te olim pergere sensi,
Iuppiter, iniustae quando mihi virginis armis
concidit infelix et nunc chaos implet Orion.
nec tibi nunc virtus aut det fiducia nostri,
nate, animos opibusque ultro ne crede paternis.
iam iam aliae vires maioraque sanguine nostro

---

111. *torquet agens*; participium *agens*, quod nobis abundare videtur, additur ad actionis notionem intendendam, ut VII, 151; Verg. Aen. I, 117; 191; IV, 71; Stat. Theb. VI, 876; Coripp. Ioh. III, 431; IV, 262; Venant. Fort. XI, 4, 3; de vita Mart. I, 153. Apud Apollonium omnes hospites cum Amyco pugnare coguntur, cfr. Hyg. fab. 17.

116. Poetice Valerius etiam campis ipsis sensum crudelitatis tribuit.

119. De *Melia* matre Amyci vid. Apoll. II, 4; Hyg. fab. 17; amata est etiam ab Inacho, Ov. am. III, 6, 25; Apollod. II, 1, 1; schol. Il. I, 22. Matrem Amyci Bithynidem nominat Apollod. I, 9, 20, 1, qua de re cfr. schol. Apoll. II, 4.

121. *olim* i. e. iamdudum, vid. ad I, 35; de pergendi verbo ad I, 31.

123. *chaos*, cfr. ad I, 831. Quod Neptunus Dianam iniustam nominat, quae sagittis Orionem interfecit, quamquam potest poeta ideo fecisse, ut Neptunum ira abreptum immerito Dianam, cui vim afferre voluit Orion, incusare fingat, tamen probabilius est poetae menti obversatam esse narrationem Homeri Od. V, 121 seqq.

implendi verbum immensam Orionis magnitudinem designat.

125. *opibusque — ne crede*; vid. ad II, 5.

126. Ut maior potestas, sic fata maiora i. e. superiora dicuntur,

Digitized by Google

vincunt fata Iovis, potior cui cura suorum est.
atque ideo neque ego hanc tumidis avertere ventis
temptavi tenuive ratem, nec iam mora morti
hinc erit ulla tuae. reges preme, dure, secundos.'
abstulit inde oculos, natumque et tristia linquens
proelia sanguineo terras pater alluit aestu.
Principio fluvios gentemque et litora ductor
explorare iubet, paulumque egressus Echion
invenit obscura gemitus in valle trahentem
clam iuvenem et caesi maerentem nomen amici.

---

quibus succumbit fortuna prolis Neptuniae; cfr. etiam *maiora carmina* VII, 352. Non recte locum intellexerunt Burmann et Wagner.

128. *tumidis — ventis*; sic *auster* tumidus vocatur Verg. Aen. III, 357; *eurus* Ov. am. I, 9, 13.

130. *hinc* i. e. a me; an ab hoc tempore?

reges preme dure secundos; haec verba sine dubio vitiose tradita sunt, cum fieri non possit, ut Neptunus tam abrupte sermonem rursus ad Iovem convertat, sed cum adhuc emendatio aliqua saltem ex parte probabilis non inventa sit, verba intemptata reliqui.

132. Prodigium indicatur cruentae mortis filio instantis: simile narratur apud Hom. Il. XVI, 459.

133. *fluvii* videntur hoc loco significare fontes aquae dulcis vel ipsam hanc aquam; cfr. V, 342; Verg. georg. III, 126; 301; Luc. VII, 224; Sil. XIII, 123.

134. Echione filio Mercurii utitur Iason tamquam praecone et exploratore, vid. I, 440; IV, 734; VII, 543. Narratio, quae sequitur de Otreo et Dymante, non legitur apud Apollonium, sed navem appellentibus statim ipse Amycus occurrit II, 8 seqq., sic etiam apud Theocr. idyll. XXII, 44 seqq. Rem ipse Valerius finxit, nomina sumpsit ab Hom. Il. III, 186 et XVI, 718.

135. *gemitus — trahere* sc. e pectore; cfr. VIII, 400; Ov. met. XI, 709; Enn. trag. 67 R. (ex certa emendatione); saepius legitur *suspiria trahere*: Ov. met. II, 753; amor. II, 19, 55; Val. VIII, 457; Sil. I, 530; aegr. Perd. 185; 235; Prud. c. Symm. I, 480; (Plaut. Trucul. 600 *suspiritum*); *gemitus ducere* dixit Verg. Aen. II, 288; *suspiria ducere* Ov. met. I, 656; X, 402.

136. *maerentem nomen* i. e. cum maerore nomen cientem; cfr. Ov. met. I, 664 *talia maerentem* i. e. cum maerore dicentem.

Digitized by Google

ille virum ut contra venientem umbrataque vidit
tempora Parrhasio patriae de more galero
paciferaeque manu nequiquam insignia virgae,
'heu fuge' ait 'certo, quicumque es, perdite, passu,
dum datur.' obstipuit visu Nonacria proles,
quid ferat admirans. postquam remeare monentem
ocius et dictis perstantem cernit in isdem,
abripit et sociis, quae sint ea, promere cogit.
ille manum tendens 'non haec' ait 'hospita vobis
terra, viri, non hic ullos reverentia ritus
pectora; mors habitat saevaeque hoc litore pugnae.
iam veniet diros Amycus qui tollere caestus
imperet et vasto qui vertice nubila pulset.
talis in advectos Neptuni credita proles
aeternum furit atque aequae virtutis egentes,

---

137. *ut* postponitur; cfr. ad 68.

umbrataque — tempora: Stat. Theb. VI, 554 *Olympiacis umbratus tempora ramis;* Verg. Aen. VI, 772 *umbrata gerunt civili tempora quercu.*

138. *Parrhasio* i. e. Arcadico; a Parrhasia oppido Arcadiae Hom. Il. II, 608; Plin. nat. hist. IV, 20. Arcas vocatur Echion propter Mercurium patrem in Arcadiae monte Cyllene natum; eadem de causa dicitur Nonacria proles v. 141 a Nonacride monte et oppido Arcadiae, Plin. l. l., Herod. VI, 74. Petaso utitur, qualem gestare solebat Mercurius; Arcadius galerus commemoratur a Stat. Theb. IV, 303.

139. *pacifera* virga est oleaginea: Verg. Aen. VIII, 116; VII, 154; XI, 101.

140. Cfr. Verg. Aen. III, 639. *certus* passus eius nominatur, qui certus est fugiendi, ut id sine ulla mora faciat.

144. Verg. Aen. II, 123; III, 100.

147. *mors habitat — hoc littore*; cfr. Ov. artis II, 463 *illic — habitat Concordia;* met VIII, 790 *frigus illic habitant Pallorque Tremorque.*

149. Similiter a socio Ulixis Polyphemus describitur apud Verg Aen. III, 619.

151. *aeternum* poetis saepe est pro adverbio: 708; Hor. epist. I, 10, 41; Ov. artis III, 414; trist. V, 3, 41; met. VI, 369; Verg

Digitized by Google

ceu superum segnes ad iniqua altaria tauros
constituit, tantum ut misero lavet arma cerebro.
consulite atque fugae medium ne temnite tempus.
namque isti frustra quisnam concurrere monstro
audeat, et quaenam talem vidisse voluptas?'
ductor ad haec 'Bebryxne venis diversaque regi
corda gerens? (melior vulgi nam saepe voluntas)
hostis an externis fato delatus ab oris?
et tua cur Amycus caestu nondum obruit ora?
nomen' ait 'praedulce mihi famamque secutus

---

georg. II, 400; Aen. VI, 401; 617; XI, 97; Stat. silv. V, 1, 139; Theb. I, 597; 705; IV, 420; V, 107; VIII, 510; IX, 52; Tib. II, 5, 64; Prop. III, 8, 38; Sil. I, 90; 204; II, 52; 62; 367; 613; III, 479; VI, 13; XIII, 459; Aetnae 433; multo rarius apud posteriores, ut Auson. epigr. Domit. 4; Coripp. de laud. Iust. III, 36; Paul. Nol. 34, 613; 630; Alcim. Av. V, 76; Sid. I, 28; XXII, 72; similiter *perpetuum* Stat. silv. I, 1, 99; Sid. XXII, 202 et *immortale* Val. VII, 362.

virtutis egentes; *egens* participium cum genetivo coniunctum pro eo quod est *egenus*; inter alia confert Burmann v. 303 *rationis egentem*; 427 *lucis egentem*.

152. *segnes* ab interpretibus ad homines ab Amyco captos refertur, quod propter collocationem verborum omnino probari nequit: *segnes* non potest non referri ad tauros, neque video, cur ab hac explicatione tantopere abhorruerint viri docti; ut tauri segnes non resistunt, cum ad aram ducuntur, sic hominibus nulla resistendi copia ab Amyco datur.

153. *tandem* Vat.; *tantum* Burmann. Non haerendum in eo, quod hospes hoc loco nihil dicit de sacrificiis v. 109 seqq. commemoratis, cum ipse tale quid non expertus sit neque viderit: nam quae fortasse in spelunca v. 181 seqq. descripta iam antea conspexerat, ad eum docendum non sufficiebant.

159. *hostem* Wagner coll. Cic. de off. I 37 ut in prisca Latinitate pro peregrino dictum putat; res ex Plauto nota, sed tamen Valerius a consueta notione videtur non discessisse, cum Amycus omnes externos pro hostibus re vera haberet.

an postponitur ut VII, 75.

160. *caestu — obruit ora:* Stat. Ach. I, 190.

161. *nomenque* Vat., *famamque* scripsi.

Digitized by Google

Otreos unanimi. decus ille et laeta suorum
gloria nec vestros comes aspernandus in actus
Hesionam et Phrygiae peteret cum gaudia nuptae,
hic Amycum contra iussus stetit atque ego palmas
implicui; sed prima procul vixdum ora levantis
fulminea frontem dextra disiectaque fudit
lumina; me numquam leto dignatus et armis,
sed lacrimis potius luctuque absumor inerti.
spes tamen, his fando si nuntius extitit oris
et Mariandynum patrias penetravit ad urbes,
unde genus fraterque viro — sed et ille quierit

---

162. *Otreos unanimi*, cfr. ad III, 571; Otreus rex Phrygiae commemoratur hymn. Hom. in Ven. 111.

163. Ut saepe *decus*, sic non raro *gloria* de ipsis hominibus dicitur 'der Stolz der Seinigen': Verg. Aen. VI, 767; Ov. her. XV, 167; XVI, 59; ep. Sapph. 94; am. II, 6, 20; III, 15, 8; met. XII, 530; Sil. I, 88; saepius apud Corippum, velut Ioh. VI, 140 al.

vestros comes — in actus: Verg. Aen. IX, 277 *comitem casus complector in omnes*; Luc. VIII, 589 *an tantum in fluctus placeo comes?* paullo aliter se habent Silii verba X, 135 *omnis comes ibat in actus.*

164. De collocatione *cum* coniunctionis vid. ad I, 623.

165. *Amycum contra*: vid. ad I, 151. *iussus* sc. ab Amyco ipso.

166. *prima procul vixdum ora levantis*; ad pugnam accessurus primum vultum sustulit, tum manus tollere volebat, sed ad hoc faciendum tempus ei defuit ictus manu Amyci in eum irruentis, antequam ipse propius ad eum accesserat.

167. *fulminea — dextra*: manus Amyci in caput miseri hominis defertur quasi fulmen a Iove missum; *fulminea* dicitur *dextra* etiam Sil. III, 319; *lacertus* VI, 248; *manus* Stat. Theb. VI, 750; vide etiam ad VI, 230.

frontem — disiectaque fudit lumina; eliduntur oculi ex capite, ut ad terram cadant; ad *frontem* zeugmate aliud verbum velut *icit* addendum.

172. *viro* i. e. Otreo, cuius frater est Lycus, rex Mariandynorum, cfr. 733 seqq. Occisus frater Priolas nominatur apud schol. Apoll. II, 758, qui ipse rem paullo aliter exposuit II, 782 seq. Sermone interrupto ad contrariam sententiam iuvenis devenit. De perfecto *quierit* cfr. ad IV. 61.

Digitized by Google

oro nec vanis cladem Lycus augeat armis.'
Haec ubi non ulla iuvenes formidine moti
accipiunt, videt et dura sic pergere mente,
terga sequi properosque iubet coniungere gressus.
littore in extremo spelunca apparuit ingens,
arboribus super et dorso contecta minanti,
non quae dona deum, non quae trahat aetheris ignem,
infelix domus et sonitu tremibunda profundi.
at varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
bracchia rapta viris strictoque immortua caestu
corpora taetra situ et capitum maestissimus ordo.

---

175. *dolet* Vat., *videt* Schenkl; *et* coniunctio primo vocabulo postponitur, ut saepe, vid. ad I, 89.

177. Cfr. descriptionem antri Caci apud Verg. Aen. VIII, 193 seqq.

178. *dorso — minanti* i. e. eminenti, ut Verg. Aen. I, 162; Sil. IV, 2; Auson. Mos. 329.

179. *dona deum* recte intellegit Wagner 'amoenitates campi liberioris et aprici', nempe herbas virentes et flores; *aetheris ignis* est lumen solis, trahendi autem verbum significat ad se trahere, recipere; similiter certe legitur Ov. ex Ponto IV, 8, 61 seq, *laudem — Alcides capta traxit ab Oechalia;* met. X. 223 *nomen tr.*; Stat. Theb. VIII, 119 *iussa tr.*; Alcim. Av. V, 31 *vota.*

non particula praeter consuetudinem ante relativum ponitur, cfr. *nondum* sic positum V, 660.

180. Concutitur antrum vehementi maris aestu.

181. *ut* Vat., *at* Heinsius; *pro rupe*: cfr. v. 110; *metus*, vid. ad I, 23; *hinc* coniungendum cum participio *rotatis*: bracchia eis, quos ex hoc loco in mare coniciebat Amycus (v. 110), evellisse regem immanem indicat poeta et in antro reposuisse, praeterea cadavera eorum ibi iacebant putrescebantque, quos caestu interfecerat.

183. *ossaque* Vat., quod si servamus, *immortua* v. 182 non habet quo referatur, nam nec bracchia immortua dici possunt caestu, nec omnino caestu ei interfecti sunt, quorum bracchia commemorantur, quare scripsi *corpora* pro eo quod est *ossaque. et* om. Vat., add. Heinsius; *maestissimus ordo* i. e. summi maeroris efficiens, cfr. II, 493; VIII, 233; *maestos — rogos* Ov. trist. V, 14, 6; *labor maestus curarum* Luc. VIII, 165; *maesta cura* Sil. VI, 551; *timor* Val. V, 352;

Digitized by Google

respicias quibus adverso sub vulnere nulla
iam facies nec nomen erat: media ipsius arma
sacra metu magnique aris imposta parentis.
hospitis hic primum monitus rediere Dymantis,
et pavor et monstri subiit absentis imago,
atque oculos cuncti inter se tenuere silentes,
donec sidereo Pollux interritus ore
'te tamen hac, quicumque es,' ait 'formidine faxo
iam tua silva ferat, modo sint tibi sanguis et artus.'
omnibus idem animus forti decernere pugna,

---

querelae Ov. met. III, 239; Luc. V, 761; *sepulcra* Ov. fast. II, 562; *funera* fast. VI, 660.

184. *respicias* pro eo quod est in prosa oratione *cerneres* 'man hätte sehen können', ut Verg. Aen. IV, 401 *migrantes cernas*; Ov. met. I, 242 *in facinus iurasse putes* al.; *respicere* autem interdum ponitur pro cernendi conspiciendi verbo, vid. VI, 562; Apul. met. X, 17 *pocillatore respecto* i. e. aspecto.

185. *nomen* proprie est quo quis nosci possit, quod imprimis vultu et ore fit, notissimum illud est Verg. Aen. II, 558 *sine nomine corpus*, quippe cui caput avulsum sit; hunc locum imitatus est Iuvenc. III, 68 *lacerum flentes sine nomine truncum.*

187. *rediere* sc. in memoriam, vid. ad III, 461. Mirum quod hoc demum loco nomen illius hospitis commemoratur, neque res est ab omni dubitatione libera, cum Vat. habeat *tymantis*; in ed. Ald legitur *timentis*, *Dymantis* est Heinsii coniectura. Apud schol. Hom. Il. III, 189 Dymas pater Otrei commemoratur.

189. *oculos — inter se tenuere silentes* i. e. continuere, ne res horribiles aspicerent, cfr. Verg. Aen. XI, 121 *oculos inter se atque ora tenebant:* ora tenere idem est atque silere, vid. Verg. georg. IV, 483; Aen. VIII, 520; Val. IV, 323.

190. *sidereo ore*, vid. ad II, 104.

191. *te tamen — faxo*; sermo in initio abruptus, vid. ad III, 290. *hac — formidine* obscure dictum; videtur significare, 'quamquam circumdatus tot rebus formidolosis.'

192. Minatur Pollux se corpus interfecti Amyci suspensurum in silva, quae speluncam tegebat (v. 178).

193. Verg. Aen. XII. 282.

Digitized by Google

exoptantque virum contraque occurrere poscunt,
qualiter ignotis spumantem funditus amnem
. . . . . .
pandit iter, mox omne pecus formidine pulsa
pone subit, iamque et mediis procedit ab undis.
At procul e silvis sese gregibusque ferebat
saevos in antra gigas. quem nec sua turba tuendo

194. *exoptantque virum:* Plaut. Bacch. 503 *illum exoptavit potius*; Trin. 1072 *o mi ere exoptatissime*; cfr. Amph. 654; Capt. 1006; Curc. 305.

195. Post hunc versum unus excidit in Vat.; sententia constat et per se et ex imitatione Statiana Theb. VII, 436 seqq.; in cod. Carr. hic erat versus: *taurus aquis qui primus init spernitque tumentem.*

198. Inde a medio amne iam pecus praecedit taurum.

199. Nunc demum redit Valerius in viam ab Apollonio monstratam. In descriptione Amyci multa inveniri, quibus commoneamur descriptionis Polyphemi Homerici, recte dixit Grueneberg de Val. Flacco imitatore p. 17.

sese ferebat i. e. superbe incedebat, cfr. Verg. Aen. V, 373; XI, 779.

200. *gigas* hoc loco translate dicitur pro homine ingenti corporis magnitudine, quod exemplo carere videtur, sed adiectivum *giganteus* translate positum reperitur Ov. met. XIV, 184; Sil. V, 436.

turba sc. Bebrycum, quae eum sequebatur, vid. 315; falso locum intellexit Thilo praef. p. XXVII, cum putaret poetam dixisse Amycum solum ad pugnam cum Argonautis venisse.

nec ponitur pro *ne — quidem*, quod non raro reperitur, velut VII, 130; 435; VIII, 409; Stat. silv. II, 2, 56; II, 6, 21; Sil. VI, 417; XIII, 733; Pers. sat. V, 172; Iuven. II, 152; Mart. VIII, 64, 18; X, 24, 11; 64, 6; Claud. de rapt. Pros. II, 289; Prud. perist. X, 675; Sedul. pasch. c. IV, 124; V, 11; 213; hymn. II, 24; cfr. etiam Kuehneri gramm. lat. II, § 157, 8.

201. *taciti secura metus:* ne hiscere quidem audent prae metu Bebryces; *secura metus* idem valet atque metu libera: eadem sententia a Tacito dicitur Domitianus Agric. 43 *securus iam odii;* alia prorsus contraria sententia dicuntur, ut *potentiae securus* Tac. ann. III, 28, scilicet hoc loco securitas eo efficitur, quod Augustus potentiam obtinet, illo ita efficeretur, si Bebryces metum non haberent.

Digitized by Google

it taciti secura metus. mortalia nusquam
signa manent, instar scopuli, qui montibus altis
summus abit longeque iugo stat solus ab omni.
devolat inde furens, nec quo via curve profecti
nec genus ante rogat, sed tali protonat ira:
'incipite, o iuvenes. etenim fiducia, credo,
huc tulit auditas et sponte lacessitis oras.
sin errore viae necdum mens gnara locorum,
Neptuni domus atque egomet Neptunia proles.
hic mihi lex caestus adversaque tollere contra
bracchia. sic ingens Asiae plaga quique per arcton
dexter et in laevum pontus iacet haec mea visit
hospitia, hoc functi remeant certamine reges.
iam pridem caestus resides et frigida raris
dentibus aret humus. quis mecum foedera iunget?

---

tuendo i. e. dum tuentur; cfr. Verg. Aen. II, 6 *quis talia fando temperet a lacrimis*; Hor. c. IV, 11, 29 seqq. *ultra quam licet sperare nefas putando disparem vites.*

203. Ex tota sententia audiendum, quo abeat scopulus, sc. in caelum, qualis notio plerumque addi solet, ut VI, 612 *in arctos*; Ov. met. IV, 711 et Luc. II, 626 *in nubes*; Sil. III, 493 *in nubila.*

204. *inde* i. e. deinde, postquam advenas conspexit; de sententia cfr. Apoll. II, 8 seq.

205. *protonat* i. e. procul tonat, cfr. pronuntiare proclamare; tonare autem saepius legitur de vehementia orationis dictum.

206. *incipite:* VI, 196; Verg. Aen. IX, 741.

207. *auditas — oras,* de quibus audiverunt, sic *bona Helenae audita* Ov. her. XVI, 134; *mala* trist. III, 11, 60; *lacessere oras*, cfr. Luc. III, 193 *lacessitum — mare*; Stat. Theb. IV, 241 *arva lacessunt.*

208. *sin errore viae*: ex eis, quae antecedunt, audiendum *huc venistis.*

209 in Vat. legitur post 212, huc transposuit Schenkl.

211. *sic* i. e. hac conditione; indicativos *visit* et *remeant* in coniunctivos mutandi nulla est causa; *remeant* cum acerba ironia dicitur.

213. *cuncti* Vat., *functi* Burmann.

214. *frigida — humus*; Wagner: 'diu est ex quo non incaluerit sanguine caesorum humus'.

Digitized by Google

prima manu cui dona feram? mox omnibus idem
ibit honos. fuga sub terras, fuga nulla per auras.
nec lacrimae nec forte preces superive vocati
pectora nostra movent; aliis rex Iuppiter oris.
faxo Bebrycium nequeat transcendere puppis
ulla fretum et ponto volitet Symplegas inani.'
Talia dicta dabat, cum protinus asper Iason
et simul Aeacidae simul et Calydonis alumni
Nelidesque Idasque prior quae maxima surgunt
nomina; sed nudo steterat iam pectore Pollux.
tum pavor et gelidus defixit Castora sanguis.
nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis,

---

216. *dona* cum ironia dictum ut Verg. Aen. X, 882; de tota sententia cfr. Hom. Od. IX, 369 seq.

217. *ibit honos:* cfr. Ov. am. II, 15. 3 *munus eas gratum* de anulo dictum; artis III, 248 *inque nurus Parthas dedecus illud eat*; Stat. Theb. VI, 548 *has Adrastus opes dono victoribus ire Imperat.*

fuga sub terras, fuga nulla per auras: cfr. de sententia Verg. Aen. XII, 892 seq.

221. *Symplegas*; de singulari cfr. ad III, 228.

222. Apud Apollonium solus Pollux ad depugnandum paratus describitur.

223. *Calydonis alumni:* Tydeus et Meleager.

224. *Nelides* Vat., *Nelidae* Heinsius, quod receperunt Schenkl et Baehrens, sed etiam aliis locis invenimus similem incertae significationis patronymicorum usum, ut Stat. Theb. V, 407; X, 501 *Tyndarides*; Val. II, 427 *Aeacides*; singularis commendatur etiam voce, quae sequitur, *prior* i. e. quam Nelides. *Nelides* hoc loco videtur Periclymenus esse coll. I, 388. Paullo aliter se res habet in versu qui antecedit, ubi *aeacides* in Vat. legitur, quod facili et sueto errore ex *aeacide* (i. e. aeacidae) ortum esse potest.

226. *cum* Vat., *tum* Thilo; *defixit* i. e. tantopere commovit, ut obstupesceret et immotus staret; cfr. V, 455; VI, 534; Stat. Ach. I, 158.

227. Non videt pugnam, qualem inire solebat Pollux ludis Olympiis ante ora Jovis patris; cfr. Stat. silv. IV, 5, 27 seq. *Castor ad cunctos tremebat Bebryciae strepitus arenae.*

ad — ora idem quod *ante* vel *apud ora*, sic saepius apud Ovi-

Digitized by Google

nec sonat Oebalius caveae favor aut iuga nota
Taygeti, lavitur patrios ubi victor ad amnes,
nec pretium sonipes aut sacrae taurus harenae,
praemia sed manes reclusaque ianua leti.
illum Amycus nec fronte trucem nec mole tremendum
vixdum etiam primae spargentem signa iuventae
ore renidenti lustrans obit et fremit ausum,
sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes.
non aliter iam regna poli, iam capta Typhoeus

---

dium: her. XII, 34 *ad magnos deos*; am. II, 2, 25 *linigeram — ad Isin*; 53 *indicium securas prodis ad aures*; met. XIII, 2 *surgit ad hos* (duces) *Aiax*; trist. II, 472 *haec* (ars) *est ad nostros non leve crimen avos*; IV, 8, 22 *ponit ad antiquos, quae tulit arma, Lares* (cfr. her. XII, 128); Ibidis 160 *conscia fumabunt semper ad ora faces*; interdum etiam apud alios poetas: Verg. Aen. VII, 245 *libabat ad aras*; VIII, 106 *cruor fumabat ad aras*; Tib. I, 2, 62 *concidit ad magicos hostia pulla deos*; Stat. Theb. IX, 833 *reliqui sudant ad bella Furores*; Man. I, 21 *ad duo templa precor.*

228. *Oebalius caveae favor*, cfr. ad III, 4. *iuga nota* resonant clamore plaudentium.

230 seq. Eandem sententiam paullo aliter expressam invenimus apud Hom. Il, XXII, 159 seqq.

231. *reclusaque ianua leti:* Ov. met. I, 662 *praeclusaque ianua leti.*

233. Cfr. Apollon. II, 43.

234. *illum — lustrans obit*; cfr. Verg. Aen. X, 446 seq. *corpusque per ingens Lumina volvit obitque truci procul omnia visu*; similis est sententia IV, 362 seqq.

fremit ausum sc. eum esse; omittitur subiectum accusativi cum infinitivo ut VII, 319; 574; VIII, 403.

235. *furiis*, cfr. ad II, 80; vide etiam Verg. Aen. XII, 670 *ardentis oculorum orbis ad moenia torsit.*

236. Etiam apud Apollon. (II, 43) sed prorsus alia ratione Amycus cum Typhoeo comparatur. De pugna gigantum cogitat hoc loco Valerius et Typhoeum Palladis adversarium fingit; at in vasis Enceladus cum Pallade pugnans conspicitur, vide Gerhard auserles. Vasenb. I. p. 28 et 204 seq.; Overbeck griech. Kunstmythol. II, p. 344; 350 seqq.; Eurytus cum Baccho componitur Apollod. I, 6, 2, 2; Rhoetus apud Hor. c. II, 19, 23; Rhoetus et Enceladus cum Pallade c. III, 4, 55. Typhoeus autem non erat inter gigantes, sed singulari

Digitized by Google

astra ferens Bacchum ante acies primamque deorum
Pallada et oppositos doluit sibi virginis angues.
sic adeo insequitur rabidoque ita murmure terret:
'quisquis es, infelix celera puer; haut tibi pulchrae
manserit hoc ultra frontis decus orave matri
nota feres. tune e sociis electus iniquis?
tune Amyci moriere manu?' nec plura moratus
ingentes umeros spatiosaque pectoris ossa
protulit horrendosque toris informibus artus.
deficiunt visu Minyae, miratur et ipse
Tyndarides; redit Alcidae iam sera cupido
et vacuos maesto lustrant tum lumine montes.
at satus aequoreo fatur tunc talia rege:
'aspice et haec crudi durata volumina tauri;
nec pete sortis opem, sed quos potes indue caestus.'
Dixit et urguentis (pro sera piacula!) fati

---

certamine a Iove victus est, vide Overbeck l. l. II p. 339 seqq.; sane etiam ab Horatio c. III, 4, 53 inter gigantes videtur referri.

237. *ferens* i. e. iactans, ut Sil. IV, 150; cfr. etiam ad v. 199.

239. *adeo* i. e. praeterea, cfr. Cir. 198 et editoris 'Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus' p. 142.

242. *vota* Vat.; *nota* cod. Monac.; *tuneo* Vat.; *tune e* cod. Carr.

243. *tune Amyci moriere manu*: Verg. Aen. XI, 857.

nec plura moratus: Verg. Aen. V, 381.

244. Verg. Aen. V, 376; 422; Stat. Theb. VI, 754; Theocr. idyll. XXII, 46 seqq. Omnino conferenda descriptio eiusdem pugnae apud Theocr. l. l. 44—134; tum Daretis et Entelli apud Verg. Aen. V, 368—484; Alcidamantis et Capanei apud Stat. Theb. VI, 729—825.

245. *toris;* cfr. ad I, 253.

246. *visum in se* Vat., *visu Minyae* Pius; *deficiunt* i. e. consternantur; cfr. ad I, 331.

247. Cfr. Apollon. II, 145 seqq.

248. *lustrarunt* Vat., *lustrant tum* scripsi.

250. *crudis — tauris* Vat., *crudi — tauri* Thilo in annot. *tegmina cruda boum* caestus nominat Stat. Theb. VI, 733.

251. Apoll. II, 55.

252. *post* Vat., *pro* Madv. adv. II, 143.

Digitized by Google

nescius extremum hoc armis innectere palmas
dat famulis; dat et inde Lacon. odia aspera surgunt
ignotis prius atque incensa mente feruntur
in medium sanguis Iovis et Neptunia proles.
hinc illinc dubiis intenta silentia votis.
et pater orantis caesorum Tartarus umbras
nube cava tandem ad meritae spectacula pugnae
emittit; summi nigrescunt culmina montis.
continuo Bebryx, Maleae velut arce fragosa
turbo rapax, vix ora virum, vix tollere passus
bracchia torrenti praeceps agit undique nimbo

253. Apoll. II, 66.

255. *innectere palmas dat;* nota constructio apud poetas, velut Verg. Aen. I, 66; 319; V, 248 al.; cfr. Kuehn. gramm. lat. II, § 125, 6 c.

armis innectere palmas: Verg. Aen. V, 425.

258. *caesorum* sc. ab Amyco, *pater — Tartarus* nullo alio loco pro deo inferorum videtur reperiri. Sententiam imitatus est Stat. Theb. XI, 420 ubi *Tartareus rector* manes exire iubet, qui *montibus insidunt patriis tristique corona Infecere diem.*

259. *merita pugna* est ea, qua perire meruit Amycus; *poenae* coniectura, quam proposuit Wagner, receperunt Schenkl et Baehrens, quamquam facilem habet explicatum, tamen non necessaria videtur.

260. *nigrescunt culmina* quippe obsessa ab umbris.

261. *Maleam* promontorium infame fuisse propter procellas vel ex Homero notum, vid. Od. III, 287 seqq.; IV, 514 seqq.; IX, 80; *saeva* Malea apud Prop. III, 19, 8; *rauca* Stat. Theb. VII, 16; cfr. Strab. VIII, 6, 20.

arx fragosa est sonoris tempestatibus icta 'sturmumbraust', cfr. inter alia Iuvenc. III, 229 *fragosa ventorum rabies.* Apud Apoll. II, 71 ardor Amyci confertur cum unda maris in navem irruente.

262. Eadem ratione Pollucem rex aggreditur, qua eum usum esse contra Otreum narraverat Dymas v. 166 seq., sed peritia et velocitate Pollux ictus adversarii eludit; cfr. Stat. Theb. VI, 766 seqq.

263. *torrentem* translate solere dici de flumine orationis notum, multo rarius ad alias res transfertur, imprimis apud Silium: III, 52 de undis Oceani; V, 384 de nimbo, ut loco Valeriano; XII, 189 et

Digitized by Google

cursibus involvens, totaque immanis harena
insequitur. vigil ille metu cum pectore et armis
huc alternus et huc, semper cervice reducta,
semper et in digitis et summi pulvere campi,
proiectusque redit. spumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri

XVI, 213 de viris armatis; XIII, 760 de turba umbrarum ad inferos descendentium; praeterea cfr. torrentem de cupiditatibus hominum dictum apud Luc. IV, 818; de fato irruente VII, 505; *nimbus* saepius invenitur positum de multitudine densorum telorum, ut Luc. IV, 776; Sil. IX, 311; XII, 177; Stat. Theb. IX, 526; Prud. psych. 129; Coripp. Ioh. VI (V) 633; VIII (VII), 452.

264. *cursibus involvens* i. e. circumdans, circumcursans; modo Amycus a fronte, modo a tergo vel a latere conatur aggredi, ut etiam nimbus omnia involvit; de re cfr. Verg. Aen. V, 441 seq.

265. *cum pectore et armis huc alternus et huc;* mire et audacter neque eleganter dictum pro eo quod est: 'pectus et bracchia caestu armata alternis modo huc modo illuc versat'; adiectivum *alternus* rarissime, ut hoc loco et VI, 231, ad substantivum appositum reperitur, quamquam vicissitudo non pertinet ad substantivum, sed ad actionem, quae cum illa substantivi notione aliquo modo coniuncta est; paullo aliter se habent loci, quales sunt Ov. fast. I, 176 *et damus alternas accipimusque preces* vel II, 234 *vulneraque alterna dantque feruntque manu.*

266 seq. In hoc statu conspiciuntur duo pugiles in vase picti apud Baumeist. monum. I, 524: in digitos arrecti alter stat dextro pede, alter sinistro, alteris pedibus proiectis; cfr. etiam Verg. Aen. V, 426; Apollon. II, 90 et de *cervice reducta* Stat. Theb. VI, 751 et Verg. Aen. V, 428.

267. *summi pulvere campi:* vix vestigia solo impressit Pollux, ita celeriter et leviter cucurrit; cfr. Verg. georg. III, 194; Ov. met. X, 653; Claud. de tert. cons. Hon. 197 seqq.; Calpurn. eclog. VI, 56; Sil. IV, 147; XIV, 507; vide etiam, quae de velocitate Euphemi narrat Apollon. I, 180 seqq. et quae nos diximus ad I, 364.

268. *proiectusque*; artis luctandi proprium videtur vocabulum significans contrarium ei, quod est *cervice reducta.* Comparationem navis quae sequitur expressit Valerius ex Apollon. II, 70 seqq.

269. *Pliade*, i. e. tempestate a Pliade profecta, cfr. II, 357.

Digitized by Google

cura tenet, rapidum ventis certantibus aequor
intemerata secat, Pollux sic providus ictus
servat et Oebalia dubium caput eripit arte.
ut deinde urguentes effudit nubibus iras
ardoremque viri, paulatim insurgere fesso
integer et summis manibus deducere caestus.
ille dies aegros Amyci sudoribus artus
primus et arenti cunctantem vidit hiatu:

270. *rapidum* dicitur aequor propter undas procellis celeriter actas, ut Ov. met. VI, 299; *fretum* Ov. her. VII, 142; *Hellespontus* Luc. II, 675; *mare* Tibull. IV. 1, 126.

271. De sententia cfr. Stat. Theb. VI, 769 seqq.

272. *dubium caput* i. e. periculis obiectum, unde num servari possit, dubium est; sic *via dubia* Ov. her. XVII, 154; *Cydippe* XIX, 199; *rates* artis I, 558 et II, 514 et Tib. II, 3, 40; *pinus* (navis) fast. II, 101; *Ovidius* (cum tempestate iactaretur) trist. I, 11, 13 et III, 2, 15; *puppis* ex Pont. II, 5, 62; *prora* Paul. vit. Mart. II, 6; *mundus* Luc. II, 248; *urbes* Lucr. V, 1235 et Coripp. Ioh. I, 72; *aeger* Iuv. XIII, 124; *in dubio* (loco periculoso) *locare* Sen. Agam. 59. De eripiendi verbo cfr. ad I, 88.

273. *nubibus* dicit Valerius cum superlatione non insueta pro aere. Neque merito haeserunt nonnulli in eo, quod Pollux dicitur iras Amyci in nubes effudisse i. e. elusisse, ita ut inanes eius ictus fierent; effundendi verbo simili ratione utitur Luc. IX, 332 *arboribus caesis flatum effudere prementem* i. e. fecerunt, ut eventu flatus careret; paullo aliter dicit Verg. Aen. V, 446 *Entellus vires in ventum effudit* sc. suas.

275. Verba obscure dicta: scripturam traditam *summos manibus deducere caestus* Wagner intellegit Pollucem caestus e bracchiis manibus propius admovisse, quod omnino fieri non potuit caestibus firmissime ad manus et bracchia adstrictis neque quidquam proficitur Thilonis explicatione praef. p. 92 dicentis, summos caestus esse clavos et squamas, quibus caestus caelati essent. Scripsi *summis*, ut evadat haec sententia 'sublatis manibus Amycum aggressus caestibus ferit'; aliud sane exemplum huius notionis *summi* adiectivi non mihi in promptu est, sed cfr. *arduam dexteram* apud Ov. her. X, 102.

deducere sc. in Amycum, id quod demittere: 'niederfallen lassen'.

276. Verg. Aen. VIII, 222.

Digitized by Google

nec sua defessum noscunt loca nec sua regem
agmina. respirant ambo paulumque reponunt
bracchia, ceu Lapithas aut Paeonas aequore in ipso
cum refovet fixaque silet Gradivus in hasta.
vix steterant, et iam ecce ruunt inflictaque late
terga sonant; nova vis iterum, nova corpora surgunt.
hunc pudor, hunc noto iam spes audentior hoste
instimulat. fumant crebro praecordia pulsu.
avia responsant gemitu iuga: pervigil ut cum
artificum notat ipse manus et fulmina Cyclops

278. Verg. Aen. XII, 903 *sed neque currentem se nec cognoscit euntem* 'er kennt sich nicht wieder', atque solet adhiberi cognoscendi verbum etiam in prosa oratione ad hanc notionem exprimendam, noscendi simplici verbo usi sunt Sen. Oed. 819; 847; Sil. XV, 708; Stat. Theb. II, 62; Plaut. Trin. 445.

279. Apollon. II, 85 seq.; Stat. Theb. VI, 798.

280. *Paeonas* cur Centauros interpretes intellegant, causam non video: est gens Macedoniae, quam pro gente qualibet bellicosa harum regionum posuit poeta; sin vero de Lapitharum et Centaurorum pugna cogitasset, sine dubio *et* pro *aut* scripsisset neque *aequor* i. e. campum planum et apertum pugnandi commemorasset.

281. De collocatione *cum* particulae cfr. ad I, 623.

silet Gradivus in hasta, cfr. ad I, 641.

282. *inflictaque — terga* sc. tauri, i. e. caestus, ut Verg. Aen. V, 403; 419.

283. Tam integrae apparent vires, quasi novis corporibus viri praediti sint; cfr. V, 365 *mole nova* de corpore Iasonis a Iunone aucto et quasi redintegrato.

285. *fumant praecordia* dictum de pectore propter vehementissimam contentionem anhelo, cfr. Sil. I, 530 seq. *tum creber penitusque trahens suspiria sicco Fumat ab ore vapor nisuque elisus anhelo Auditur gemitus*; Stat. Theb. VIII, 400 *pariter suspiria fumant*.

286. *responsant*: Verg. Aen. XII, 757.

287. *notata et* Vat., *notat ipse* cod. Carr.; *ipse* est Vulcanus, qui officinas Cyclopum invisit et inspicit; recte ita explicavit locum Dorville ad Charitonem p. 592; *ipse* pro domino ponitur non solum in sermone cotidiano, sed etiam apud poetas, velut Ovid. met. II, 389 seq. *si nemo est omnesque dei non posse fatentur Ipse agat* (sc. dominus deorum Iuppiter currum Solis); trist. V, 11, 11 *maxima*

prosubigit, pulsis strepitant incudibus urbes.
emicat hic dextramque parat dextramque minatur
Tyndarides; redit huc oculis et pondere Bebryx
sic ratus, ille autem celeri rapit ora sinistra.
conclamant socii et subitas dant gaudia voces.
illum insperata turbatum fraude furentemque
Oebalides prima refugit dum detonet ira,

---

poena mihi est, ipsum offendisse i. e. dominum sive principem; *notat* autem idem est quod inspicit, vid. Cic. or. Phil. V, 20 *possessiones notabat et urbanas et rusticas*, sc. ut cognosceret, quanti essent; cfr. etiam Ov. met. III, 595 seqq. Denique *manus* pro eo, quod artificum manu elaboratum est, etiam apud alios reperitur, velut Mart. IV, 39, 3: *solus Praxitelus manum Scopaeque — solus Mentoreos habes labores*, vel Stat. silv. I, 3, 47 *vidi artes veterumque manus variisque metalla Viva modis.* Itaque non est, quod propter latinitatem verba in cod. Carr. tradita in suspitionem vocemus.

288. *prosubigit*: hoc quoque verbum recte explicavit Dorville l. l.: 'primas massas in fulminis figuram procudit; mox ab domino ipso perpolientur'.

De re cfr. Verg. Aen. VIII, 419 seqq.

289. *dextramque parat dextramque minatur*: cfr. Verg. Aen. X, 810 *Lausum increpitat Lausoque minatur.*

dextramque minatur, cfr. ad I, 338.

290. *pondere* sc. corporis dicunt interpretes, quod falsum videtur: non corpus ictibus opponit Amycus, sed pondus caestuum, quibus ictum Pollucis vitare conatur.

291. *sic ratus* sc. fore.

rapit ora: ut *rapere* omnino significat celeriter agere vel celeriter aliquid facere, de qua notione cfr. ad II, 665; III, 341; 692; V, 271, sic hoc loco valet celeriter ferire, vulnerare, cfr. Luc. IX, 684 *rapta — Gorgone* i. e. celeriter interfecta; X, 517 *non cruce, non flammis, rapuit non dente ferarum* (Pothinum); Sil. VII, 704 *ora rapit gladio*; XV, 807 *rapit infidum victor caput*, ubi sane est caput celeriter abscidere, et sic Iuvenc. IV, 524 *rapuit vi vulneris aurem.* Similis pugilis dolus narratur Stat. Theb. VI, 779.

292. *dant gaudia voces* i. e. praebent, sive 'oriuntur ex gaudio voces'.

294. *dum detonet* 'bis er sich austobe', ex imitatione Verg. Aen. X, 809.

Digitized by Google

territus ipse etiam atque ingentis conscius ausi.
saevit inops Amycus nullo discrimine sese
praecipitans, avidusque viri (respectat ovantes
quippe procul Minyas) caestuque elatus utroque
inruit. hos inter Pollux subit et trucis ultro
advolat ora viri: nec spes effecta, sed ambae
in pectus cecidere manus. hoc saevior ille
ecce iterum vacuas agit inconsulta per auras
bracchia. sentit ubi Pollux rationis egentem,
dat genibus iunctis latus effusumque secutus

295. De postposita *etiam* coniunctione vid. ad I, 514.

ingentis conscius ausi: Verg. Aen. XI, 812; de sententia tota cfr. Stat. Theb. VI, 805.

296. *saevit inops*: Verg. Aen. IV, 300; *nullo discrimine*, utrum tuto an cum periculo se praecipitet.

297. *avidusque viri* cum brevitate non ineleganti dictum est.

298. *tunc caestu velatus* Vat., *caestuque elatus* Heinsius.

300. *nec spes effecta* sc. fore ut ora Amyci feriret; spes autem dicitur pro re sperata, cfr. ad VII, 426.

302. *inconsulta* bracchia dicuntur eius, qui ipse est inconsultus: de hac enallage vid. ad I, 109.

303. Amycus, cuius ictum Pollux velociter declinans vitavit, praeter adversarium ipsa ictus inanis vehementia protractus proruit, quo fit, ut iam a tergo eius Pollux sit, qui regem ictibus geminatis se convertere aut respirare non sinit et postremo ictu mortifero cervices eius frangit. Cfr. Stat. Theb. VI, 802 seqq.

sentit enim Vat., *sentit ubi* Thilo in annot.

rationis egentem: Verg. Aen. VIII, 299.

304. *dat genibus iunctis latus* i. e. non pectus latum offert Amyco, sed celeri corporis conversione et iunctis pedibus ei latus, quod angustius est, obvertit, praeter quod Amycus ictum in vanum aera effudit simulque ipse praeceps ruit; de effundendi notione cfr. Verg. Aen. XI, 485 *portisque effunde* (i. e. prosterne) *sub altis* (Aeneam); XII, 276 *fulvaque effundit arena* (iuvenem); 380; 532; Luc. IX, 56 *gelidos effusa per artus* de Cornelia viri corpus mortuum complectente; paene igitur in eo erat, ut Amycus in terram caderet, nam quominus eum re vera cecidisse statuamus, eis, quae sequuntur, prohibemur; cecidit re vera in tali conditione Entellus apud Verg. Aen. V, 446 seqq.; cfr. etiam Stat. Theb. VI, 803.

Digitized by Google

haud revocare gradum patitur, turbatque premitque
ancipitem crebros et liber congerit ictus
desuper averso; sonat omni vulnere vertex
inclinis ceditque malis. iam tempora manant
sanguineaeque latent aures, vitalia donec
vincula, qua primo cervix committitur artu,
solvit dextra gravis. labentem propulit heros
ac super insistens 'Pollux ego missus Amyclis
et Iove natus' ait, 'nomen mirantibus umbris
hoc referes, sic et memori noscere sepulchro.'
Bebrycas extemplo spargit fuga; nullus adempti

305. *revocare gradum* i. e. convertere, ut Verg. Aen. VI, 128; de tota sententia cfr. Verg. Aen. V, 456 seqq. et Stat. Theb. VI, 788 seqq.

306. Praeter consuetudinem *anceps* dicitur ipse homo, qui in periculo versatur.

liber sc. ab omni periculo ab Amyco imminente, ita ut ictus vitare iam non opus esset.

308. *sonat omni vulnere vertex*; ut aliis locis vulnus pro telo ponitur quo quis vulneratur, de qua notione vid. ad III, 197, sic hoc loco pro verbere, quo Amycus feritur: nullus ictus in cassum cadit.

310. *qua primo cervix committitur artu* sc. capiti; primus artus est prima vertebra cervicalis.

Consentit Valerius cum Apoll. II, 97; Apollod. I, 9, 20, 2; Hyg. fab. 17; myth. Vat. I, 93; II, 140; schol. Stat. III, 353 in eo, quod Amycum occisum esse narrat; Pisandrum et Epicharmum eum a Polluce vinctum esse tradidisse docemur a schol. Ap. II, 98; Theocr. id. XXII, 131 seqq. tradit, vitam condonasse Pollucem Amyco, sed eum coegisse ut iuraret, se posthac hospitibus ultro nunquam exitium illaturum; ad rupem alligatus depingitur Amycus in vase apud Gerhard auserl. Vasenb. III tab. 153; a Polluce ad arborem alligatur in cista ficoronica. Singulare est, quod Ptolem. c. 5 p. 191 ed. West. non Pollucem sed Iasonem cum Amyco pugnasse tradit.

313. De sententia cfr. Verg. Aen. II, 547; XI, 688 seq.

314. *memori noscere sepulcro* acerbe dictum: sepulcrum Amyci non tam insigne erit propter clarissimum pugilem ibi conditum, quam quod caesus iacet a Polluce.

315. Apud Apollon. et Apollod. l. l. (Orph. Arg. 666) Bebryces rege interfecto non fugiunt, sed Argonautas adoriuntur.

Digitized by Google

regis amor; montem celeres silvamque capessunt.
haec sors, haec Amycum tandem manus arcuit ausis
effera servantem Ponti loca vimque iuventae
continuam et magni sperantem tempora patris.
tenditur ille ingens hominum pavor arvaque late
occupat, annosi veluti si decidat olim
pars Erycis vel totus Athos; qua mole iacentis
ipse etiam expleri victor nequit, oraque longo
comminus optutu mirans tenet. at manus omnis
heroum densis certatim amplexibus urguent,
armaque ferre iuvat fessasque attollere palmas.
'salve vera Iovis, vera o Iovis' undique 'proles'
ingeminant, 'o magnanimis memoranda palaestris
Taygeta et primi felix labor ille magistri!'
dumque ea dicta ferunt, tenues tamen ire cruores

317. *arguit* Vat., *arcuit* Heinsius.

319. *sperantem tempora patris* i. e. se immortalem futurum.

320. *tenditur* i. e. humi prosternitur, ut VI, 716 *venit hiems nigraque avulsam* (oleam) *tendit harena*; Stat. Theb. XI, 12 *quantus Apollineae temerator matris Averno Tenditur* e. q. s.; indicatur verbo ingens magnitudo corporis.

De *pavoris* notione cfr. ad I, 23. Etiam hoc loco superlatio modum excedit, sed habet poeta auctorem Verg. Aen. XII, 701 seqq.

321. *arvaque late occupat*: cfr. ad VI, 553.

323. Tacite diu mirans contemplatur Pollux molem victi adversarii: cfr. Verg. Aen. VIII, 265; 618.

ora — tenet, cfr. ad v. 189.

326. *armaque ferre iuvat* vix sanum esse potest, cum ex v. 332 appareat, ne tum quidem Pollucem caestus exuisse; nam de armis Amyci, ut putat Burmann, cogitare non licet. An indicare voluit Valerius ferri 'palmas fessas' simulque arma eis iuncta?

327. Verg. Aen. VIII, 301.

328. *ingeminant*, identidem exclamant, cfr. Verg. Aen. II, 770; (I, 747;) Ov. met. I, 653; Stat. Theb. II, 453; XII, 686; Iuvenc. I, 111; Coripp. in laud. Iust. III, 83.

330. *dumque ea dicta ferunt* i. e. dum ea dicunt, cfr. ad II, 282; non recte cft. Burmann locos, qualis est VII, 544, ubi *dicta ferre* idem valet atque *nuntium ferre*.

Digitized by Google

siderea de fronte vident; nec sanguine Pollux
territus averso siccabat vulnera caestu.
illius excelsum ramis caput armaque Castor
implicat et viridi conectit tempora lauro,
respiciensque ratem 'patriis' ait 'has precor oris,
diva, refer frondes cumque hac freta curre corona.'
dixerat. hinc valida caedunt armenta bipenni
perfusique sacro placati gurgitis amne
graminea sternuntur humo; tunc liba dapesque
frondibus adcumulant; exsortia terga Laconi

331. *siderea de fronte*, cfr. ad II, 104 et Apoll. II, 41.

tenues cruores indicant, leviter modo Pollucem esse vulneratum, plurali *cruores* autem significatur, continuo sanguinem ex vulnere profluere, ut VI, 705; VIII, 241; Verg. Aen. IV, 687.

332. *averso caestu* i. e. ea parte caestus, quae, quia ad feriendum non adhibebatur, plumbo non durata eoque paullo mollior erat.

333. *armaque* Vat., recte ut videtur.

334. Verg. Aen. V, 539; Apoll. II, 159 seqq.

336. *diva* intellegenda navis, quae est fatidica et posita in tutela singulari Minervae et Iunonis. An respicitur simulacrum deae tutelaris, de qua cfr. ad I, 301?

freta curre; sic etiam aliis nonnullis locis imprimis apud poetas spatium, per quod curritur, solo accusativo exprimitur: Verg. Aen. III, 191; V, 235; Ov. trist. V, 7, 36; ex Pont. I, 3, 76; Sid. IX, 16; cfr. ad V, 669.

338. *placatum gurgitem* mare intellegit recte Burmann, quandoquidem filius Neptuni occisus erat et propterea deus marinus placari debebat. *amnis* autem interdum dicitur aqua marina, ut infra 345; Verg. georg. IV, 233; Tib. II, 5, 61; III, 4, 18; Alcim. Avit. IV, 441 *non aliter Tanais, nivibus cum pascitur albis, Riphaeo de monte ruens illiditur amni.*

339. *graminea — humo*, cfr. ad II, 631.

liba dapesque frondibus adcumulant i. e. largas dapes subiectis frondibus imponunt; sic scripsit Ovidius fast. II, 122 *fastis accumulatur honos* i. e. largus honor tribuitur; Sil. II, 336 *tanta accumulat praeconia leto vulneribusque virum*; simpliciter *accumulant epulas* dixit Sil. XI, 428 sc. mensae.

340. *exsortia terga; exsortem honorem* scripsit Verg. Aen. V, 534; *exsortem* (equum) VIII, 552.

Digitized by Google

praecipiunt pecudum. toto mox tempore mensae
laetus ovat nunc laude virum nunc vatis honoro
carmine, victori geminans cratera parenti.
Iamque dies auraeque vocant, rursusque capessunt
aequora, qua rigidos eructat Bosporos amnes.
illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
transierat fluctus, unde haec data nomina ponto.
tum pius Oeagri claro de sanguine vates,
admonita genetrice, refert casusque locorum
Inachidosque vias pelagusque emensa iuvencae
exilia intentisque canit. 'videre priores
saepe Iovem in terras Argivaque regna Pelasgum
virginis Iasiae blandos descendere ad ignes.

---

343. Bis libat Pollux Iovi patri.

344. Hanc, quae sequitur, digressionem de Ione Valerius ipse inseruit alienam a totius carminis argumento, ut recte iudicant Wagner et Moltzer de Apoll. Rhod. et Val. Fl. Argonauticis p. 71. Cfr. Ovidium Ionis fata narrantem met. I, 583 seqq.

345. Fluctus ex Ponto Euxino per Bosporum in Propontidem indeque in mare Aegaeum ferri notum est, *rigidi* autem dicuntur amnes, quia hae undae ex Ponto profluentes frigidiores sunt undis maris Aegaei, cfr. Athen. VII, c. 104, ubi undae Hellesponti frigidae esse dicuntur.

348. Orpheus Oeagri et Calliopes Musae filius plerumque dicitur; Apollod. I, 3, 2; Eratosth. catast. p. 138 Rob.; Conon c. 45 ed. W.: myth. Vat. I, 76; II, 44; Hyg. fab. XIV; astron. II, 7; schol. Germ. p. 151, 6 et 16; schol. Eurip. Rhes. v. 347; Orph. Argon. 76; interdum Apollinis filius nominatur; cfr. myth. Vat. I, 76; schol. Apoll. I, 23; Apollod. l. l. et eius rei explicationem, quam profert schol. Pind. Pyth. IV, 313.

349. *admonita genetrice*, sc. ut se canentem iuvaret: verbum proprium advocandi vel invocandi versus dactylicus non admittebat.

352. *in* om. Vat., add. Heinsius.

353. *ignes*, ut V, 110; VII, 253.

Cum v. 350 poeta Ionem Inachidem nominarit et 357 Inachiam, vituperat Wagner poetam, quod sibi non constiterit eam Iasiam i. e. Iasii filiam nominando; at non perspexit, hoc loco Valerium Iasiam

Digitized by Google

sentit Iuno dolos curaque accensa iugali
aethere desiluit; dominam Lyrceia tellus
antraque deprensae tremuerunt conscia culpae.
tum trepida Inachiae paelex subit ora iuvencae
sponte dei; plausu fovet hanc et pectora mulcet
Iuno renidenti cohibens suspiria vultu.
mox ita adorta Iovem: 'da quam modo ditibus Argis
campus alit primae referentem cornua Phoebes
indomitamque bovem, da carae munera nuptae.
ipsa ego dilectae pecudi iam pascua digna
praecipuosque legam fontes'. qua fraude negaret,
aut quos inventos tenuisset Iuppiter astus?
muneris illa potens custodem protinus Argum
adiungit; custos Argus placet, inscia somni
lumina non aliter toto cui vertice, quam si
Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro.

---

pro Argiva dixisse, cfr. ad III, 284; ne id quidem recte intellexit W. non ipsam virginem 357 Inachiam dici.

355. Lyrceum est mons Argolidis, ubi Inachi fontes oriuntur, vid. Strab. VIII, 6, 7; *Lyrceia tellus* igitur pro Argiva dicta est.

357. *cum* Vat., *tum* ed. Iunt. *subit ora* i. e. figuram induit; etiam aliis locis ora indicant non solum vultus, sed totam corporis figuram: IV, 395; Lucr. IV, 174; VI, 254; Verg. Aen. XII, 335; Ov. her. XIV, 108; Stat. silv. III, 3, 12.

361. *referentem cornua*; vid. ad II, 272.

364. *qua fraude negaret* i. e. quam fraudem commentus poterat Iuppiter recusare, quominus Iunonis precibus obsequeretur.

365. *inventus* Vat., *inventos* Harless; *timuisset* Vat., *tenuisset* Harless. Explicationem autem Harlessii non probandam puto, sed sic potius locum intellegendum: quos astus Iuppiter, si invenisset, tenuisset? 'würde er dem Drängen der Iuno gegenüber fest gehalten haben'.

368. de *cui* pronominis collocatione cfr. ad I, 773.

369. *Lyda nurus*, cfr. ad II, 111; de feminis Lydis eius artis, quae hoc loco commemoratur, peritis cfr. Claud. de rapt. Pros. I, 275.

maculaverit i. e. variis coloribus pinxerit, cfr. VI, 704 *multo maculatam murice tigrim* i. e. pellem tigridis; Verg. Aen. I, 323 *maculosae tegmina lyncis* cum dicit, de colore naturali cogitat.

Digitized by Google

Argus et in scopulos et monstris horrida lustra
ignotas iubet ire vias heu multa morantem
conantemque preces inclusaque pectore verba.
ultima tum patriae cedens dedit oscula ripae.
flevit Amymone, flerunt Messeides undae,
flevit et effusis revocans Hyperia lacertis.
illa ubi vel fessi tremerent erroribus artus,
vel rueret summo iam frigidus aethere vesper,
heu quotiens saxo posuit latus! aut ubi longa
aegra siti, quos ore lacus, quae pabula carpsit!
verbere candentes quotiens exhorruit armos!
quin et ab excelso meditantem vertice saltus
audentemque mori valles citus egit in imas
Argus et arbitrio durus servavit erili:

---

372. *conantem preces* sc. proloqui; sic fortasse Verg. Aen. IX, 398 *conantem plurima.*

374. *Amymone* est fons Argolidis: Ov. met. II, 240; Strabonis VIII, 6, 8; Plin. hist. nat. IV, 17.

Messeides undae item ut *Hyperia* in Thessalia fluere dicuntur: Plin. nat. hist. IV, 29; 30; Strab. IX, 5, 6; 18; at id hoc loco non facile admitti posse videtur, sed respexit Valerius locum Hom. Il. VI, 456 seq. καί κεν ἐν Ἄργει ἐοῦσα πρὸς ἄλλης ἰστὸν ὑφαίνοις καί κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηίδος ἢ Ὑπερείης; cfr. schol. ad hunc locum et Paus. II, 30, 8, ubi oppidum Hyperia Argolidis commemoratur, et III, 20, 1, ubi fontem Messeidem prope Therapnen fuisse dicit. De sententia cfr. Verg. Aen. VII, 759 seq.

375. *effusis lacertis*; cfr. ad I, 762.

379. Cfr. de Ione dicta Ov. met. I, 632 seqq. *amara pascitur herba Proque toro terrae non semper gramen habenti Incubat infelix limosaque flumina potat*; Prop. II, 33, 11 *quotiens quernis laesisti frondibus ora.*

380. *candentes armos* est accusativus graeco more positus et candentes armi nominantur utpote transmutati ex candentibus virginis umeris, cfr. Ov. met. X, 700 *ex umeris armi fiunt* de Hippomene et Atalanta in leones conversis. Dico propter Burmannum, qui Valerii verba non recte explicavit.

383. *arbitrio — erili* i. e. Iunonis.

Digitized by Google

cum subito Arcadio sonuit cava fistula ritu
imperiumque patris celerans Cyllenius ales
advenit et leni modulatur carmina avena,
'quoque' ait 'hinc diversus abis? heus respice cantus'.
haud procul insectans Argum languentia . . . . .
lumina cuncta notat dulcesque sequentia somnos,
et celerem mediis in cantibus exigit harpen.
iamque refecta Iovi paulatim in imagine prisca

384. *Arcadia sonuit — fistula ritu*; syrinx a Pane Arcadum deo inventa est, cfr. quae narravit Ov. met. I, 690 seqq.

386. *modulatur carmina avena*: cfr. Verg. eclog. X, 51 et primum versuum eorum, qui Aeneidi praemittuntur.

387. *quo — diversus abis*; cfr. VI, 581; Verg. Aen. V, 166; XI, 855.

388. Ultimum versus vocabulum in Vat. excidit; Baehrens scripsit *languentia iam iam*. Ceterum etiam ante hunc versum nonnulla videntur excidisse.

390. *exigit harpen*; audiendum est *e vagina* et valet gladium stringere; sic etiam dicitur *gladium educere*, ut Sal. Cat. 52, 36; Caes. de bell. g. V, 44. Non addidit poeta, quem gladio educto percusserit Mercurius; ex tota autem loci ratione, qui interfectus sit, apparet. Apud alios poetas non raro additur, per quem gladius vagina exactus traiiciatur, velut Verg. Aen. X, 682 *per costas exigat ensem*; 815 *exigit ensem per medium Aeneas iuvenem*; Ov. met. IV, 734 *exegit — per ilia ferrum*; Luc. X, 32 *gladiumque per omnes exegit gentes*; Sen. Agam. 199 *per tuum latus — exigatur ensis*; Stat. Theb. X, 309 *ferrum per pectus Agylleus exigit* aliisque locis non paucis. Subest breviloquentia quaedam dicendi, cum proprie dicendum fuerit gladium vagina exigi exactumque per hominem transigi. Inde autem factum, ut etiam, ubi de educendo ferro iam cogitari non possit, exigendi verbum interdum scribatur ad simplicem notionem transigendi exprimendam, ut Sil. I, 307 *exacti per viscera teli* i. e. iaculi, quod v. 305 commemoratur, vel adeo IX, 584 seq. *per membra per arma Exigit Ufentis sceleratum belua dentem.*

harpe est ensis falcatus, quo Mercurius uti solebat: Ov. met. I, 717; IV, 727; V, 69; 176; Luc. IX, 662; 676; schol. Germ. p. 82 (Perseus) *accepit talaria et harpen a Mercurio*; cfr. Prelleri graec. mythol. II^3, 41 annot. 4.

391. *refecta Iovi* i. e. in pristinam virginis formam mutata; cfr.

Digitized by Google

ibat agris Io victrix Iunonis, et ecce
cum facibus spirisque et Tartareo ululatu
Tisiphonen videt: ac primo vestigia visu
figit et in miserae rursus bovis ora recurrit,
nec qua valle memor, nec quo se vertice sistat.
Inachias errore etiam defertur ad undas
qualis et a prima quantum mutata iuvenca!
nec pater aut trepidae temptant accedere nymphae.
ergo iterum silvas, iterum petit invia retro
ceu Styga dilectum fugiens caput; inde per urbes
raptatur Graias atque ardua flumina ripis,
oblato donec paulum cunctata profundo
incidit: absistunt fluctus et gnara futuri
dant pavidae alta viam; celsis procul ipsa refulget

Apul. met. I init. *figuras fortunasque hominum in alias imagines conversas et in se rursum mutuo nexu refectas ut mireris exordior.*

in imagine prisca, cfr. II, 174.

393. *spirisque* sc. anguium.

De exitu versus cfr. Verg. Aen. IV, 667; vide praeterea Val. VII, 405; VIII, 259; eadem discrepantia inter accentum et ictum invenitur I, 842.

394. Oestro Ionem agitatam esse a plerisque narratur; Valerius consentit cum Ovid. met. I, 725, qui Erinyn nominat.

395. Bis formam Ionis in vaccam mutatam esse ipse Valerius finxit.

396. *quo* Vat., *nec quo* ed. Bon. et Ald.

non memorem Ionem dicit Valerius, quae inops est consilii neque considerat aut scit, quid faciat.

398. *a prima quantum mutata iuvenca*: Verg. Aen. II, 274; *prima* pro *priore*, in quam antea mutata fuerat longe pulchriorem, cfr. ad III, 501.

401. *Styx* ponitur tanquam res maxime abominanda et fugienda, vid. Hom. Il. IX, 312; Od. XIV, 156.

402. *ardua flumina ripis* pro eo quod est flumina arduis ripis, cfr. ad III, 4.

405. *pavida* Vat., quod quamquam explicari potest, tamen sententiae magis aptum videtur *pavidae* in ed. Bon. et Ald. receptum.

Digitized by Google

cornibus ac summa palearia sustinet unda.
ast Erebi virgo ditem volat aethere Memphin
praecipere et Pharia venientem pellere terra.
contra Nilus adest et toto gurgite torrens
Tisiphonen agit atque imis inlidit harenis
Ditis opem ac saevi clamantem numina regni.
apparent sparsaeque faces disiectaque longe
verbera et abruptis excussi crinibus hydri.
nec Iovis interea cessat manus. intonat alto
insurgens caelo genitor curamque fatetur,
atque ipsa imperium Iuno pavet. haec procul Io
spectat ab arce Phari iam divis addita, iamque
aspide cincta comas et ovanti persona sistro.
Bosporon hinc veteres errantis nomine divae
vulgavere. iuvet nostros nunc ipsa labores
immissisque ratem sua per freta provehat Euris'.

---

407. *volat praecipere*; de infinitivo Graeco more posito cfr. Kuehn. gramm. lat. II, § 125, 6a.

aethere pro eo quod est per aethera; vid. Kuehn. gr. lat. II, § 79, 2 f.

408. Verg. Aen. X, 277.

410. *inlidit harenis*: Ov. her. XVIII, 201.

411. *saevi regni* sc. Plutonis, quae tristia regna nominat Hor. c. III, 4, 46.

415. *genitor* sc. deum, ut dicit Ovid. am. I, 13, 45; *divom genitor* Catull. 64, 27.

417. *Phari* om. Vat., add. ed. Carr. alt.

418. *aspide cincta comas* aliis locis Io vel Isis non dicitur, sed comes eius est aspis vel aspides, ut Ov. met. IX, 693; am. II, 13; cfr. etiam descriptionem Isidis apud Apul. met. XI, 3.

persona: activa notione praeditum est hoc loco adiectivum; contra passiva Stat. Ach. I, 208 *littora persona ludo*; Petron. c. 120, 72 *persona cantu — virgulta*.

419. *Bosporon — vulgavere* i. e. vulgo nominavere.

421. *euris* codd., quod non videtur mutandum in *auris*, cum saepius poetae pro generali venti notione unum certum ventum substituant, non curantes, utrum is ipse ventus an fortasse contrarius potius nominandus fuerit.

Digitized by Google

Dixerat. et placidi tendebant carbasa venti.
postera non cassae Minyis Aurora retexit
noctis iter; nova cuncta vident Thyneaque iuxta
litora fatidici poenis horrentia Phinei,
dura deum summo quem vis urguebat in aevo.
quippe neque extorrem tantum nec lucis egentem
insuper Harpyiae Typhonides, ira Tonantis,
depopulant ipsoque dapes praedantur ab ore.
talia prodigia et tales pro crimine poenas

---

426. *summoque suis* Vat., *summo quem vis* Caussin.

427. *extorris* dicitur Phineus, quia filius Agenoris (cfr. schol. Apoll. II, 178) ex Phoenice oriundus postea in Thracia et Thynia regnum tenebat, vid. v. 444; 447 seq.; 463; 467; 582; 632; Apoll. II, 237; schol. II, 181; Ov. ex Pont. I, 4, 37.

nec lucis egentem: audiendum est quod praecedit, *tantum*; sic 444 auditur *memorem* ad verba *non ego nunc*.

428. *yphoides arpyiae* Vat.; *Harpyiae Typhonides* cod. Carr. Secundum Hesiod. Theog. 267 Harpyiae sunt filiae Thaumantis; cfr. myth. Vat. II, 13; Hyg. fab. XIV; Apollod. I, 2, 6; Typhonem patrem nominat Val. etiam v. 516. Multo minus convenit inter poetas de numero et nominibus Harpyiarum: Hom. Il. XVI, 150 unam nominat Podargen, ubi vide quae schol. exponit; Apollod l. l. et Hes. l. l. Aello et Ocypeten; Hyg. l. l. Aellopoda Celaeno Ocypeten; schol. Il. XVI, 150 Aello Ocypeten Podargen; myth. Vat. I, 111; II, 13, Fulg. p. 165; Serv. Aen. III, 209 Aello Ocypeten Celaeno; Apollod. I, 9, 21, 7 Aellopoda et Ocypeten; minimum tres habent Verg. Aen. III, 212 et Val. IV, 499, qui solius Celaenus nomen afferunt. Neque apud Homerum aut Hesiodum ut foeda monstra describuntur, sed sunt ventorum et procellarum numina, quae mortales secum abripiunt, cfr. Rhode Psychae p. 65; Dieterich Necyiae p. 56 annot. 1; Rhode mus. Rhenan. L. p. 1. seqq.

ira Tonantis: apud Verg. Aen. III, 215 *ira deum* nominantur, i. e. monstra ab ira deorum immissa.

429. *depopulant*: activa forma legitur etiam VI, 532.

430. *pro crimine*; dicitur Phineus filios suos ex priore uxore Cleopatra, sorore Boreadarum, caecasse vel caecari passus esse; ita Sophocles narravit teste schol. Apoll. II, 178; cfr. Serv. Aen. III, 209;

Digitized by Google

perpetitur. spes una seni, quod pellere saevam
quondam fata luem dederant Aquilone creatis.
ergo ubi iam Minyas certamque accedere Phineus
sentit opem, primas baculo defertur ad undas
vestigatque ratem atque oculos attollit inanes.
tunc tenuem spirans animam 'salve o mihi longum
expectata manus nostrisque' ait 'agnita votis.
novimus et divis geniti quibus et via iussos
quae ferat ac vestri rebar sic tempora cursus

Soph. Antig. 970 seqq.; Hyg. f. 19; Ov. artis I, 339; Diod. IV, 43 44; Apollod. III, 15, 3. Huius sceleris ultionem a Phineo per Argonautas petitam esse Diod. et Apollod. l. l. tradunt. Cum autem rerum Argonauticarum scriptores Argonautas atque inter eos ipsos Cleopatrae prioris uxoris fratres comiter et benigne exceptos esse (cfr. Val. IV, 460 seqq.; Apoll. II, 235 seqq.) hosque Phineo salutem attulisse narraturi essent, fieri non poterat, ut illam de scelere Phinei fabulam servarent, quare aliam secuti sunt eam, ut dicerent, Phineum propterea caecatum esse et ab Harpyiis vexari, quia Iovis consilia hominibus prodidisset. vid. Val. v. 478 seqq. Apollon. II, 179 seqq.; Hyg. f. XIX, qui duas narrationes confundit; Apollod. I, 9, 21. Etiam aliter alii tradiderant, vid. schol. Apoll. II, 181; 207; schol. Hom. Od. XII, 69; Opp. cyneg. II, 617; Diod. l. l. Cfr. Prelleri myth. graec. II^3, 330 seq.; ann. instit. XV, p. 3 seqq.

434. Divinandi arte praeditus opem certam accedere sentit Phineus, cfr. 438 seqq.; quae enim ibi narrantur, non fando audiverat.

434. *baculo:* Apoll. II, 198 βάκτρῳ σκηπτόμενος. Ceterum poeta graecus Phineum eundi impotentem in limine consedisse narrat.

436. *tenuem spirans animam*, cum longa fame corporis vires confectae essent.

longum exspectata i. e. diu, ut saepius apud poetas, cfr. ad III, 547.

437. *nostris — votis*, i. e. nobis exoptantibus.

438. De collocatione *quibus* pronominis cfr. ad II, 217.

439. *rebar* Schenkl ind. phil. XIII, 361 'ich berechnete', sententia quidem aptissima, at prorsus contra dicendi consuetudinem; intactam reliqui scripturam, quia probabilis emendatio nondum inventa est.

Digitized by Google

proxima quaeque legens, quantum Vulcania Lemnos
traxerit, infelix tulerit quae Cyzicus arma.
sensi et Bebrycio supremam in litore pugnam
iam propior iamque hoc animam solamine mulcens.
non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phineus,
aut memorem, mea quod vates insedit Apollo
pectora; praesentis potius miserescite fati.
nec mihi diversis erratum casibus orbem
amissas aut flere domos aut dulcia tempus
lumina; consuetis serum est ex ordine fatis
ingemere. Harpyiae semper mea pabula servant,
fallere quas nusquam misero locus: ilicet omnes
deveniunt niger intorto ceu turbine nimbus,
iamque alis procul et sonitu mihi nota Celaeno;
diripiunt verruntque dapes foedataque turbant

---

440. *proxima quaeque legens* i. e. ea semper animo considerans, quae proxime sequebantur antea gesta; de notione legendi verbi cfr. ad III, 461.

441. *traxerit*, sc. vos.

445. *mea — insedit Apollo pectora*: cfr. Stat. Ach. I, 515 *intrantemque deum primo pallore fatetur Thestorides*; Sil. III, 697 *ecce intrat subitus vatem deus*; XII, 323 *Phoebo iam intrata sacerdos.*

449. 'Nihil attinet', inquit Phineus, 'ex ordine enumerare et deplorare fata, quae ferre ex longo tempore assuevi'.

450. *pabulum* raro dicitur de cibo ab homine sumpto vel sumendo, ut v. 586; Luc. VI, 43 *non desunt pabula Magno* i. e. eius exercitui; Lucr. V, 940 seq. *multaque praeterea novitas tum florida mundi Pabula dura tulit miseris mortalibus ampla;* Claud. de bell. Gild. 34 *nunc pabula tantum Roma precor*; paullo aliud est, quod a poeta dapes cyclopis sane non humano more sumptae *pabula dira* nominantur IV, 106.

452. *ceu — nimbus*: ἠύτ' ἄελλαι Apoll. II, 267.

intorto — turbine i. e. vehementissime in nubem irruente; Lucr. VI, 124 *procella nubibus intorsit sese*; Sil. V, 535 *it globus intorquens nigranti turbine nubem Pulveris.*

453. Etiam apud Verg. Aen. III, 211 et 245 Celaeno inter Harpyias primas partes agit; Graeci ne nomen quidem eius norunt.

454. Cfr. Verg. Aen. III, 227.

Digitized by Google

pocula, saevit odor surgitque miserrima pugna,
parque mihi monstrisque fames. sprevere quod omnes
polluerunt que manu quodque unguibus excidit atris,
has mihi fert in luce moras. nec rumpere fata
morte licet; trahitur victu crudelis egestas.
sed vos o servate precor, praedicta deorum
si non falsa mihi, vos finem imponite poenis.
nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquilonia proles
non externa mihi; nam rex ego divitis Hebri
iunctaque vestra meo quondam Cleopatra cubili'.
Nomen ad Actaeae Calais Zetesque sororis
prosiliunt, Zetesque prior 'quem cernimus?' inquit.

---

verrunt dapes sc. de mensa; apud Apoll. II, 188; 222 eas ex ore ipso manibusque Phinei eripiunt.

turbant pocula: cfr. V, 595; Stat. Theb. VIII, 258.

455. *saevit odor* praeter consuetudinem dicitur; nam aliud est, cum fames morbi cupiditates saevire dicuntur, neque satis apte conferri potest Stat. Theb. II, 85 *Ogygii — Iacchi saevus odor*, qui homines saevos reddit. *surgit — pugna*: Verg. Aen. IX, 667; XI, 635.

456. Fames insatiabilis Harpyiis etiam a Vergilio tribuitur Aen. III, 217.

457. *auris* Vat., *atris* ed. Iunt. alt.; Harpyiae manus habent unguibus praeditas, uncas manus eis tribuit Vergilius.

458. *has mihi fert — moras* i. e. affert, cfr. *vim ferre* Ov. met. III, 344; IV, 239; Sil. I, 428; *ferrum iugulo* IX, 519; *taedia* (i. e. efficere) Ov. artis II, 530; *vulnera* Avian. fab. 17, 11; saepius *bella f.* legitur, velut Stat. Theb. VIII, 76; Sil. I, 386.

rumpere fata: Verg. Aen. VI, 883.

459. De sententia cfr. Apoll. II, 189 seq.

460. *praedicta deorum si non falsa mihi*: duae constructiones mixtae videntur: praedicta deorum si non falsa sunt et si non falsa a deis mihi praedicta sunt.

463. Apoll. II, 238 seq.

465. De collocatione *ad* praepositionis cfr. ad I, 537.

Actaea soror dicitur propter matrem Atticam.

466. Etiam apud Apollonium Zetes alloquitur Phineum idemque ex eo quaerit.

Digitized by Google

'tune ille Odrysiae Phineus rex inclitus orae?
tu Phoebi comes et nostro dilecte parenti?
o ubi nunc regni generisque ubi gloria? quam te
exedit labor et miseris festina senectus!
quin age, mitte preces; namque est tibi nostra voluntas,
si non ira deum, vel si placabilis urguet'.
sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas,
'teque', ait 'iniuste quae non premis, ira Tonantis
parce precor, nostrae tandem iam parce senectae;
sit modus; et fore credo equidem: nam vestra voluntas
haud, iuvenes, sine pace deum. nec credite culpam
saevitiae scelerumve mihi nunc crimina pendi;
fata loquax mentemque Iovis quaeque abdita solus
consilia et terris subito ventura parabat,
prodideram miserans hominum genus; hinc mihi tanta

---

467. *tune ille — Phineus*: Verg. Aen. I, 617.

468. *Phoebi comes*: famulus, minister; cfr. Ov. her. XVI, 268; amor. III, 1, 44; met. VI, 461; fast. IV, 185; 212; 341; Stat. Theb. X, 163. *dilecte*: saepius ita adiectivum praedicati vice fungens attractione quadam in vocativo ponitur, cfr. Verg. Aen. II, 282; IX, 811; Prop. II, 15, 2; Tib. I, 7, 53; Ov. trist. III, 14, 2; Kuehn. gramm. lat. II, § 69, 5 annot. 2.

470. *miseris festina senectus*, quippe qui ante tempus senescere soleant.

471. *est tibi nostra voluntas*; Verg. Aen. VII, 548.

474. *iniusti quae nunc* Vat., *iniuste quae non* Madv. adv. II, 144.

475. *ante precor* Vat., *parce precor* Balbus.

477. *quod* Vat., *haud* Pius.

nec credite, cfr. ad I, 175.

478. *scelerum — crimina pendi* mire dictum; nam ipsa scelera luuntur, sed dixit etiam Luc. VII, 517 *sceleris — crimine nullo Externum maculant chalybem*; Stat. Theb. X, 587 *et periura luam regalis crimina noxae*; Claud. de bell. Pollent. 503 *scelerum delicta priorum — luas*; Paul. vit. Mart. III, 161 *ostentans crimina caedis*. Prorsus aliud est, quod scripsit Ov. fast. V, 624 *sceleris crimine damnat avos*.

De *pendendi* verbo cfr. ad I, 445.

Digitized by Google

pestis et offusae media inter dicta tenebrae.
iam tandem cessere irae; nec casus ab alto,
ipse volens nostris sed vos deus appulit oris'.
sic ait et, fatis ita iam cedentibus, omnes
impulit et durae commovit imagine poenae.
instituere toros mediisque tapetibus ipsum
accipiunt circumque iacent; simul aequora servant,
astra simul, vescique iubent ac mittere curas:
cum subitus misero tremor et pallentia primae
ora senis fugere manus. nec prodita pestis
ante, sed in mediis dapibus videre volucres.
fragrat acerbus odor patriique expirat Averni
halitus; unum omnes incessere planctibus, unum
infestare manus; inhiat Cocytia nubes
luxurians ipsoque ferens fastidia visu.

---

482. *effusae* Vat., *offusae* Gronov.

484. De collocatione *sed* coniunctionis cfr. ad II, 150.
deus appulit oris: Verg. Aen. III, 338.

488. *simul aequora servant, astra simul*: eandem verborum conformationem legimus Verg. Aen. IX, 318 *simul arma iacere, Vina simul.*

490. *primae — manus* i. e. digiti, quos cibum tenentes iam ori admoturus Phineus postquam monstra adesse sensit, rursus retrahit.

493. Raro fragrandi verbum adhibetur ad foedum odorem indicandum, cfr. Mart. I, 87, 1 *ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino Pastillos Cosmi luxuriosa voras.*

Avernus patrius nominatur, quia Valerius patrem Typhonem in Tartaro versari cogitat, unde eum assurgere dixit v. 517; cfr. *Tartareas volucres* v. 579 et statim infra *Cocytiam nubem.*

494. *planctibus* i. e. alarum plausu; plangendi verbum hac notione scriptum reperitur Ov. met. XI, 75; Sil. I, 589; XIII, 840; alia est sententia Ov. am. II, 6, 3.

495. *nubes* superlatione non eleganti de tribus dicitur; aliud est, quod Niobe duos Latonae filios cum acerba ironia *turbam* nominat Ov. met. VI, 200.

496. *luxurians* i. quod saeviens, ut Stat. Theb. II, 677 *sanguine multo luxuriata fames*; V, 261 seq. *gelida non saevius Ossa Luxuriant*

Digitized by Google

tum sola conluvie atque inlisis stramina mensis
foeda rigant; stridunt alae, praedaque retenta
saevit utrimque fames; nec solum horrenda Celaeno
Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores.
emicat hic subito seseque Aquilonia proles
cum clamore levat, genitor simul impulit alas.
hoste novo turbata lues lapsaeque rapinae
faucibus, et primum pavidae Phineia tecta
pervolitant, mox alta petunt; stant litore fixi
Haemonidae atque oculis palantia monstra sequuntur.
sicut prorupti tonuit cum forte Vesevi
Hesperiae letalis apex, vixdum ignea montem
torsit hiemps iamque eoas cinis induit urbes:

Lapitharum epulae de saeva pugna inter mensas orta dictum; VII, 12 *caraeque in sanguine gentis luxuriat.*

497. *sola* pluralis pro singulari positus. ut Catull. 63, 7; 40; Tib. I, 5, 3; Stat. silv. I, 1, 56; Theb. IV, 444; Nemes. cyneg. 8; pro *agris* vel *arvis* dictus reperitur pluralis Verg. georg. I, 80; Lucr. II, 592.

stramina proprie omnia sunt, quibus sedes instituitur vel sternitur; hoc loco tapetia (v. 487) intelleguntur.

499. *saevit utrimque fames*, vid. 456.

500. Supra modum augetur Celaenonis aviditas.

502. Apud Apollon. II, 275 ipse Iuppiter Boreadas iuvat.

503. *lues* sunt Harpyiae: sic saepius Hannibal lues nominatur apud Silium, et vel apud Ciceronem de har. resp. 24 Clodius.

507. *sic ubi* Vat., *sicut* Schenkl.

507. *forte* i. e. casu vix sana sententia dicitur, quare nescio an neutrum adiectivi *fortis* sit interpretandum positum pro adverbio, cfr. Stat. Theb. IV, 213 *grave — risit*; XI, 396 *hostile tuens*; 400 *vulgare nitens*; Sil XI, 244 *immane — infremuit*; XIII, 375 *furiale renidens* aliaque multa.

prorupti — Vesevi: VI. 632 *proruptus imber*; Verg. Aen. VII, 459 *sudor.*

508. *ignea — hiemps*; Stat. silv. III, 5, 72 *flammea diri Montis hiemps*; sic *ferrea hiemps* Stat. Theb. V, 385 de multitudine telorum dicitur.

509. *montem torsit hiemps*; exspectatur contrarium, ut mons

Digitized by Google

turbine sic rapido populos atque aequora longe
transabeunt, nullaque datur considere terra.
iamque et ad Ionii metas atque intima tendunt
saxa; vocat magni Strophadas nunc incola ponti.
hic fessae letique metu propioris anhelae
dum trepidant humilique graves timidoque volatu
implorant clamore patrem Typhona nefando,
extulit adsurgens noctem pater imaque summis
miscuit, et mediis vox exaudita tenebris:
'iam satis huc pepulisse deas. cur tenditis ultra
in famulas saevire Iovis, quas, fulmina quamquam
aegidaque ille gerens, magnas sibi legit in iras?
nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
imperat; adgnoscunt monitus iussaeque recedunt.

---

ignem torsisse dicatur; at *torsit* videtur scriptum esse pro eo quod est *vexavit, concussit,* quae torquendi notio saepe cum translatione dicta invenitur.

eoas cinis induit urbes: usque ad Byzantium cineres proruisse, tradit Procop. de bell. Goth. II, 4; cfr. Sil. XVII, 595 seq. *videre Eoi monstrum admirabile. Seres Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.*

De *induendi* verbo cfr. Sil. XVII, 195 *induitur tota Africa flammis.*

511. *transabeunt* i. e. supervolant, superant; simili notione activa praeditum legitur Apul. met. VIII, 4 *calcata retiola — transabiit*; paullum diversa est sententia apud Verg. Aen. IX, 432.

512. Cur Strophades *intima saxa* nominentur, non liquet: neque enim in medio neque in extremo mari Ionio sitae sunt. Hae insulae antea Plotae dictae ideo Strophades vocatae sunt, quod inde conversi Boreadae reverterunt: Apoll. II, 295 seqq. et schol.; Serv. Aen. III, 209; myth. Vat. I, 27; II, 142; paullo aliter Apollod. I, 9, 21.

515. *trepidant* 'sie flattern ängstlich umher'.

516. *clamore — nefando* i. e. horribili, ut Ov. her. XII, 59 *segetes nefandae* de viris ex draconis dentibus ortis.

517. *extulit — noctem* sc. ex Erebo.

imaque summis miscuit; Namat. II, 44 *summis miscuit ima*; cfr. Ov. met. VII, 278.

519. *cur tenditis ultra*: Luc. I, 190.

Digitized by Google

mox tamen et vobis similis fuga, cum premet arcus
letifer. Harpyiae numquam nova pabula quaerent,
donec erunt divum meritae mortalibus irae'.
haesit uterque polo dubiisque elanguit alis;
mox abit et sociae victor petit agmina puppis.
Interea Minyae pulsa lue prima Tonanti
sacra novant; tum vina toris epulasque reponunt.
ipse inter medios ceu dulcis imagine somni
laetus ad oblitae Cereris suspirat honores;

---

524. *argos* Vat., *arcus* Gronov. Indicat Typhon mortem Boreae filiis Herculis sagittis paratam, cfr. Apoll. I. 1300 seqq. cum schol.; Hygin. fab. XIV, Apollod. III, 15, 2; Prell. myth. graec. II³, 331 annot. 4.

525. Harpyiae quietae manebunt contentae eis sedibus, ubi nunc sunt. Tacite igitur consentit Valerius cum Vergilio, apud quem Harpyias in Strophadibus sedem suam habere videmus Aen. III, 210; apud Apollonium II, 299 in Cretam avolant, in qua re Pherecydem secutus est, cfr. schol. et Prelleri myth. l. l. Etiam in eo ab Apollonio dissentit Valerius, quod interventu Typhonis patris Harpyias servatas esse dicit, cum Apollonius Iridi has partes tribuat II, 286 utpote sorori, (cfr. myth. Vat. I, 27 et II, 142). Hesiodus autem teste schol. Apoll. II, 297 Mercurio.

528. *sociae — agmina puppis* figura enallages dictum pro eo quod est *socia agmina puppis*, vid. ad III, 4.

530. *sacra novant*: statuendum igitur in priore dape apparanda sacra fecisse Argonautas Iovi, sed ea quoque ab Harpyiis turbata sunt.

tori a nonnullis intelleguntur mensae, quod exemplo caret; dativus potius est habendus: toris eisque, qui in toris accumbunt, epulae reponuntur.

531. Nos 'es kam ihm vor wie ein schöner Traum', Apoll. II, 306 οἷόν τ' ἐν ὀνείρασι θυμὸν ἰαίνων.

imagine somni: Ov. met. XIII, 216.

532. *honores Cereris* dictum ut *ruris honores* Hor. c. I. 17, 16 (cfr. sat. II, 5, 13); *aestatis honores* Sil. III, 487; *terra suos populatur honores* Gratt. cyneg. 376.

suspirat ad honores cum felici brevitate dictum: suspirans recordatione praeteritorum malorum trahitur ad fruges fruendas.

Digitized by Google

adgnoscit Bacchi latices adgnoscit et undam
et nova non pavidae miratur gaudia mensae.
hunc ubi reclinem stratis et pace fruentem
aspicit ac longae ducentem oblivia poenae,
talibus appellat supplexque ita fatur Iason:
'vota, senex, perfecta tibi; nunc me quoque curis
eripe et ad nostros animum converte labores.
omnis adhuc sors laeta quidem, nec numine vano
(siqua fides curae superum) tantum aequor adorti
tendimus; ipsa mihi puppem Iovis optima proles
instituit, dedit et socios Saturnia reges.
fidere mens sed nostra nequit, quantumque propinquat
Phasis et ille operum summus labor, hoc magis angunt
proxima, nec vates sat iam mihi Mopsus et Idmon'.
ille ducem nec ferre preces nec dicere passus
amplius, hic demum vittas laurumque capessit

---

533. '(adgnoscit) vinum et aquam puram, quae antea foedata vix id esse apparuerant' Burmann.

534. *gaudia mensae*; Coripp. de laud. Iust. III, 134.

536. *ducentem oblivia* dicitur, ut *vinum pocula* al. ducere; eadem locutio invenitur Hor. sat. II, 6, 61; Paul. Nol. XIX, 455; XXVIII, 232; aliud est quod Verg. dixit propria sententia Aen. VI, 715 *longa oblivia potant* de eis, qui ex Lethe flumine bibunt, et rursus aliud apud Paul. Nol. XVI, 218 (deus) *humanis ducens oblivia rebus*.

537. Apud Apoll. II, 309 seqq. sponte Phineus Argonautis futura vaticinatur, antequam Boreadae eius domum rursus advenerunt vid. II, 428.

541. *si qua fides curae superum:* mira videntur haec verba ab Iasone quidem prolata, ex Romanorum potius mente tempore Valerii viventium dicta sunt; cfr. Mopsi vatis explicationem III, 378 seqq.

aequor adorti, cfr. II, 375.

544. *quantum propinquant — hoc magis angunt:* vid. ad I, 741.

546. Non feliciter res cessit Valerio, cum Iasonem propterea de futuris Phineum consulentem facit, quod Mopso et Idmoni diffidit, cuius diffidentiae nulla erat causa.

547. *ferre preces*, cfr. ad II, 282.

548. *hic demum*, sc. post longum intervallum.

Digitized by Google

numina nota ciens. stupet Aesonis inclita proles
Phinea ceu numquam poenis nullaque gravatum
peste Iovis: tam largus honos, tam mira senectae
maiestas infusa; vigor novus auxerat artus.
tum canit: 'o terras fama venture per omnes,
quem sociis ducibusque deis atque arte benigna
Pallados ipse ultro Pelias ad sidera tollit,
demens, dum profugi non sperat vellera Phrixi,
fata locosque tibi, possum quas reddere grates,
expediam rerumque vias finemque docebo.
ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
saecula, te propter fandi mihi Iuppiter auctor.
hinc iter ad Ponti caput errantesque per altum
Cyaneas. furor his medio concurrere ponto,
necdum ullas videre rates: sua comminus actae
saxa premunt cautesque suas. ceu vincula mundi

---

549. *inclita proles*; Ov. met. IX, 229.

stupet i. e. cum stupore admiratur, ut II, 510; Verg. Aen. II, 31.

555. *ultro* 'ohne es zu wollen', sic Verg. Aen. IX, 676 *ultroque invitant moenibus hostem*; 729 *demens, qui — regem — ultro — incluserit urbi.*

558. *rerumque vias*; vid. ad III. 17.

559. Apud Apollonium II, 311 seqq. Phineus ut non aliis mortalibus, sic ne Argonautis quidem omnia, quae instent, vaticinari sibi licere dicit. *sua pandere terris saecula* i. e. tempora per quae mansurae et quae his temporibus passurae sint terrae.

560. *te propter;* de collocatione praepositionis cfr. ad I, 151.

562. *furor his* i. e. Cyaneis furor inest; sensus eis tribuitur hominum, qualia multa apud poetas legimus, ut *caeli furor* Catull. 46, 2; *maris* Tib. I, 1, 49.

563. *sua — saxa premunt:* nunquam enim etiamtum nautae per eas evadere conati erant, quorum navem premere possent.

564. *cum* Vat., *ceu* Heinsius; *ceu — labant* i. e. veluti cum labant; indicativus non mutandus videtur, cfr. locum Dracontii X, 91 ad III, 281 allatum. Comparatur quassatio, quae fit terrae motu, cum ea, quae Cyaneis concurrentibus exoritur; post verba *tecta vides* nonnulla exciderunt, quibus poeta concussionem a Cyaneis ortam descripserat.

Digitized by Google

ima labant, tremere ecce solum, tremere ipsa repente
tecta vides . . . . . .
. . . . . illae redeunt. illae aequore certant.
di tibi progresso propius, di forsitan ipsi
auxilium mentemque dabunt. ast ipse iuvare
ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
tenditis, unde procul venti, procul unde volucres,
et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.
siqua brevis scopulis fuerit mora, si semel orsis

569. Apud Apoll. II, 328 consilium dat Phineus Argonautis, ut columbam inter Symplegades praemittant; cfr. Apollod. I, 9. 22. 4; schol. Apollon.; Hyg. fab. 19; Prop. II, 26, 40; III, 22, 13. Cur Valerius Argonautas incertos mansisse finxerit, non satis intellegitur, nisi forte eos eo maiores animos habuisse demonstrare voluit, quo minus certo scirent, quid se futurum esset, cum ad rupes accessissent. Omnino maiorem partem eorum, quae Phineus apud Apollonium docet, praesertim enumerationem gentium inter Chalybes et Colchos habitantium poeta Romanus praetermisit.

570. *tenditis* sc. eo; non venti, non aves, quin etiam ne ipse quidem Neptunus audent locum adire, ubi Symplegades concurrunt; alia ratione de periculis Ponti loquitur Ovid. trist. IV, 4, 57 seq.; ex Pont. I, 3, 54.

571. *pavidas — habenas*; cfr. ad I. 109. *pater — maris* ut *genitor profundi* Ov. met. XI, 202.

572. Hic versus ab editoribus habetur prior pars sententiae per conditionem expressae; at sive *fieret* scribimus Vaticanum secuti, sive *fuerit*, quod habet cod. Carr., sive *fiet*, quod coniecit Baehrens, prorsus prava utique est sententia, nam Symplegades si sunt medio in recursu, moventur, non morantur neque sunt quietae et contra: quod igitur in prodosi poneretur, id in apodosi negaretur. Votum potius exprimit Phineus: 'utinam scopulis brevis fieret mora! sed cum ea non fiat, vobis fuga properanda est, cum rupes sunt in medio recursu'. In primo enim recursu mare inter duas rupes nondum satis quietum est, tum autem a medio recursu longissimum est spatium ad id tempus, quo rursus concurrunt. *Si* ponitur in voto exprimendo pro particula *utinam*, ut Verg. Aen. VI, 187 *si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat!* saepius apud poetas *o si* sic scriptum reperitur. In versu autem 573 pro eo quod traditur

Digitized by Google

ulla quies! fuga nunc medio properanda recursu.
vix repetunt primae celeres confinia terrae,
iamque alio clamore ruont, omnisque tenetur
pontus et infestis anceps cum montibus errat.
verum animo redit illa meo sors cognita divum:
(fabor enim nec spe dubios solabor inani)
cum mihi Tartareas saevo clangore volucres
protulit ira Iovis, vox haec simul accidit aures:
'ne vanas impende preces finemque malorum
expete, Agenoride; pontum penetraverit ulla
cum ratis et rapidi steterint in gurgite montes,
tunc sperare modum poenae veniamque licebit'.
sic deus. aut vobis ergo fera saxa patescunt,
aut mea iam saevae redeunt ad pabula Dirae.
verum inter medias dabitur si currere cautes,

---

tunc nunc conieci, i. e. ut autem nunc se res habet; cfr. Liv. XXI, 40, 3; Cic. ep. ad Att. XI, 2, 3; Curt. IV, 12, 15 al.

574. *primae — confinia terrae,* i. e. litora, cfr. *primo a limine* II, 255; *in prima — acta* V, 96.

575. *alio clamore* i. e. cum renovato vehementi sonitu; sic scopulis clamorem tribuit Verg. Aen. III, 566; montibus Hor. c. III, 29, 39; tonitribus Pacuv. v. 336 R (cfr. Lucr. VI, 147); undam clamare dicit Sil. IV, 524; procellam IX, 516; amnes freta nubila silvas Stat. Theb XI, 116; similiter apud Graecos βοή et βοᾶν scripta reperiuntur.

576. Mari hominis sensus poeta tribuit, cum infestari dicit scopulis nescium, quo se vertat

578. *fabor enim*; Verg. Aen. I. 261.

580. *excidit* Vat., *accidit* Gifanius; cfr. ad II, 452.

586. *Dirae* poetis plerumque sunt furiae, ut Verg. Aen. IV. 473; VII, 324, al.; Val. V, 445; hoc loco ideo Harpyiae ita nominantur, quod a Iove ad ulciscendum Phineum mittuntur, ut alias Furiae mitti solent.

Cum ex eis, quae Typhon v. 522 seq. Boreadis dixit, Argonautae certo cognoscere possent, Harpyias ad cibum Phinei non iam redituras esse, pro certo eis etiam id sperare licebat, fore ut fera saxa eis patescerent: iure igitur supra v. 548 affirmavit Phineus, se non spe inani dubios Argonautas solari.

Digitized by Goog

(certe haec digna manus) vacuumque exibis in aequor,
proxima regna Lyci, remeat qui victor ab oris
Bebryciis: toto non ullus litore Ponti
mitior. hic lecto comitum de robore siquem
perculerit vicina lues, ne defice casus
praedicti memor, atque animos accinge futuris.
illic pestiferas subter iuga concava torquet
alter aquas Acheron vastoque exundat hiatu
fumeus et saeva sequitur caligine campos:
linque gravem fluvium et miseris sua fata colonis.
sic quoque non uno dabitur transcurrere luctu.
quid tibi nubifera surgentem rupe Carambin,
quid memorem, quas Iris aquas aut torqueat Ancon?
proxima Thermodon hic iam secat arva: memento!
inclita Amazonidum magnoque exorta Gradivo
gens ibi; femineas nec tu nunc crede catervas,
sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo
divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri.

588. *haec* om. Vat., add. Burmann.

589. *remeat qui victor ab oris*: Luc. II, 553.

592. *vicina lues*, quae in vicinia saevit, de qua exponitur 594 seqq.

594. De re cfr. Apoll. II, 353 seqq. cum schol. et Prelleri gr. mythol. I⁴ 754 et 811.

596 *fumeus* i. e. nebulosus, cfr. ad VIII, 452.

sequitur fortasse intellegendum *insectatur* ut V, 656, sed valde probabilis coniectura Marklandi *tegitur — campus.*

598. Tangitur mors Idmonis et Tiphyis narrata V, 1 seqq.

599. *Carambis* urbs et promontorium Paphlagoniae, Plin. nat. hist. VI, 6.

600. Apoll. II, 366 seq. *Halyn* et *Irim* fluvios nominat, huius apud ostium situm erat *Ancon* oppidum; Valerius fluvium esse dicit deceptus ut videtur, loco Apollonii male intellecto; portus *Acone* nominatur a Plin. nat. hist. VI, 4; Amm. Marc. XXII, 8, 17.

601. *Thermodon* fluvius fabula Amazonum celebratissimus.

603. *nec — crede*, vid. ad I, 175.

nunc i. e. cum me haec narrantem audis.

604. *et quanta* Vat.; *sed quanta* Pius.

Digitized by Google

ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
ventus agat, ludo volitans cum turma superbo
pulvereis exsultat equis ululataque tellus
intremit et pugnas mota pater incitat hasta.
non ita sit metuenda tibi saevissima quamquam
gens Chalybum, duris patiens cui cultus in arvis
et tonat adflicta semper domus ignea massa.
inde omnem innumeri reges per litoris oram,
hospitii quis nulla fides; sed limite recto
puppis et aequali transcurrat carbasus aura.
sic demum rapidi venies ad Phasidis amnem.

606. *nunc* Vat., *tunc* ed. Bon.

608. *pulverei* equi pulvere contecti potius intellegendi sunt quam pulverem excitantes.

ululata est tellus, cum resonet clamore bellico; *ululari* dicitur locus, qui ululatu completur, ex imitatione Valerii a Statio silv. I, 3, 86; Theb. I, 328; IV, 394 (*Amazoniis ululatum Caucason armis*); X, 567; a Claudiano de quarto cons. Hon. 140.

609. *pugnas — incitat*; similiter *studium cupiditatem* al. *incitare*, cfr. Ov. her. XVIII. 114 *morsus*; Stat. silv. V, 5, 62 *planctus inc.*

pater, cfr. 602.

610. Saevam Chalybum gentem fuisse rarissime traditur; Apoll. II, 375 eos nominat σιυγερωτάτους ἀνδρῶν; cfr. 1007 seqq.; clarissimi erant metallorum fabri et talium laborum patientissimi: Verg. georg. I, 85; Aen. VIII, 421; X, 174; Catull. 66, 48; Avien. orb. 947; Plin. VII, 197; Xen. Anab. V, 5, 1; Aesch. Sept. 727. Videtur igitur Valerius *saevissimam* gentem nominasse pro fortissima, durissima; an ideo saevam vocavit, quia inventores fabricae ferri dicebantur? cfr. tamen Aesch. Prom. 716; Solin. 15, 5.

611. *patiens* sc. laborum, ut Hor. c. I, 7, 10; sat. II, 6, 91; ep. I, 7, 40; Ov. am. I, 15, 31; trist. IV, 10, 37.

613. *per litoris oram* 'Küstensaum': Verg. georg. II, 44 *primi lege litoris oram*.

615. *aequali — aura*; *aequatas* auras dicit Verg. Aen. V, 844.

616. *ad Phasidis amnem*: pendet genetivus nominis proprii ab appositione, cfr. infra 705; V, 430; VII, 554, ubi quae dicta sint, vide.

Digitized by Google

castra ibi iam Scythiae fraternaque surgit Erinys.
ipse truces illic Colchos hostemque iuvabis
auxiliis. nec plura equidem discrimina cerno.
fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
sed te non animis nec solis viribus aequom
credere; saepe acri potior prudentia dextra.
quam tulerit deus, arripe opem. iamque ultima nobis
promere fata nefas; sine me precor'. atque ita facto
fine dedit tacitis iterum responsa tenebris.
Tum subita resides socios formidine Iason
praecipitat rumpitque moras tempusque timendi.

---

617. *fraterna — Erinys*; vid. III, 492 seqq.

618. *hostes* Colchi nominantur propter ea, quae in reditu evenerunt; pugna hoc versu indicata describitur inde ab initio libri sexti.

620. *fors* sc. amor Medeae; paullo apertius Phineus apud Apoll. II, 425 de auxilio Veneris loquitur, sed ne ibi quidem ita, ut plane Argonautae sciant, qua ratione futurum sit, ut auxilium eius deae sibi contingat.

contingere, non solum 'tangere' ut est loco simili Hor. artis poet. 412, sed 'adipisci'; cfr. Luc. V, 383 *summum dictator honorem contigit*; Mart. X, 64, 1 *contigeris regina meos si Polla libellos*; similiter dicit Ov. trist. I, 1, 106 *contingere domum* i. e. intrare et I, 10, 43 *urbem*.

624. *sileo* Vat., *sine me* scripsi, i. e. noli amplius ex me quaerere; cfr. Ter. Ad. 321; Heaut. tim. 90.

625. Iterum taciturnitate sua responsa tenebris obvolvit, cfr ad II, 35; primum responsa Phinei obscura erant, cum de Symplegadibus diceret.

626. Fortiter se gerit Iason apud poetam Romanum, qui socios statim ad proficiscendum hortetur, cum apud Apollonium valde anxius de sorte futura etiam sciscitetur, num felix in Graeciam reditus sibi paratus sit II, 410 seqq. Omnino fusius enarrat poeta Graecus, quae responso dato in domo Phinei facta sint 428—538.

627. *praecipitat* i. e. ad proficiscendum celeriter incitat; sic *nubes praec.* II, 517; *patres* V, 269; *equos* Ov. fast. IV, 674; *hostes* Luc. IV, 208; *mentem* Verg. Aen. II, 317; *fatum* Sil. I, 691; *attonitos* II, 222; *viros* Stat. Ach. I, 442; *soles* Theb. VI, 362; *seniles artus* VII, 480.

Digitized by Google

ipse viros gradiens ad primi litoris undam
prosequitur Phineus. 'quaenam tibi praemia' dixit
'quas, decus o Boreae, possim persolvere grates?
me Pangaea super rursus iuga meque paterna
stare Tyro dulcesque iterum mihi surgere soles
nunc reor. exactae verone abiere volucres?
nec metuam tutaeque dapes? date tangere vultus,
dem sinite amplexus, propiusque accedite dextrae'.
dixerat. abscedunt terris et litora condunt.

Omnibus extemplo saeva sub imagine rupes
Cyaneae propiorque labor, quando adfore quaque
parte putent; stant ora metu nec fessa recedunt
lumina diversas circum servantibus undas,
cum procul auditi sonitus insanaque saxa.

---

629. Verg. Aen. XI, 508.

631. *Pangaea — iuga* i. e. Thraciae, vid. ad v. 427.

633. *verumne* Vat., *verone* scripsi.

635. *dem — amplexus*; cfr. Verg. Aen. I, 687; VIII, 405; Ov. met. II, 42; 627; IV, 596; XI, 459; Sen. Med. 552; Stat. silv. V, 2, 11; Auson. epigr. 13, 7.

Nimis breviter Valerius discessum Argonautarum imprimisque Boreadarum absolvit nihil ad haec benigna verba Phinei respondentium.

636. *litora condunt*; vid. II, 443.

637. *rupes Cyaneae* sc. ante oculos versantur, dura ellipsi; cfr. ad I, 489.

638. *propior labor* sc. quam is, qui apud Colchos instabat.

639. *stant ora* Wagner recte 'immobilia rigent', sed falso addidit 'silent', immo immota tenent ora in eam partem, unde rupes iam iam exorituras sperant; cfr. Ov. fast. VI, 133 *stantes oculi* 'starre Augen'; contrarium est apud Luc. V, 214 *stat nunquam facies*: cfr. etiam Stat. Theb. X, 693 *cur — ad patrios non stant tua lumina vultus?*

fessa recedunt lumina translatum ab homine, qui fessus opere faciendo domum recedit.

641. Per Planctas navi vecti sunt Argonautae apud Hom. Od. XII, 70, cum ex terra Colchorum redirent.

insana saxa explicantur ingentia; sed quamquam saepius prae-

Digitized by Google

saxa neque illa viris, sed praecipitata profundo
siderei pars visa poli. dumque ocius instant,
ferre fugam maria ante ratem, maria ipsa repente
diffugere adversosque vident discedere montes,
omnibus et gelida rapti formidine remi.
ipse per arma volans et per iuga summa carinae
hortatur supplexque manus intendit Iason
nomine quemque premens. 'ubi nunc promissa superba
ingentesque minae, mecum quibus ista secuti?

---

sertim apud poetas adiectivum hac significatione positum reperitur, tamen hoc loco multo aptius videtur intellegere insaniam et furorem, quo incitata saxa inter se concurrunt, ut etiam I, 605 *ratis* cum poetica enallage insana dicitur, et saepius *fluctus venti aestus* apud poetas.

644. *ferre fugam* i. e. fugere. cfr. ad II, 282. Ceterum sententiam non plane expressit poeta: antiquiores editores eosque secutus Thilo interpunctione facta post *fugam* Argonautas conatos esse fugere explicant. At praeterquam quod nimis ignavi et timidi apparent Argonautae, si hoc Valerium dixisse putamus, etiam verba *ocius instant* rectius referuntur non ad novam fugiendi actionem, sed ad id acrius persequendum, quod iam antea facere instituerant: in animo autem eis erat quam celerrime per saxa pervehi, sed tanta celeritate Symplegades moventur, ut priusquam ad eas pervenerint, iam collisae rursus discedant, quare fit, ut undae, quae ante navem sunt, a navi diffugiant in eum locum rursus fluentes, unde concurrentibus saxis detrusae erant: tum demum Argonautae ingenti timore corripiuntur. Id unum fortasse minus placet, quod maria fugere bis dicitur; sed cum gradatio quaedam in verbis insit, nihil mutandum videtur, et recte traditum in codice Carr. *diffugere*, Vat. habet *defigere*.

646. De sententia cfr. Hom. Od. XII, 203 seqq.

647. *per arma* sc. in transtris posita; mirum quod apud Apollonium II, 590 non Iason, sed Euphemus socios hortatur.

649. *nomine quemque premens* i. e. urgens verbis appellando, cfr. VIII, 263 *premens clamore sororem*: Sil. XI, 110 *magnoque viros clamore premebant*; simplicius dixit Verg. Aen. XI, 731 *nomine quemque vocans*.

ubi nunc promissa: vid. I, 272: imitatus est Valerius Hom Il. VIII, 229 seqq.

Digitized by Google

idem Amyci certe viso timor omnibus antro
caecus erat; stetimus tamen et deus adfuit ausis.
quin iterum idem aderit, credo, deus'. haec ubi fatus,
corripit abiecti remumque locumque Phaleri
et trahit; insequitur flammata pudore iuventus.
unda laborantes praeceps rotat ac fuga ponti
obvia; miscentur rupes, iamque aequore moto
Cyaneae iuga praecipites inlisa remittunt.
bis fragor infestas cautes adversaque saxis

652. *perculerat* Vat., *caecus erat* Baehr.

654. *abiecti* 'loco suo moti per violentiam aestus marini' Burmann; 'surgere iussi' Wagner; cur non 'consternati, animo abiecti'?

655. *trahit* (remum) sc. per undas.

656. *fuga ponti obvia*; contrarium fit eius rei, quae narrata est 644, cum Cyaneae concurrunt et vi fluctuum obviorum ipsa navis circumvertitur.

657. *toto* Vat., quod editores recentiores ne Baehrente quidem excepto nimis patienter tulerunt; Burm. *moto* recte: iuga aequore moto illidebantur.

659. Bis viderunt Argonautae saxa concurrentia, antequam ipsi inter ea effugerunt; fragorem ipsum hoc loco satis audacter dicit Valerius id effecisse, quod cum fragore fit: cum fragore enim saxa hostilem in modum concurrunt.

infestas cautes — dedit i. e. reddidit, ut Verg. Aen. IX, 321 (et Sil. VII, 212) *haec ego vasta dabo*; XII, 436 *te mea dextera — defensum dabit;* Ov. Ibidis 185 *sectos dabit — artus*; Luc. VIII, 93 *praecipitesque dedi populos*; Sil. IX, 616 *se — praecipitem dedit*; Stat. Theb. VI, 899 *obliquum dedit*; Orest. trag. 671 *gaudia dant gressus celeres*; Sen. Med. 528 *demersos dabo*; Phaedr. 629 *illum - reducem dabunt*; Claud. in quart. cons. Hon. 77 *cautumque dabant exempla sequentem*; 354 *haec effecta dabo*; Auson. epist. XXV, 17 *nil mutum natura dedit;* Ser. Samm. medic. 38 *crines — des—puros*; Venant. Fort. V, 5, 34 *quos dabat ira truces*; Coripp. Ioh. II, 333 *quae nostri gloria facti, si miseros damus*; etiam in sermone cotidiano talia apud poetas comicos inveniuntur, velut Plaut. Epid. 544 *dubiam me dant*, cfr. symb. mea Plaut. p. 214 et 217 et Thielmann 'das Verbum dare' p. 39 seqq. et 71 seq.

Digitized by Google

saxa dedit, flamma expresso bis fulsit in imbri.
sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror
effugit et tenebras nimbosque intermicat ignis
terrificique ruunt tonitrus elisaque noctem
lux dirimit, pavor ora virum, pavor occupat aures:
haud secus implevit pontum fragor; effluit imber
spumeus et magno puppem procul aequore vestit.
Advertere dei defixaque lumina ponto,
quid scopulis praeclusa ratis, quid dura iuventus
expediat; pendet magnis favor ortus ab ausis.

660. *flamma expresso bis fulsit in imbri*; flamma exorta concursu saxorum fulget per aquam marinam vehementi rupium motu expressam et in aera sublatam, cfr. Apoll. II, 567; haec aqua longe sparsa *imber spumeus* nominatur v. 665; *aequoris imber* reperitur Ov. her. XVII, 104; *aequoreus imber* ex Pont. IV, I, 30; *calidi imbres* i. e. aqua calida am. II, 15, 23.

662. Hunc versum postea a poeta ipso damnatum putat Schenkl stud. p. 288. sed recte Gebbing de Valerii trop. et fig. p. 75 'hoc loco abundantia magis quam aliis locis placet, quoniam terribilia facta vivide ante nostros oculos ponuntur'.

664. *pavor occupat aures*: Luc. I, 246 *pavor occupat artus*; sed cave credas Valerium quoque *artus* scripsisse, quod receperunt Schenkl et Baehrens; pavor ora occupat propter fulmina, aures propter tonitrua.

666. *magno aequore* i. e. multa aqua marina, cfr. III, 472; VI, 412; Ov. met. XI, 488; Luc. III, 687; Sil. X, 325; Stat. Theb. V, 382.

vestit, i. e. implet: V, 565; Verg. Aen. VI, 640; Cic. Arat. 60; frgm. poet. 22, 6 B.; Stat. Theb. VI. 848; Avien. progn. 486; orb. 102; similiter induendi verbo utitur Valerius IV, 509.

667. *numina* Vat., *lumina* cod. Mon. man. sec., cfr. Verg. Aen. I, 226; Claud. de bell. Pollent. 486.

dei i. e. Iuno et Minerva, sic Verg. Aen. II, 632 *ducente deo* i. e. Venere (vel optimi codices hoc loco depravati sunt); VII, 498 Alecto *deus* dici videtur; Sil. IV, 723 *monitor deus* i. e. Iuno; cfr. Macrob. sat. III, 8.

669. *pendet — favor* 'dubitant de felici successu' Wagner; sed haec explicatio totius loci sententiae non apta est, praesertim cum deae auxilium ferre paratae se rem ad felicem eventum deducturas

Digitized by Google

prima coruscanti signum dedit aegide virgo
fulmineam iaculata facem. vixdum ardua cautes
cesserat, illa volans tenui per concita saxa
luce fugit; rediere viris animique manusque,
ut videre viam. 'sequor, o quicumque deorum',
Aesonides, 'nec fallis', ait, praecepsque fragores
per medios ruit et fumo se condidit atro.
coeperat hinc cedens abductis montibus unda
ferre ratem pelagoque dies occurrere aperto.
sed neque permissis iam fundere rector habenis
vela, nec eniti remis pote: cum super adsunt
Cyaneae; premit unda ratem scopulique feruntur

---

certo sciant. *pendet — favor — ab ausis* dictum est ut I. 481 *Tiphys pendebat ab astro*, ubi vide annot. et verba *ab ausis* pariter ad *pendet* atque ad *ortus* referenda sunt.

670. Duplici modo, et aegide et fulmine, signum dat Minerva; haec potissimum dea praeter Iovem fulminis iaculandi potens apparet. nam quae Iuno dicit apud Val. I. 116, minae sunt magis ira expressae quam efficaces. Cfr. Verg. Aen. I, 42; Sen. Agam. 370; 528; Drac. IV, 43 B.; Aeschyl. Eum. 827; Preller i myth. graec. I⁴, 191.

673. *rediere viris animique manusque*; breviter dictum pro eo quod est 'redierunt animi manibus porro remos impellere'.

675. *vel* Vat., *nec* Koestlin Philol. 39, 237; *fallit* Vat., *fallis* cod. Monac. man. sec.

676. *fuso* Vat., *fumo* cod. Carr.; de sententia cfr. 660.

678. *unda ferre ratem*: idem fit motus undarum, qui iam 644 seq. descriptus erat.

pelagoque dies occurrere aperto; cum recessissent scopuli, mare, quod inter eos fluebat, apertum erat fumusque evanuerat, ita ut lux diei nautis rursus offulgeret.

679. *permissis — habenis*; permittere habenas proprie de equo incitando dicitur Tib. IV, 1, 92; Sen. Phaedr. 1006; de rudentibus velorum usitatius est *immittere* habenas: Val. I, 687; VIII, 139; Verg. Aen. VI, 1; VIII, 708; etiam minus usitatum est *fundere vela* pro eo, quod est pandere, sed legitur apud Sil. II, 25.

680. *pote* notissimum apud antiquiores scriptores, hic illic receptum a posterioribus, ut Prop. II, 1, 46; III, 7, 10.

681. *umbra* Vat., *unda* Schenkl coll. III, 525.

Digitized by Google

comminus. hic Iuno praecepsque ex aethere Pallas
insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
hunc coniunx Iovis, ut valido qui robore tauros
sub iuga et invito detorquet in ilia cornu.
inde, velut mixtis Vulcanius ardor harenis
verset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
angitur et clausum scopulos super effluit aequor.
contra omnes validis tenui discrimine remis
pergere iter mediosque ratem transferre per ictus;
saxa sed extremis tamen increpuere corymbis,
parsque (nefas) deprensa iugis; nam cetera caelo
debita. conclamant Minyae, latera utraque quippe
dissiluisse putant. fugit ipse novissimus ictus
Tiphys et e mediis sequitur freta rapta ruinis;
nec prius obsessum scopulis respexit ad aequor

---

282. *Iuno* om. Vat., add. ed. Bon. et Ald.; apud Apoll. II, 600 sola Minerva fert opem, apud Apollod. I, 9, 22, 5 sola Iuno.

685. *detorquet in ilia* i. e. ad terram versus tauros sc. capita eorum detorquet cornibus prehensis, ita ut ilibus admoveantur.

686. *Vulcanius ardor* explicandus de vi ignium sub mari latentium, qui funditus aquam harenis miscent. Hanc esse poetae sententiam vel *verset* coniunctivo indicatur; iniuria recentiores coniecturam Heinsii *mixtas — ahenis* receperunt.

688. Cum scopuli a deis tenerentur, mari angustum iter inter eos relictum erat, quod insequente versu *tenue discrimen* poeta vocat; ita coartatum etiam per inferiorem scopulorum partem effluit.

691. *increpuere* i. e. cum crepitu illisa sunt; solet verbum cum accusativo coniungi, sed fortasse dativus intellegendus est etiam Sil. XII, 684 *clipeoque tremendum increpat*: incerta est scriptura Verg. Aen. XII, 332; de re cfr. Apoll. II, 603.

692. *pars — deprensa iugis*; saxa super navem impendebant ita, ut summam partem corymborum et extremam iugorum, in quibus remiges sedebant, contunderent; auxit rem Luc. II, 717 *rapta puppe minor subducta est montibus Argo.*

cetera caelo debita, cfr. ad I, 4.

695. *sequitur* sc. navem gubernans.

ruinis omnia comprehenduntur, quae in concursu saxorum fieri antea dictum est; accedit praeterea, quod pars navis frangitur.

Digitized by Google

aut sociis temptata quies, nigrantia quam iam
litora longinquique exirent flumina Rhebae.
tunc fessas posuere manus, tunc arida anheli
pectora, discussa quales formidine Averni
Alcides Theseusque comes pallentia iungunt
oscula, vix primas amplexi luminis oras.
Nec vero ipse metus curasque resolvere ductor,
sed maria aspectans 'heu qui datus iste deorum

---

697. *nigrantia — litora*; vertit Valerius verba Apoll. II, 653 ἄκρην δ'οὐ μετὰ δηθὰ παρεξενέοντο Μέλαιναν i. e. promontorium nigrum, sic, ut videtur, dictum propter densas silvas; alia duo huius nominis promontoria commemorat Strab. XIV, 1, 33 et 35.

698. *Rhebae* nomen corruptum in Vat. *Phoebi*, restitutum ex Apoll. II, 652; cfr. etiam 349 et Plin. VI, 1, 4; *flumina*, cfr. ad II, 496. Rhebae aquam pulcherrimam esse totius mundi dicit Dionys. perieg. 796.

exirent sc. in mare, ut sit *flumina* subiectum, explicaverunt Burmann et Wagner, quod propter coniunctivum probari nequit, sed *flumina* est accusativus et *exirent* interpretandum *praeterveherentur*; similiter dixit Stat. Theb. II, 731 *turbidus obiectas Achelous Echinadas exit* i. e. praeterfluit. Cur Rhebam Valerius longinquum dixerit, non liquet.

700. *pectora*; praedicatum audiendum ex eis quae antecedunt; *latus deponere* dixit Hor. c. II, 7, 19. Caussin minus accommodate ex eis, quae sequuntur, praedicatum mente addendum putat coll. III, 309.

701. Non sibi constitit poeta in fabula de Theseo apud inferos versante, cum II, 193 Vergilium secutus Theseum nunquam ex Tartaro in lucem revertisse statuat, cfr. auctorem versus Od. XI, 631; contra hoc loco consentit cum schol. Apollon. I, 101; Apollod. II, 5, 12, 6; Diod. IV, 26, qui ab Hercule eum liberatum esse tradunt; cfr. Hyg. fab. CCLI.

702. *primis — oris* Vat., *primas — oras* edit. Bon. et Ald.

703. Apud Apollonium II, 623 seqq. hac quidem occasione fortiorem se ostendit Iason metumque simulat tantum sociorum temptandorum causa; *curasque resolvere*: Verg. georg. I, 302.

704. *deorum sorte* i. e. a deis missa, ut *monstra novercae* III, 610.

Digitized by Google

sorte labor nobis! serum ut veniamus ad amnem
Phasidis et mites' inquit 'dent vellera Colchi,
unde per hos iterum montes fuga?' talia fundit,
imperio fixos Iovis aeternumque revinctos
nescius. id fati certa nam lege manebat,
siqua per hos undis umquam ratis isset apertis.
Tum freta, quae longis fuerant impervia saeclis,
ad subitam stupuere ratem, Pontique iacentis
omne solum regesque patent gentesque repostae.
non alibi effusis cesserunt longius undis
litora, sed tantae quam vix Tyrrhenus et Aegon
volvat aquas geminis et desint Syrtibus undae.
nam super huc vastos tellus quoque congerit amnes.

---

705. *serum* pro adverbio scriptum videtur, ut Verg. Aen. XII, 864. Burm scripsit *verum*, quod non necessarium puto, quamquam placet.

708. *aeternum*, cfr. ad v. 151; de re ipsa cfr. ad II, 381.

709. *et — manebant* Vat., *id — manebat* Heinsius; *id*, sc. aeternum revinctos esse.

De collocatione *nam* coniunctionis cfr. ad II. 278.

712. *Ponti iacentis* i. e. quiescentis. cum antea Symplegadibus infestaretur; vid. Luc. III, 524; V, 434; 443 (ubi scriptura incerta est); Stat. Theb. VII, 87; Iuv. XII, 62.

713. *regesque patent* i. e. regna. terrae regibus subiectae: contra scribitur *regna* pro *regibus* Luc. III, 145.

715. Locus corruptus et cuius emendatio valde dubia sit; *nec tantas quamvis* Vat., *sed tantas quam vix* Koestlin. Philol. 48, 662, quod recepi *tantas* in *tantae* mutato; de *quam* particula vid. Kuehneri gramm. lat. II, § 225, 2 annot. 2; de *Aegone* pro mari Aegaeo dicto cfr. ad I, 629; hac similitudine fretus Valerius hoc loco etiam *Tyrrhenum* ausus est scribere pro mari Tyrrheno; vide praeterea ad II, 629.

716. *desint Syrtibus undae* sc. si aequare velint eas cum undis Ponti Euxini.

717. Explicatur causa. quare tantas aquas Pontus volvat: praeterea quod litora tantopere cedunt, ut mare vel hac ratione immensum efficiatur, etiam vasti amnes in Pontum effunduntur.

Digitized by Google

num septemgemini memorem quas exitus Histri,
quas Tanais flavusque Lycus Hypanisque Rhoasque
addat opes, quantosque sinus Maeotia laxent
aequora? flumineo sic agmine fregit amari
vim salis hinc Boreae cedens glaciantibus auris
Pontus et exorta facilis concrescere bruma.
utque vel immotos ursae rigor incubat amnes,

718. *non* Vat., *num* Slothouwer. *septemgeminus* Nilus legitur apud Cat. XI, 7; Verg. Aen. VI, 800; Stat. silv. III, 5, 21: septem ostia Istro tribuuntur etiam VIII, 187; Ov. trist. II, 189; Stat. silv. V, 2,136; Tac. Germ. 1; Pomp. Mela II, 1; Solin. 13; Amm. XXII, 8, 44; Sid. V, 471; Isid. orig. XIII, 21. Alii aliter tradiderunt, velut quinque ostia commemorant Avien. orb. 440; Prisc. perieg. 290; Claud. in IV cons. Hon. 630; de bello Poll. 337; sex Plin. nat. hist. IV, 79; sex habet etiam tabula quae dicitur Peutingeriana; tria schol. Apoll. IV, 306.

719. Fluviorum nomina partim in Vat. corrupta neque certa emendatione restitui possunt: *fluusque lyces* Vat., *flavus* ed. Bon. et Ald., *Lycus* Voss.; de hoc flumine cfr. Ov. ex Pont. IV, 10, 47; Plin. nat. hist. VI, 4; *novasque* Vat., *Rhoasque* scripsi coll. Plin. l. l. 14. Non postulandum a poeta, ut nulla nisi flumina magna commemoret.

720. *opes*; abundantiam aquarum *divitias* nominat Ov. am. III, 6, 94.

721. *flumineo — agmine*: tamquam exercitus flumina Pontum invadunt. Ceterum quod hoc loco Valerius de fracta vi salis et de causa eius rei affert, ad veritatem accommodatum esse constat; cfr. Ov. ex Pont. IV, 10, 59 seq.; Sen. Med. 213; Amm. XXII, 8, 46; Plin. nat. hist. IX, 49; Arr. peripl. c. 8.

722. *hinc — cedens* i. e. quia vis salis fracta est; etiam hoc veritati respondet. Ceterum notae sunt Ovidii querelae de frigoribus illius regionis, cfr. Luc. I, 17; Amm. XXII, 8, 48.

724. Ut omnia flumina septentrionalia tempore hiemis aut glaciata esse aut vehementissimis tempestatibus moveri Valerius putat, talem esse etiam Ponti naturam statuit. Quod de congelato mari poeta dicit, modum sane excedit, sed tempestatibus Pontus infamis mansit usque ad dies nostros.

inveniat Vat., *incubat* Heinsius; interdum hoc verbum cum accusativo coniunctum reperitur, ut Varr. de re rust. III, 9, 8 gallina dicitur *ova incubare*; Apul. met. VII, 7 *tabernulam quandam incubabat*; *in-*

Digitized by Google

vel freta versa vadis, hiemem sic unda per omnem
aut campo iacet, aut tumido riget ardua fluctu,
atque hac Europam curvis anfractibus urguet,
hac Asiam Scythicum specie sinuatus in arcum.
illic umbrosae semper stant aequore nubes
et non certa dies, primo nec sole profundum
solvitur aut vernis cum lux aequata tenebris,
sed redit extremo tandem in sua litora Tauro.
Iam Mariandynis advertit puppis harenis,

venit, quod plerique scripserunt, sana sententia caret, cum rigor ursae amnes immotos non inveniat, sed reddat; neque licet per prolepsin explicare *immotos* adiectivum, si hanc coniecturam probamus; licet, si scribimus *incubat*.

725. *freta versa vadis* sc. sunt, i. e. undis ex imo fundo sublatis, ut Charybdis dicitur fluctu imo consurgere Tib. IV, 1, 74.

726. *campus* saepius a poetis superficies maris nominatur, de qua re cfr. ad V, 307; hoc autem loco ideo accedit magis ad propriam notionem, quia de superficie congelata et firma Valerius cogitat.

tumido riget ardua fluctu; 'ad montium altitudinem fluctus erigit' Wagner. Contra Burmann etiam haec verba de specie glaciata explicat, quod non accommodatum est eis, quae praecedunt. Rigendi verbo de undis hoc loco usus est Valerius, ut aliis locis legitur *horrere horror inhorrescere*, velut I, 652.

727. *anguet* Vat., *urguet* Heinsius.

728. *Scythicum — sinuatus in arcum*; de re cfr. Plin. IV, 76; Amm. XXII, 8, 10; Strab. II, 5, 22; Pomp. Mel. I, 19; Prisc. perieg. 147 seqq.; Avien. orb. 238; Manil. IV, 755; de locutione Ov. met. XIV, 51.

730. Glacies solvitur nec oriente sole nec ineunte vere, sed cum sol fere ex signo Tauri exit, id est fere sub finem mensis Maii.

732. *redit in sua litora* non quod antea super litora redundaverit, sed congelato mari omnia firma sunt atque litora quasi evanuerunt; soluta glacie autem undae rursus intra litora fluunt.

733. In brevius contraxit Valerius, quae Apoll. II, 650–670 de cursu narravit; omnino omisit, quae habet poeta Graecus de Apolline apparente et de sacris ab Argonautis factis 671—720. Consentiunt poetae in eo, quod apud Mariandynos Argonautae benigne excipiuntur, sed quae ibi dicuntur et aguntur teste Apollonio 720—900, eorum partem tantum secutus est Valerius.

Digitized by Google

atque celer terras regemque exquirit Echion
dicta ferens, lectos (fama est si nominis umquam)
Haemoniae subiisse viros, det litora fessis.
adproperat Lycus auditis laetatus Achivis,
ac simul Aesoniden omnemque in regia turbam
tecta trahit modo Bebryciis praefixa tropaeis,
mitis et in mediis effatur talia Grais:
'haud temere est: fato divum reor ad mea vectos
litora vos, odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciae saevaque pares de gente triumphi.
certa fides animis, idem quibus incidit hostis.
nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti,
sensimus et saevis frater mihi fusus harenis.
ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
tunc aderam, cum vos mediis contenta ferebant
vela fretis. illum in sanie taboque recenti
vidimus aequoreo similem per litora monstro.

---

advertit puppis harenis; aliis locis puppis adverti vel nautae puppim advertere dicuntur, et sic sine dubio etiam explicandum Luc. VIII, 567 (aestus) *qui vetet externas terris advertere classes* sc. nautas, et audiendus est accus. *navem* Sil. I, 288 *profugi ducente Noto advertere coloni*. Sed notum est vertendi verbi formas activas perfecti temporis et imprimis compositorum saepius pro passivis vel medialibus poni, ut omittam *revertor* et *devertor*, quae solent in perfecto formis activis declinari.

734. *Echion*, cfr. I, 440.

735. Verg. Aen. VIII, 119; III, 85.

739. *regia — praefixa tropaeis*; de re cfr. Ov. met. VIII, 154.

745. *tanto procul orbe remoti*; haec verba cum Lycum dicentem facit Valerius, obliviscitur non Romanum vel Graecum aliquem loqui, sed regem haud ita procul a Bebrycia habitantem; prorsus eadem ratione *remotae Gades* dicuntur ab Horatio c. II, 2, 10.

746. *sensimus*: Verg. Aen. VII. 434 *sentiat* (Latinus) *et tandem Turnum experiatur in armis*.

frater, Otreus, de quo supra 161 seqq.

748. *contendere* vela dicit hoc loco Valerius pro eo quod est *tendere* praeter consuetudinem; sed alia certe similia reperiuntur. velut *funem, arcum, tela* al. *contendere*.

750. *per litora* (stratum) dicit Lycus se vidisse Amycum ad in-

Digitized by Google

nec vero praerepta mihi suprema tyranni
fata queror bellove magis laetarer et armis
procubuisse meis, quam lege quod occidit ultus
ipse sua meritoque madent quod sanguine caestus'.
excipit Aesonides 'tuus ergo in montibus ignis
ille? tuas acies medio de gurgite vidi?'
fatur, et ostentans prolem Iovis 'hic tibi Pollux
en' ait, 'invito solvit cui pectore poenas'.
ille virum circa mirantia lumina volvit.
festa dehinc mediis ineunt convivia tectis
communesque vocant superos, quorum eruta nutu
Bebrycia, et votis pariter praedaque fruuntur.

---

dicandam ingentem corporis magnitudinem, cfr. 320; Manil. astr. II, 923 *asserit hanc Cytherea sibi per sidera sedem,* vel notissimum illud de Polyphemo dictum a Verg. Aen. III, 631 *iacuitque per antrum Immensus. aequoreo simile*m — *monstro*: Apoll. III, 1394 κήτεσσι δομὴν ἀτάλαντοι ἰδέσθαι.

754. *merito* — *sanguine* i. e. noxio, vid. ad I, 726.

755. *excipit* sc. orationem, i. e. respondet, sic V, 543; 672; Verg. Aen. IV, 114; Ov. met. V, 523; VII, 681; IV, 789 (sc. interruptum sermonem); fast. V, 55; Sil. VI, 430; XIII, 687; Stat. Theb. XI, 75.

ignes sc. castrorum Lyci; nihil dixit de hac re Valerius in ipsa navigationis descriptione.

758. *inviso* Vat., *invito* Schenkl.

759. *virum circa*; cfr. ad I, 151.

760. Verg. Aen. I, 638.

761. *communes* sunt dei, quia et Argonautis et Mariandynis perdendo Amyco aeque propitios se praestiterant. Plerumque communes dei simpliciter significant deos, quos eosdem plures gentes vel homines habent, ut VII, 228; Verg. Aen. VIII, 275; XII, 118; Prop. I, 11, 16; Paulin. Nol. c. XI, 59 sic Deum dicit *communem patrem.*

eruta — *Bebrycia* i. e. superata, debellata, cfr. Stat. Theb. V, 75 *tumidos* — *Thracas* — *eruere*; de re vid. v. 589; 739; Apoll. II, 138 seqq.

762. Ad *votis* substantivum figura zeugmatis videtur addendum *nuncupant, indulgent.* Wagner explicat verba *votis* — *fruuntur* 'laetantur felici eventu', quae sententia vix verbis subesse potest.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER QVINTVS.

Altera lux haud laeta viris emersit Olympo:
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
labitur extremi sibi dudum conscius aevi.
at memor Aesonides nimium iam vera locuti
Phineos hinc alios rapto pavet Idmone luctus.

1. *lux — emersit Olympo*; ab Olympo lucem diei oriri interdum fingunt poetae: Verg. Aen. I, 374 *ante diem clauso componet Vesper Olympo*; clauso igitur Olympo lux evanescit; VII, 217 (regna) *quae maxuma quondam Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.*

3. *sibi tum non inscius* Vat.; at tum non inscium fuisse Idmonem mortis propinquae Valerius dicere non poterat nisi prorsus oblitus eorum, quae narravit I, 238 seq., neque magis aptum, quod Schenkl proposuit *iam non*. Accedit quod dativus *sibi* praeter consuetudinem et rationem additus est ad adiectivum *inscius*; recepi Baehrentis coniecturam. Ceterum dissentit Valerius de causa mortis a ceteris auctoribus, qui Idmonem ab apro occisum narrant: Apollon. II, 817 seqq., qui rem fusius exponit; schol. Apoll. I, 139; II, 815; Orph. Arg. 725; Hyg. fab. 14; 18; 248; Apollod. I, 9, 23, 1; Ov. Ibidis 504; Herodor. frg. 56; 58 ed. M.; Senec. Med. 652, quod mireris, eum in Libya morsu serpentis periisse tradit confundens eum, ut videtur, cum Mopso Argonauta eodemque vate.

4. *nimium iam vera locuti*; cfr. Ov. her. V, 123.

5. *hinc* i. e. propterea, ut II, 94.

Digitized by Google

tum comiti pia iusta tulit caelataque multa
arte Dolionii donat velamina regis,
hospes humum sedemque Lycus. flens arma revellit
Idmonis e celsa Mopsus rate; robora caedunt
pars silvis portantque arae; pars auguris alba
fronde caput vittisque ligant, positumque feretro
congemuere; dies simul et suus admonet omnes.
Ecce inter lacrimas interque extrema virorum
munera, quem cursus penes imperiumque carinae,
Tiphyn agit violenta lues, cunctique pavore
attoniti fundunt maestas ad sidera voces:

7. *Dolionius rex* est Cyzicus, qui Dolionibus imperabat, cfr. Apoll. I, 947; 961; 1022; 1029; II, 767; al.; schol. Ap. I, 936; 943; urbem Cyzicum antiquitus Dolionidem vocatam esse tradit Plin. nat. hist. V, 142.

velamina ea sunt, quae commemorantur III, 10; *caelata*, i. e. acu picta, hac significatione alibi non reperitur.

10. *ara* hoc loco rogus ipse dictus videtur, non, ut II, 599, ara iuxta rogum posita; sic etiam *ara sepulcri* Verg. Aen. VI, 177; Sil. XV, 388; *sepulcrales arae* Ov. met. VIII, 480; *funeris ara* Ibidis 102; fortasse etiam trist. III, 13, 21.

alba fronde i. e. populi albae; de populo arbore funebri vide Serv. ad Aen. V, 134; omnino mos erat, mortuorum capita coronis et vittis ornare, vide Arist. Lys. 602; schol. eccl. 58; Rohde, Psych. p. 204.

11. *caput* om. Vat., add. ed. Bon. et Ald. *positus* proprie de mortuo dicitur, velut Verg. Aen. II, 644; IV, 681; XI, 30; Ov. her. X, 122; met. IX, 503; Stat. Theb. XII, 99.

12. *dies — suus* i. e. mortis, sic VI, 628; Verg. Aen. X, 467 *stat sua cuique dies*; cfr. etiam *ante diem* (sc. mortis destinatam) Ov. met. I, 148; VI, 675.

15. *agit — lues* i. e. vexat, agitat; mors ipsa v. 26 demum narratur; de notione hac verbi agendi cfr. Hor. epod. V, 89 *diris agam vos*; VII, 17 *acerba fata Romanos agunt*; sat. II, 3, 44 *quem mala stultitia — agit*; Stat. silv. IV, 4, 86 *nec Marrucinos agat haec insania montes*; Sil. XIII, 290 *aget aegrum — despecta ac violata Fides*.

Consentit Valerius de morte Tiphyis cum Apoll. II, 856; Apollod. I, 9, 23, 1; Hyg. fab. 14; 18; cfr. Sen. Med. 617; sed a schol. Apoll. ad II, 854 docemur, Herodoro teste eum in reditu mortuum esse.

Digitized by Google

'arquipotens adverte, precor, nunc denique Apollo;
hoc, pater, hoc nobis refove caput, ulla laboris
si nostri te cura movet, qui cardine summo
vertitur atque omnis manibus nunc pendet ab unis'.
dicta dabant ventis nec debita fata movebant.
qualem praecipiti gravidum iam sorte parentem
natorum flet parva manus trepidique precantur,
duret ut invalidis et adhuc genitoris egenis:
haut aliter socii supremo in tempore Tiphyn
ante alios superesse volunt. mors frigida contra
urguet, et ille recens oculis intervolat Idmon.

---

17. *adverte* sc. animum tuum ad nos; sic Ov. fast. IV, 829 *advertite cuncti* (dei).

19. Qui *cardine summo vertitur*, in summo discrimine versatur; cfr. Verg. Aen. I, 672 *haud tanto cessabit cardine rerum* i. e. in tanto discrimine; Stat. Theb. X, 853 *fatorum in cardine summo*.

20. *manibus — pendet ab unis* i. e. unius, cfr. ad III, 312.

21. *debita fata*, quae ei destinata erant, cfr. V, 180; 277; 530; Ov. her. VII, 103 *venio tibi debita coniux*; XIX, 8 *debitus — coniux*; met. XIII, 54 *debita Troianis — spicula fatis*; fast. III, 798 *quaeque fuit fatis debita, temptat opem*; Stat. Ach. II, 318 *magne vastator debite Troiae*; Theb. IV, 84 *debitus hospes*; Iuvenc. II, 173 *tempora debita*.

22. *praecipiti — sorte*; sortem hoc loco dici gravem morbum apparet ex eis quae sequuntur, *praeceps* autem nominatur, quia properat ad exitum, i. e. ad mortem; *gravidum* scripsit poeta pro gravato, cuius notionis alterum exemplum certum non novi; Sil. enim XIII, 542 *noxa gravidus populus* non est populus gravatus noxa, sed qui multa scelera commisit itaque quasi in se continet, et Luc. V, 735 *gravidum curis pectus*, quod multas curas habet, et Verg. Aen. VII, 507 *stipes gravidus nodis*, qui multos nodos habet.

23. *natorum — parva manus*, vid. ad III, 4, et de notione *manus* substantivi Stat. Theb. IV, 26 *haeret amica manus: certant innectere collo Bracchia*.

24. *duret* dictum de longiore vita, ut VI, 308; Tac. ann. III, 16.

27. *recens Idmon*; saepius *recens* sic absolute ponitur, ut ex tota sententia addendum sit, qua ratione aliquis recens dicatur, ut hoc loco *morte* 'kürzlich gestorben'; cfr. Ov. met. VIII, 488 *fraterni*

Digitized by Google

exanimum frustra Minyae clamore morantur
avellique negant; vix membra rigentia tandem
imposuere rogo lacrimasque et munera flammis
vana ferunt; crescit donis feralis acervus.
ut vero amplexus fessi rupere supremos
et rapidae sonuere faces, tunc ipsa cremari
visa ratis medioque viros deponere ponto.
non tulit Aesonides geminis flagrantia cernens
corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo
talia voce gemit: 'quid tantum infensa repente
numina? quas nostri poenas meruere labores?
bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
litore. magna adeo comitum numerosaque pubes?

---

manes animaeque recentes; XV, 846 *recentem animam caelestibus intulit astris.*

oculis intervolat; intervolandi verbum cum dativo coniungitur ut *intercedere intercurrere intervenire*, cum statum indicet, qui ex motu oriatur; est enim hoc loco fere idem atque oculis obversari: alia est et sententia et constructio II, 614 *immittitque ratem mediasque intervolat urbes*, quoniam ratis postquam venit, non manet inter urbes, vel Stat. Theb. II, 539 *fuscas intervolat auras hasta*, i. e. pervolat.

29. *avellique negant* i. e. recusant, cfr. ad III, 736.

31. *munera — vana*, quia eis mortuus in vitam revocari non potest; cfr. Ov. met. II, 340 seq.

33. *sonuere faces*, cfr. ad II, 105.

37. *talia — gemit* breviter praeter consuetudinem dictum pro eo quod est *gemens dicit*; sed simile est, quod scripsit Verg. Aen. VII, 460 *arma amens fremit* et XI, 453 *fremit arma iuventus* i. e. fremens poscit; idem habet Stat. Theb. VI, 618.

39. *tuto — litore*, id est in amica et hospitali regione; Vat. *toto*; emend. Sabellicus.

pariter, eodem tempore, ut I, 367.

surgunt fere idem atque existunt, oriuntur; cfr. VI, 419 *forma necis non altera surgit*; IV, 455; V, 221; VIII, 129; Stat. Theb. X, 445 *quamvis mea carmina surgant Inferiore lyra*; Sil. I, 686; XIV, 293.

Digitized by Google

aut socios rapit atra dies, aut ipse relinquo
sontibus impulsus Furiis. ubi Tiphys? ubi Idmon
fata canens? ubi monstriferae par ille novercae?
te sine, Thespiade, nos ulla movebimus ultra
aequora? nec summa speculantem puppe videbo
Pleiadumque globos et agentes noctibus Arctos?
cui Minyas caramque ratem, cui sidera tradis?
carpere securas quis iam iubet Aesona noctes?
hoc labor, hoc dulci totiens fraudata sopore
lumina et admotis nimium mens anxia Colchis
profuit? heu quantum Phasis, quantum Aea recessit!
nunc quoque, si tenui superant in imagine curae,
adsis umbra, precor, venturi praescia caeli,

---

41. *rapit atra dies*; Verg. Aen. VI, 429; XI, 28.

42. *sontibus — Furiis* i. e. nocentibus; cfr. Fest. p. 296, 10 M. *sons nocens; insons innocens*; Stat. Theb. II, 376 *sontibus — vadis*; IV, 610 *sontes — dei*; Aetnae 605 *sons* (igni Aetna); Claud. de rapt. Pros. I, 39 *sontibus hydris*; vide etiam ad Val. I, 103.

44. *te sine*; vid. ad I, 765.

movebimus — aequora sc. remis, ut dixit Ov. am. II, 11, 5 *ne quis remo freta longa moveret*; Luc. V, 448 (carinae) *inertia tonsis aequora moturae.*

46. *globi* singulae stellae dicuntur; cfr. Cic. de republ. VI, 15 (ignes) *quae sidera et stellas vocatis, quae globosae et rotundae — circulos suos orbesque conficiunt*; globum lunae dixerunt Lucr. V, 69; Verg. Aen. VI, 725.

46. *agentes noctibus Arctos*; audiendum obiectum, quod est navem; cfr. I, 689; addidit obiectum Sen. Herc. fur. 6.

48. Versus, pace Valerii dixerim, ineptus; unde enim Aeson, etiam si inter vivos fuisset, nuntium de morte Tiphyis audire potuit?

50. *adtonitis* Vat., *admotis* Gronov., i. e. cum iam Colchis appropinquaremus; de sententia cfr. IV, 544.

51. *aeta* Vat., *Aea* cod. reg.; Tiphye mortuo navis optimo gubernatore privata rursus longius a Colchis abesse Iasoni videtur neque tam celeriter cursum confectura; cfr. Verg. Aen. III, 496 *arva neque Ausoniae semper cedentia retro Quaerenda.*

52. *tenui — in imagine*; cfr. ad I, 738.

53. *venturi — caeli* i. e. imminentis tempestatis; similiter, quam

Digitized by Google

rectoremque tuae moneas ratis'. haec ubi fatus,
sola virum flammis vidit labentibus ossa.
'quod tamen externis unum solamen in oris
restat', ait, 'caras humus haec non dividat umbras
ossaque nec tumulo nec separe contegat urna,
sed simul, ut iunctis venistis in aequora fatis'.
haud mora: reliquias socii defletaque miscent
nomina. tum vivo frondens e cespite tellus
aggeritur, cineremque Lyco commendat Iason.
Maesti omnes dubiique, ratem fidissima cuius
dextra regat; simul Ancaeus sollersque petebat
Nauplius. Erginum fato vocat ipsa monenti
quercus, et ad tonsas victi rediere magistri.
ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus

---

quam non tam audacter dixit Tac. Agric. 12 *caelum crebris imbribus ac nebulis foedum.*

58. *separe* etiam ad *tumulo* referendum, vid. ad I, 18; *separ* legitur etiam Stat. Theb. IV, 481; Prud. apoth. 243; cfr. *segrex.*

61. *nomina* ponuntur pro eis ipsis, qui nomina habent, ut v. 119; VII, 275; VIII, 462.

62. Huius tumuli mentionem facit Amm. XXII, 8, 22.

63. Postquam amissum Tiphyn defleverunt Argonautae, statim ad ea vertuntur, quae necessitas postulabat, nihil segnitiei dolorique inani se daturi, ut agnoscas poetam vere Romanum; at apud Apollonium heroes ex inerti maestitia interventu demum Iunonis eximuntur II, 860 seqq.

64. Ancaeum, Neptuni filium, Tiphyis successorem nominant Apoll. II, 896 seqq.; Apollod. I, 9, 23, 1; Hygin. fab. 14 et 18; Orph. Arg. 727; Herodorus autem Erginum teste schol. Apoll. II, 895; Erginus et Nauplius frustra regimen navis petivisse narrantur apud Apoll. l. l. Uter sit Ancaeus, Valerius non indicavit,' cfr. ad III, 138; ne Apollonius quidem accuratius Ancaeum designavit.

66. *magistros* hoc loco Valerius eos dicit, qui se fore magistros pro certo speraverant.

67. *veluti* Vat.; *velut ille* cod. Carr.; *regia* de tauri in gregem imperio, cfr. Verg. georg. III, 228 (taurus) *regnis excessit avitis*; Sil. XVI, 5 *amisso taurus regno — molitur — certamina: regem* taurum nominat Stat. Theb. V, 333; XI, 28.

Digitized by Google

fertur ovans, hunc omnis honos, hunc omnis in unum
transit amor: primo laetus sic tempore rector
ingreditur cursus; etenim dat candida certam
nox Helicen. iam prora fretum commoverat et iam
puppe sedens . . . . . .
. . . . . dimiserat anchora terras.
Inde premente noto tristes Acherusidos oras
praeterit et festa vulgatum nocte Lyaei
Callichoron; nec vana fides. his Bacchus in undis

68. *ovans hinc* Vat., *ov. hunc* cod. Monacensis; *hunc omnis honos*, audiendum ex eis quae sequuntur *in unum*, vid. ad I, 18.

70. *candida nox* splendore stellarum; saepius hoc adiectivum adhibetur ad splendorem solis diei lunae siderum significandum, sed ad Valerii audaciam noctem ipsam candidam vocantis nemo videtur progressus esse; nam prorsus aliud est, quod noctem candidam dixerunt Ov. her. XV, 214; Prop. II, 15, 1; cfr. ep. Sapph. 124.

72. *puppe sedens dimiserat anchora terras* Vat.; versum lacunosum esse apparet ac vulgo adiectivum excidisse putatur, ut *tristes saevas maestas diras miseras placitas*, sed cum neque ancora in puppi sed in prora esse soleat*), neque *sedens* de ancora satis apte dici possit, equidem praeter unum pedem etiam duo hemistichia excidisse puto, in quibus de rectore navis aliquid dictum erat.

73. Inde ab hoc versu usque ad 151 in universum satis accurate Valerius Apollonii (II, 903—1017) vestigia pressit.

Acherusis, saepius Acherusia dicta, caverna in Bithynia iuxta promontorium cognomine, per quam Hercules transiit, cum Cerberum ab inferis auferret: Pomp. Mel. I, 19, 7; Xen. Anab. V, 10, 2; Avien. orb. 960; regionem accuratius descripsit Apoll. II, 729 seqq; cfr. ad IV, 595.

74. *vulgatum* i. e. celebratum, praedicatum; sic Ov. met. V, 481 *fertilitas*; Luc. II, 635 *Roma*; Sil. VI, 122 *documenta*; IX, 59 *furores*; Stat. Theb. IV, 297 *montes*.

75. *ut* Vat., *in* Pius. *Callichoron*: de Baccho ex India ad hunc locum veniente cfr. Apoll. II, 906 cum schol.; Amm. XXII, 8, 23.

nec vana fides: Verg. Aen. IV, 12.

*) Quamquam non desunt vestigia rei contrariae; vid. act. apost. XXVII, 29; etiam in columna Traiana conspicitur puppis navis cum ancora prope gubernaculum pendente, cfr. Breusing, de re nautica veterum p. 111.

Digitized by Google

abluit eoo rorantes sanguine thyrsos.
illum post acies rubrique novissima claustra
aequoris hic resides thiasos, hic aera moventem
udaque pampinea nectentem cornua vitta
nunc etiam meministis, aquae, Boeotia qualem
Thyias et infelix cuperet vidisse Cithaeron.
Fama per extremos quin iam volat improba manes
interea et magnis natorum laudibus implet,
addita iamque fretis referens freta, iamque patentes
Cyaneas. ardent avidos attollere vultus,
quos pietas vel tangit adhuc quos aemula virtus.
fata immota manent; unum, qui litore in illo
conditus, ad carae mittunt spectacula turbae.
it Sthenelus: qualem Mavortia vidit Amazon

---

77. *rubri novissima claustra aequoris* sunt extremae terrae, quibus aequor rubrum clauditur i. e. India; *rubrum aequor* est mare Erythraeum, Indicum; *claustra novissima rubrae Tethyos* dicit Stat. Theb. IV, 388; cfr. Prisc. perieg. II, 1040; Avien. orb. 1109; 1291; 1338; Claud. in Ruf. II, 243; in Eutrop. I, 16.

post — claustra sc. expugnata, ut VII, 11 *ante tuos — vultus* (conspectos); vid. ad I, 139.

78. *aera* a poetis saepe tympana Corybantum nominantur, hoc loco Baccharum, cfr. Eurip. Bacch. 123 seqq.

79. De *cornibus* Bacchi vid. ad I, 726.

80. *Boeotia Thyias* sine dubio est mater Penthei et infelix Cithaeron propter huius regis exitum infelicem dicitur: non tam gravis Bacchus exstitit Callichoro eiusque regionis incolis.

82. *fama — improba*; cfr. ad I, 510; non malam famam dici ex tota sententia apparet.

84. Mire corruptus sic in Vat. traditur *additamque fretis repetens freta namque pharentes*; *addita iamque* ed. Bon. et Ald.; *referens* Baehr.; *patentes* vir doctus apud Heinsium.

86. Ei, quibus remanserunt sensus et cupiditates vitae humanae; *aemula virtus*: Luc. I, 120.

87. *fata immota manent*: Verg. Aen. I, 257.

89. Apud Apoll. II, 913 seqq. omnino solum Sthenelum desiderium cepit Argonautarum videndorum dimittiturque a Proserpina. Eum cum Hercule ex bello Amazonum redeuntem eo loco sagitta

Digitized by Google

cumque suis comitem Alcides ut condidit armis,
talis ab aequorei consurgens aggere busti
emicuit; fulsere undae, sol magnus ut orbem
tolleret aut nubem quateret polus. atque ea vixdum
visa viris atra nox protinus abstulit umbra.
ille dolens altum repetit chaos. omnia Mopsus
dum stupet, in prima tumulum procul aspicit acta,
obnubensque caput cineri dat vina vocato.
carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dux rite movet mixtoque sonantem

---

percussum esse narrat Apoll. l. l., cfr. schol.; alii eum eiusque fratrem Alcaeum Thasi ab Hercule ut colonos relictos esse tradiderunt, vid. Prelleri graec. myth. II³, 233.

91. *aequorei — busti* i. e. iuxta litus siti; sic dicitur *aequoreus Nasamon* Sil. III, 320; *aeq. orae Libyae* XVI, 627; *Anxuris aequorei — recessus* Mart. X, 58, 1; *aeq. Ravenna* XIII, 21, 1. *agger busti* ut *tumulus busti* Verg. Aen. V, 44. De tota sententia cfr. etiam Sen. Troad. 181 seqq.

92. *ut orbem tolleret* i. e. *ut si, velut si*; similiter Livius dixit XXXI, 1 *velut* pro velut si.

93. *nubem quateret polus*; obscure dictum, sed recte explicat Wagner de fulgure nubibus excusso; Iuppiter ipse nubem quatere dicitur apud Verg. Aen. VII, 143.

95. *chaos*; vid. ad I, 831. *omnia — dum stupet*: stupendi verbum vi transitiva positum, de qua re cfr. ad IV, 549.

96. *in prima — acta* i. e. in margine litoris; ut *prima litora* v. 117; cfr. *pr. aedes* Ov. met. V, 284; *saxum* IV, 543; *unda* II, 871; XI, 375; *aqua* her. XVII, 100; *terra* i. e. litus ipsum Verg. Aen. I, 541; *harenae* Val. III, 305; *limen* Val. II, 255; Sil. VI, 436.

97. *obnubensque caput*; hoc more Romanorum fiebat, cfr. Verg. Aen. III, 403; Serv. ad Aen. V, 755; Marquardti antiq. Rom. VI, 171 annot. 4.

99. *Odrysius dux* est Orpheus, χοιρανέων Πιερίῃ Βιστωνίδι Apoll. I, 34. *carmina — movet*; cfr. Verg. Aen. VII, 641; X, 163; Ov. met. X, 149; XIV, 20; (*sonos* artis I, 144; *moveri* i. e. incipere fast. III, 11); Man. V, 335; vid. etiam ad VI, 14.

mixto ore, addito vocis cantu lyrae sonis, cfr. Hor. c. IV, 15, 30.

Digitized by Google

percutit ore lyram nomenque relinquit harenis.
Acrius hinc ventos recipit ratis, ac fugit omne
Crobiali latus et fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium, ante alios Triviae qui creditur amnis
fidus et Inopi materna gratior unda.
mox etiam Cromnae iuga pallentemque Cytoron

---

100. *perclytore* Vat., *percutit ore* ed. Bon. et Ald.; *nomenque relinquit harenis*; haec verba omnino intellegere non possemus, si Apollonii carmen periisset: hic enim narrat II, 930 lyram Orpheum in ara Apollini eo loco dedicata posuisse indeque ei regioni nomen Lyrae inditum.

101. *altius in* Vat., *acrius* Baehr., *hinc* cod. reg.; vid. Apoll. II, 932 seqq.; loca autem, quae iam commemorantur, paullo alio ordine poeta Graecus enumerat; pro Erythinis Apollonii (cfr. Hom. Il. II, 855) Valerius Erythiam habet, quod apud alios est nomen insulae prope Gades sitae; Sesamum autem (Hom. Il. II, 853) ab Apollonio ante Erythinos nominatam omisit Valerius, fortasse ideo, quod suo tempore illud nomen evanuerat, vid. Plin. VI, 5; Strab. XII, 3, 10; schol. Apoll. II, 941.

103. De *Parthenio* amne haec habet Apoll. II, 958 seq. καὶ δὴ Παρθενίοιο ῥοὰς ἁλιμυρήεντος, πρηϋτάτου ποταμοῦ παρεμέτρεον, ᾧ ἔνι κούρη Λητωΐς, ἄγρηθεν ὅτ' οὐρανὸν εἰσαναβαίνῃ, ὃν δέμας ἱμερτοῖσιν ἀναψύχει ὑδάτεσσιν; cfr. etiam schol.; in Parthenio Dianam lavatam esse, cum eam Actaeon conspiceret, nescio qua re in errorem inductus narrat Hyg. fab. 181. Strabo autem sic nomen explicat XII, 3, 8 ὁ Παρθένιος ποταμὸς διὰ χωρίων ἀνθηρῶν φερόμενος καὶ διὰ τοῦτο τοῦ ὀνόματος τούτου τετυχηκώς. *rapax* nominatur Ov. ex Pont. IV, 10, 49.

104. *unda Inopi materna* dicitur, quod propter hunc fontem in insula Delo Latona Apollinem et Dianam peperit: hymn. hom. in Apoll. Delium 18. Mirum est, quod de hoc fonte narrat Plin. nat. hist II, 229.

105. *Cytorum pallentem* vocat poeta propter buxi ibi nascentis multitudinem; de Cytoro buxifero cfr. Cat. IV, 13; (*undantem buxo* C.) Verg. georg. II, 437; Strab. XII, 3, 10; Plin. nat. hist. XVI, 71; de pallido eius colore Ov. met. IV, 134 *oraque buxo pallidiora gerens*; XI, 417 *buxoque simillimus ora Pallor obit*; Mart. XII, 32, 8 *recenti pallidus magis buxo*; Priap. 32, 2 *buxo pallidior novaque cera*; Nemes. ecl. II, 41 *pallidior buxo*; Coripp. de laud. Iust. IV, 40.

Digitized by Google

teque cita penitus condunt, Erythia, carina.
iamque reducebat noctem polus: alta Carambis
raditur et magnae pelago tremit umbra Sinopes.
Assyrios complexa sinus stat opima Sinope,
nympha prius blandosque Iovis quae luserat ignes
caelicolis immota procis; deceptus amatae
fraude deae nec solus Halys nec solus Apollo.
Addidit hic casu comites Fortuna benigno
Autolycum Phlogiumque et Deileonta, secutos
Herculis arma viros; vagus hos ibi fixerat error.
ut Graiam videre manum puppemque Pelasgam,
prima ruunt celeres ad litora seque precantur
accipiant socios. nova dux accedere gaudet
nomina desertos et iam sibi currere remos.
transit Halys longisque fluens amfractibus Iris

106. *condunt*, cfr. II, 443.

107. *alta* Carambis nominatur, quia est promontorium, vid. Plin. nat. hist. II, 245; X, 60.

108. *Carambis raditur*; notus hic usus verbi radendi de nautis, qui terram praetervehuntur, ex Verg. Aen. III, 700; VII, 10; Luc. VIII, 246; Paul. vit. Mart. II, 5; etiam dicitur de fluvio: Lucr. V, 256; Sen. Phaedr. 16; Luc. II, 425. Pulchra imagine *Sinope* urbs mari imminens describitur, pluribus verbis, sed minus venuste similem pingit imaginem Auson. Mos. 194 seqq.

109. *Assyrios — sinus*; Assyrios habitasse iuxta ostia Thermodontis tradit Avienus orb. 1153; cfr. Apoll. II, 948 cum schol.; paullo accuratius de Nymphae dolis egit Apoll. l. l., quem secutus est Valerius; aliam narrationem habent schol. l. l. et Diod. IV, 72; mentionem tantum Nymphae faciunt Prisc. perieg. 750; Avien. orb. 953.

113. De his Herculis comitibus cfr. Apoll. II, 958 seqq., quem secutus est Valerius; vid. etiam schol. Apoll. et Hyg. fab. 14.

116. *vagus — error*: Ov. met. IV, 502.

119. *nova — nomina*, vid. supra v. 61.

currere remos: apte quidem ad rem hoc dicitur, sed inusitate; tres viri accedunt ad remos tres relictos ab Hercule Idmone Ergino.

120. Poetica est descriptio trium fluviorum; nam longi anfractus magis accommodati essent ad Halyn quam ad Irim, et Thermodon, cui vastus impetus tribuitur, longe minimus est ex his tribus; sed *vastus*

Digitized by Google

saevaque Thermodon medio sale murmura volvens,
Gradivo sacer et spoliis ditissimus amnis,
donat equos, donat votas cui virgo secures,
cum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Medumque trahens. est vera propago
sanguinis, est ollis genitor deus. hinc magis alta
Haemonidae petere et monitus non temnere Phinei.
ipse autem comitum conversus ad ora novorum
'vos mihi nunc pugnas' ait 'et victricia' ductor
'Herculis arma mei vestrasque in litore Martis
interea memorate manus'. sic fatur et aegro

---

nominatur etiam ab Avieno orb. 856; *citus* ab Ov. met. II, 249; *celer* a Prop. IV, 4, 71; cfr. Avien. orb. 1154 *et festina citis evolvitur unda fluentis* de Thermodonte dictum; hic fluvius est sedes notissima Amazonum.

121. *murmura* pro undis, quibus murmur excitatur, ut VII, 606 *murmur* pro equo scriptum est; sic saepius *umbra* legitur pro eis, quae umbram faciunt, vid. III, 579 et similiter alia multa.

125. Finguntur Amazones vera propago Martis; cfr. Apoll. II, 992; Pherecyd. apud schol.; schol. Hom. Il. III, 189; ad *sanguinis* genetivum facile auditur notio *dei* ex eis, quae sequuntur.

127. *et — non temnere*: Verg. Aen. VI, 620.

128. Quae sequitur commemoratio pugnae inter Herculem et Amazones factae, non legitur apud Apollonium, qui contra pluribus verbis de regione disserit, ubi Amazones habitent. Atque plerumque solus Hercules cum Amazonibus pugnasse dicitur estque hic unus ex duodecim illis laboribus, sed cfr. quae dicit schol. Pind. Nem. III, 64; Apollod. II, 5, 9; etiam in vasorum picturis conspicitur Hercules cum sociis contra virgines pugnans; vid. Preller. myth. graec. II^3, 232 seqq.

131. *manus* i. e. res manu gestas; sic Stat. Theb. VI, 791 *multiplicatque manus* i. e. ictus manu factos; VIII, 305 *quae — Prometheas — manus — gignis* i. e. homines manu Promethei factos; cfr. etiam ad IV, 287.

aegro corde silens; aeger est animus Iasonis, quia adventu comitum Herculis rursus admonetur eius rei, quod tanti viri auxilio orbatus est.

Digitized by Google

corde silens audit cursus bellique labores
virginei, exciderit frenis quae prima remissis,
semianimem patrius quam vexerit amnis in aequor,
quae pelta latus atque umeros nudata pharetris
fugerit Herculeae mox vulnere prensa sagittae,
utque securigeras stimulaverit Ira catervas
fleturusque pater, quantus duce terror in ipsa,
qui furor, insignis quo balteus arserit auro.
Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
ruricolae, Gradive, tui; sonat illa creatrix

---

132. *currus* Vat., *cursus* doctus homo Brit. apud Harl.

134. *sanguine vexerit amnis* Vat., *vexerit amnis in aequor* cod. Carr., quod probavit Meyncke p. 13 coll. Stat. Theb. XI, 277 *hos pelago patrius iam detulit amnis.*

135. *umeris* Vat., *humeros* Monac. a man. sec.; *pelta* Amazonum propria est, vid. Verg. Aen. I, 480; XI, 663.

139. *ardendi* verbo saepius poetae ut de colore, quem nos quoque 'brennend' dicimus, ita de splendore metalli utuntur, cfr. ad I, 427 et V, 230 (vellera) *ardenti quercum complexa metallo*; VI, 150 *velleris ardor*; Verg. Aen. X, 261 *clipeum — extulit ardentem*; Sil. XV, 678 *et gemmis galeam clipeumque accenderat auro.*

141. *arma fatigant ruricolae, Gradive, tui*; *arma* videtur recte explicasse Burm. instrumenta, quibus Chalybes ferrum tractant, ut aliis locis arma poetis sunt instrumenta agri colendi, ut Verg. georg. I, 160; Ov. met. XI, 35. Multo autem difficilius dictu est, cur Valerius Chalybes *ruricolas* Martis dixerit. Wagner interpretatus est incolas terrae Marti sacrae; at ruricola non significat eum, qui certam aliquam regionem colat, sed aut eum, qui non in urbe, verum ruri habitet, aut eum, qui agrum colit subigendo vel arando, sed hoc ipso labore abstinuisse Chalybes aperte dicuntur, ut Apoll. II, 375 seq.; 1002 seqq.; itaque ruricolas interpretor ruri, non in urbibus habitantes et Martis vocantur tanquam eius progenies, vid. schol. Apoll. II, 375 ἐκλήθησαν δὲ Χάλυβες ἀπὸ Χάλυβος τοῦ Ἄρεως υἱοῦ.

Digitized by Google

prima manus belli terras crudelis in omnes.
nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
eruerent ensesque darent, odia aegra sine armis
errabant iraeque inopes et segnis Erinys.
inde Genetaei rupem Iovis, hinc Tibarenum
dant virides post terga lacus, ubi deside mitra
feta ligat partuque virum fovet ipsa soluto.
vos quoque non notae mirati vela carinae,
Mossyni, vos et stabulis Macrones ab altis

---

143. *prima manus belli creatrix* est ea, quae primum bella creavit vel bellorum copiam dedit armis fabricandis.

147. Foede corruptus legitur hic versus in Vat. hoc modo *Indigena et aerupem Iovis hinc tibi mavors*, emend. Ang. Politianus; *inde Genetaei rupes* cod. Carr.; cfr. Apoll. II, 1011 seq.; 378.

148. *virides lacus*, gramineis ripis et silvis frondosis cincti; sic *virentia flumina* v. 185; *viridis Myrace* VI, 50; *viridis Peuce* VIII, 293; cfr. praeterea Ov. artis II, 92; fast. IV, 164; Sil. IV, 84; Claud. rapt. Pros. II, 113 (lacus) *nemorum frondoso margine cinctus Vicinis pallescit aquis.* πολύρρηνες Tibareni nominantur ab Apoll. II, 377, unde concludi potest pascuis eos abundavisse. De *deside mitra* cfr. ad. I, 109.

149. De hac Tibarenorum consuetudine, quam hodieque multae rudes et barbarae gentes servant (vide 'Ausland' ephem. anni 1890 p. 734 seqq.; 801 seqq.; 856 seqq.; 878 seqq.), cfr. Apoll. II, 1013 seqq. ἔνθ' ἐπεὶ ἄρ κε τέκωνται ὑπ' ἀνδράσι τέκνα γυναῖκες, αὐτοὶ μὲν στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόντες, κράατα δησάμενοι· ταὶ δ' εὖ κομέουσιν ἐδωδῇ ἀνέρας ἠδὲ λοετρὰ λεχώια τοῖσι πένονται. Idem tradidit de Corsis Diod. V, 14 et de Hispaniae gentibus Strabo III, 4, 17. Tibarenos gentem hilarem placidamque fuisse dicit Steph. Byz. s. v.

151. In extrema hac enumeratione ad finem properavit Valerius omissis eis, quae Apollonius II, 1017—1234 de Mossynoecis, de insula Martis impetuque avium, de Phrixi filiorum, qui in navem recepti sunt, naufragio eorumque cum Iasone colloquio tradidit.

Moossonychi Vat., Μοσσυνοίκους vocavit Apoll., quae forma aliena est a versu Valeriano; *Mossyni* emendatum ex Plin. nat. hist. VI, 11; Pomp. Mel. I, 19, 10; Curt. VI, 4, 17. De rudibus eorum moribus mira narraverunt Apoll., Pomp. Mel, l. l., Diod. XIV, 30; cfr. etiam Strab. XII, 3, 18.

152. *Byzeres:* vid. Strab. l. l.

Digitized by Google

Byzeresque vagi Philyraeque a nomine dicta
litora, quae cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus inde sinus saevumque cubile Promethei
cernitur, in gelidas consurgens Caucasus arctos,
ille etiam Alciden Titania fata moventem
attulerat tum forte dies; iamque aspera nisu
undique convellens veteris cum strage pruinae

153. De *Philyra* nympha eiusque amatore Saturno in equum converso vid. Apoll. II, 1234 seqq. eiusque schol. ad I, 554 et II, 1234; Verg. georg. III, 93 et Serv. schol.; Hyg. fab. 138; schol. Germ. p. 178; myth. Vat. I, 103; II, 62. Plerumque hoc in Thessalia vel Thracia factum dicitur; quod in Pontum res traducta est, confusione cum gente Philyrum effectum videtur, vid. Rosch. lexic. myth. II, 1032 et Philol. 1890 p. 116.

cornu pepulit i. e. ungulis concussit; cornu pars ima ungulae Verg. georg. III, 88 *solido graviter sonat ungula cornu*; quae verba imitatus est Coripp. Ioh. IV, 39 *crebro sonat ungula cornu*; cfr. praeterea Sil. III, 550; IV, 96; XVI, 318; de ungula ipsa Sil. XIII, 238; *cornipes* pro equo saepe apud poetas legitur. De *pellendi* verbo cfr. Hor. c. III, 18, 15; Lucr. IV, 523; V, 1400; Catull. 61, 14; Cic. Arat. 52.

154. Eodem tempore, quo Argonautae in mari Colchorum terrae et Caucaso appropinquarent, Valerius Herculem finxit itinere terrestri ad Caucasum pervenisse Prometheumque liberasse; cfr. ad IV, 61. Apollonius II, 1250 seqq. narrat Argonautas vidisse aquilam et audivisse gemitum Promethei, de caede autem aquilae nihil addidit.

156. *morantem* Vat., *moventem* Koch coniect. p. 21 coll. V, 21 et 87.

157. *tum* adverbium non licet coniungere cum verbo *attulerat* propter subiectum *ille dies*; videtur Valerius, quae est eius audacia verborum collocandorum, hanc particulam ad *moventem* participium addidisse.

158. *vetus pruina* sunt nives per longum tempus collectae; non admodum raro *pruina* apud poetas praecipue posteriores pro *nive* ponitur: Verg. georg. III, 368; Sil. III, 533; 551; IV, 744; Stat. Theb. VIII, 359; anthol. lat. 138, 20 Baehr.; Claud. in Ruf. II, 102; fesc. II, 10; de bello Poll. 326; de VI. cons. Hon. 476; de rapt. Pros. I, 170; (II, 257 *pruinosus* Olympus nominatur); III, 89; Arat. act. apost. II, 1211; Coripp. Ioh. II, 18; Sidon. IX, 91. Falso etiam

Digitized by Google

vincula prensa manu saxis abduxerat imis
arduus et laevo gravior pede; consonat ingens
Caucasus, et summo pariter cum monte secutae
incubuere trabes abductaque flumina ponto.
fit fragor, aetherias ceu Iuppiter arduus arces
impulerit, imas manus aut Neptunia terras.
horruit immensum Ponti latus, horruit omnis
Armeniae praetentus Hiber, penitusque recusso
aequore Cyaneas Minyae timuere relictas.
tum gemitu propiore chalybs densusque revulsis
rupibus audiri montis labor et grave Titan
vociferans, fixos scopulis dum vellitur artus.
contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis

---

loci afferuntur, quales sunt Lucr. III, 20 vel Verg. georg. II, 263, ubi pruina non nivem sed frigus significat.

159. Vincula per corpus Promethei penitus in ima saxa adacta erant, ut firmiter onus corporis tenerent, sed ad ea vel ex imis saxis evellenda Hercules valuit.

160. *laevo gravior pede:* in gradu superiore stat pes dexter: igitur laevus potissimum onus stantis sustinet.

162. *abductaque flumina ponto* sine dubio recte explicatur ita, ut sit sententia flumina impediri quominus in mare profluant; *ponto* licet et dativum et ablativum interpretari; *trabes* i. e. arbores cum avulsa parte montis in mare decidunt.

163. *fit fragor*: Ov. met. I, 269.

Iuppiter arduus scilicet in arcibus aetheriis habitans.

ceu post primam sententiae vocem collocatum invenitur etiam III, 101; 581; 654; V, 353; post alteram III, 281; 465; IV, 452; post tertiam III, 83; IV, 44; post quartam adeo *velut* particula VI, 92.

164. De *aut* particulae collocatione cfr. ad II, 181.

168. *gemitu propiore* i. e. cum Argonautae magis appropinquarent ideoque sonitus propior esset, iam audiebant singula: sonum ferreorum vinculorum cum revellerentur et clamorem Promethei, cuius corpus non sine magnis doloribus membrorum laesorum rupe avellitur. *pervulsis* Vat., *revulsis* ed. Bon. et Ald.

densus labor est repetitus, continuatus ideoque vehemens, ut *ictus densi* dicuntur et *densus Aquilo* Verg. georg. III, 196; *densa frigoris asperitas* Ov. fast. IV, 87.

Digitized by Google

montibus Alciden dimissave vota retemptet?)
pergere iter socii; tantum mirantur ab alto
litora discussa sterni nive ruptaque saxa
et simul ingentem moribundae desuper umbram
alitis atque atris rorantes imbribus auras.
Sol propius flammabat aquas, extremaque fessis
coeperat optatos iam lux ostendere Colchos,
magnus ubi adversum spumanti Phasis in aequor
ore ruit. cuncti pariter loca debita noscunt
signaque commemorant emensasque ordine gentes,
dantque ratem fluvio. simul aethere plena corusco
Pallas et alipedum Iuno iuga sistit equorum.
Ac dum prima gravi ductor subit ostia pulsu,

---

172. *vota* sc. Herculis recuperandi.

175. Aquilam ipsam non conspiciunt Argonautae, sed umbram, quam in terra vel aqua facit, ut neque ipsum Prometheum neque Herculem conspiciunt, sed vestigia tantum ingentis facinoris. Tota descriptio laborat nimia sed Valerio non insueta superlatione.

176. *atris — imbribus* sc. cruoris aquilae.

180. *loca debita* i. e. fato eis destinata; cfr. ad v. 21 et Verg. Aen. VII, 120.

182. *aethere plena corusco* i. e. circumdata, ne adspici posset; sane inusitate dictum, sed simile certe est, quod scripsit Lucanus de Cleopatra X, 139 *plena maris rubri spoliis*. Simul cum Argonautis adveniunt curribus Iuno et Minerva: utrique enim deae currus tribuitur nec minus utraque dea nebula cincta est: quod de priore dicitur, etiam ad alteram pertinet et contra; cfr. ad I, 59. Minerva habet currum apud Hor. c. I, 15, 12; saepius Iunoni tribuitur: Ov. met. II, 531; fast. VI, 46; Verg. Aen. I, 17; Stat. Theb. XII, 298; etiam Val. V, 288 Iunoni, non Minervae tribuit equos; quod factum est auctoritate Homeri Il. V, 720 seqq.

183. *alipedes equi* non sunt alati, sed velocissimi; sic praeter equos etiam cervi apud poetas nominantur (Lucr. VI, 765; Auson. idyll. XVIII, 5) vel adeo currus infra 612; Sil. VII, 700; turmae equitum Sil. III, 292; XV, 554; interdum alipes loco substantivi pro equo scribitur: Verg. Aen. VII, 277; Stat. Theb. VI, 298; IX, 206; 580; XI, 198.

184. *pulsu* sc. remorum.

Digitized by Google

populeos flexus tumulumque virentia supra
flumina cognati medio videt aggere Phrixi,
quem comes infelix Pario de marmore iuxta
stat soror, hinc saevae formidine maesta novercae,
inde maris pecudique timens imponere palmas.
sistere tum socios iubet atque hinc prima ligari
vincula, ceu Pagasas patriumque intraverit amnem.
ipse gravi patera sacri libamina Bacchi
rite ferens umbram vocat et sic fatur ad aras:
'per genus atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
tu, precor, orsa regas meque his tuteris in oris
tot freta, tot brumae properantia sidera passum.
Phrixe, fave et patrias placidus reminiscere terras.

---

185. *populei flexus* sunt populi in orbe consitae, quibus tumulus Phrixi circumdatus erat, cfr. ad III, 312. et de populo arbore funebri ad V. 10.

virentia flumina, vid. ad v. 148; de plurali ad II, 496.

186. *medio — aggere* i. e. loco supra planitiem edito, in quo medio tumulus constitutus erat.

187. *parvo* Vat., *Pario* Maserius. Quod tempore Iasonis Parium marmor nondum in usu fuit, veritati emendationis non obstat, vid. ad v. 422. Ex eis, quae sequuntur, apparet, initium fugae Phrixi et Helles ex marmore fictum esse Valerium statuisse. *quem* sc. Phrixum; Schenkl stud. p. 366 locum non recte interpretatum esse puto.

De collocatione *iuxta* praepositionis cfr. ad I, 151.

188. *hinc — inde*: a tergo imminet mater et tamen Helle dubitat mare intrare: in marmore efficta est respiciens et cunctans arietem conscendere.

194. Paucissimis verbis precationem Iasonis absolvit Apoll. II, 1277 seq.

196. *durae* Vat., *brumae* Ellis journal of phil. IX, 57; Colchos ad septentriones versus habitare poeta cogitat, vid. I, 513.

sidera passus esse dicitur Iason propter pericula, quae naviganti a tempestatibus sive metuenda erant sive re vera perpessus est.

sidera pati i. e. vim pati siderum tempestates commoventium, cfr. Sen. Oed. 230 *incipit Letoa vates — pati — Phoebum*; Stat. Ach. II. 295 *ceu nunquam Scyria passus litora* (Achilles).

Digitized by Google

tu quoque nunc, tumulo nequiquam condita inani,
adnue diva maris numeroque accede tuorum.
quando egomet rursus per te vehar? aurea quando
Seston et infaustos adgnoscent vellera fluctus?
vos etiam silvae, vos Colchidos hospitis orae,
pandite, dives ubi pellis micet arbore sacra.
tunc tibi, fecundi proles Iovis, orte nivali
Arcados axe deae, fluvio modo, Phasi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec arae
defuerint tellure mea; reverenda tuenti
effigies te, Phasi, manet, quam magnus Enipeus
et pater aurato quantus iacet Inachus antro'.

---

198. *tumulo — inani*, Verg. Aen. III, 304. *nequiquam* autem *condita* ideo Helle dicitur, quia dea immortalis facta tumulo omnino non indiget.

200. *per te* i. e. per Hellespontum metonymia minime eleganti dictum: cfr. ad II, 629; *egomet* autem hoc loco prorsus nihil nisi quod simplex pronomen significat; similiter legitur Stat. silv. III, 5, 6; IV, 4, 51; saepius apud posteriores: Prud. hamart. 788; *nosmet* hamart. 325; psych. praef. 9; perist. II, 322; *mihimet* c. Symm. II, 265; Iuvenc. I, 66; Ven. Fort. XI, 5, 1; *memet* Sedul. pasch. c. V, 6; Iuvenc. IV, 241.

203. *misceat* Vat., *micet* cod. Carr.

204. Phasis nominatur *fecundi Iovis proles*, ut putant Turnebus et Burmann, ex imitatione Homeri, qui fluvios vocat διπετεῖς, recte sine dubio, quia Phasis vera Iovis progenies esse non traditur, sed Solis filius dicitur Plut. de fluviis V, 1; cfr. I, 692; *fecundus* est Iuppiter, quod imbribus fluvios procreat alitque.

205. *Arcas dea* est Callisto nympha in ursae maioris sidus mutata.

207. *defuerint*; exspectatur *deerunt*, sed cfr. Ov. artis II, 230 *si rota defuerit, tu pede carpe viam*, et Val. ipsius VII, 94; de simplici *fuerint* cfr. ad I, 675.

verenda fluentis Vat., *reverenda* Heinsius; *tuenti* Sandstroem emend. p. 35.

208. Similes fluviorum statuas Valerio ante oculos versatas esse recte contendit Caussin.

209. *pater — Inachus*: cfr. ad III, 727; ceterum Inachus est inter celeberrimos Graeciae fluvios: Luc. VI, 363; Stat. Theb. IV,

Digitized by Google

dixerat, atque illi dextra sine versa magistri
protinus in puppim rediit ratis omine certo
fluminis os pontumque tuens. 'promittis ut ecce
utque vocas revehemur' ait. sic deinde precatus
arma iubet celsa socios depromere puppe.
dona dehinc Bacchi casusque ut firmet in omnes
rapta Ceres, viridesque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc cantus alios, dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis. non mens mihi, non haec

118: *fluviorum ductor Achivum*, ubi schol. *fluvius* inquit *est maximus in Graecia*; *ingens* nominatur IV, 711; vide etiam Verg. Aen. VII, 792.

210. Hoc omen de suo addidit Valerius.

dextra sine; vid. ad I, 765.

211. *proram* Vat., quod explicari non potest; *puppim* scripsi i. e. rediit ratis eo, quo puppis erat, convertitur, cfr. Luc. III, 545 *in puppim rediere rates*. Ceterum hoc nisi miraculo iam factum esset, gubernator effecisset arte sua, cfr. Verg. Aen. VI, 3 seq.

215. *casus qui* Vat., *casusque ut* Heins.

216. *rapta Ceres* i. e. frumentum celeriter ex navi depromitur cibusque paratur; cf. ad v. 271 et III, 341.

217. Quaecunque infra de bello inter Aeetam et Persen gesto Valerius aut tangit aut accuratius narrat, ipse addidit; apud Apollonium de hoc bello omnino nihil legitur. Nimirum poetae Romano non satis erat narrare, tot fortissimos viros nihil egisse, nisi ut remos moverent: propterea et fusius pugnam illam nocturnam inter Argonautas et Cyzicenos commissam exposuit et ipse excogitavit grave bellum, quod Perses, quo tempore Argonautae ad Colchos adveniebant, cum fratre gesturus erat, quo clarius explendesceret virtus heroum, qui Aeetae in angustis rebus auxilium ferrent. Fortasse etiam loco Apollon. III, 393 seqq. Valerius aliquomodo motus est, quod coniecit Summers 'a study of the Argonautica of Val. Flaccus' p. 22.

217. Apud Apollonium Erato invocatur, ut narret, quomodo Iason aureum vellus reportaverit; Valerius etiam VI, 34 maiorum rerum ordinem enarraturus Musam invocat.

vobis i. e. tibi ceterisque Musis; cfr. VI, 34 et 41; Verg. Aen. IX, 525 *vos, o Calliope, precor, adspirate canenti*; cfr. ad VIII, 178.

218. *da bella* i. e. narra: Hor. sat. II, 8, 4; Lucil. XXIX, 39 ed. M.; Terent. Haut. prol. 10; Verg. eclog. I, 19; etiam in passivo genere: Ov. fast. VI, 434 *Aeneas eripuisse datur*; Stat. Theb. VII,

Digitized by Google

ora satis; ventum ad furias infandaque natae
foedera et horrenda trepidam sub virgine puppem;
impia monstriferis surgunt iam proelia campis.
ante dolos, ante infidi tamen exequar astus
Soligenae falli meriti meritique relinqui
inde canens: Scythica senior iam Solis in urbe
fata laborati Phrixus compleverat aevi.
illius extremo sub funere mira repente
flamma poli magnoque aries apparuit astro

---

315 *Asopus genuisse datur*; Claud. de raptu Pros. III, 336 *pater — praedam advexisse datur.*

haec ora unum os unius hominis significant, ut Verg. Aen. II, 246 *aperit Cassandra futuris ora*; Ov. met. XV, 73 *ora — solvit — verbis*; V, 193 *adapertaque velle Ora loqui credas* multisque aliis locis imprimis apud Ovidium.

219. Permirum est, quod hoc loco poeta Medeae facinora ea, quibus Iasonem iuverit, ut rem ad felicem exitum adduceret, tam gravibus verbis vituperat, praesertim cum paullo infra regem Aeetam appellet infidum atque falli et relinqui meritum et in narratione ipsa de Medeae agendi ratione instituta enixe operam det, ut Medeae culpam quam maxime elevet; cfr. quae ad 330 dicentur.

220. Navis trepidavit, cum Medea insiliret.

221. *impia — proelia* fratris contra fratrem; *monstriferi* campi, qui tulerunt draconem custodem velleris et viros armatos ex draconis Cadmei dentibus ortos.

223. *falli meriti*; de constructione cfr. ad I, 519.

224. *inde canens*: hinc canendi initio facto; cfr. Verg. georg. I, 5 *hinc canere incipiam*; eadem verba leguntur apud Arat. act. apost. I, 220. Iam enarraturus est Valerius causas belli inter Aeetam et fratrem orti.

225. *laborati — aevi* audaci et eleganti brevitate dictum pro aevo per labores peracto; imitatus est Stat. Theb. I, 341 *grata laboratae referens oblivia vitae*; vid. praeterea Tertull. de vel. virg. c. 10 *continentia — laboratior.*

De sententia totius versus, quam non recte intellexit Burm., cfr. ad I, 41.

Digitized by Google

aequora cuncta movens. at vellera Martis in umbra
ipse sui Phrixus monumentum insigne pericli
liquerat ardenti quercum complexa metallo.
quondam etiam tacitae visus per tempora noctis
effigie vasta, socerumque exterruit ingens
prodita vox: 'o qui patria tellure fugatum
quaerentemque domos his me considere passus
sedibus, oblata generum mox prole petisti,
tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
rapta soporato fuerint cum vellera luco.
praeterea infernae quae nunc sacrata Dianae
fert castos Medea choros, quicumque procorum
pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis'.
dixit et admota pariter fatalia visus

---

227. *astrum* in caelo apparuit forma simile arieti a Phrixo immolati.

228. *Martis in umbra* i. e. luco, ut VII, 55; Verg. georg. I, 157; saepius *umbrae* singulas arbores apud poetas significant.

229. De sententia cfr. Verg. Aen. XII, 767 seqq.

232. *socerum*: Aeetam, qui Phrixo Chalciopen filiam in matrimonium dederat.

236. *supersunt* i. e. redundant; de vaticinio cfr. Hyg. fab. XXII. Quod apte quidem a Valerio commemoratur ad intellegendum, cur Aeetes ira incensus ne aureum vellus Iasoni daret recusaverit, sed non recte fecit, quod ipsum Phrixum haec Aeetae aperientem inducit suadentemque, ut Medeam ex regnis paternis amoveat; nam haec omnia Iasoni populari et consanguineo adversa erant.

237. *soporato* —*luco* audaci metonymia dicit poeta pro dracone in luco versante; non tam audacter positum est, sed similiter certe apud Iuven. III, 16 *eiectis mendicat silva Camenis*.

239. *fert — choros*; vid. ad IV, 282. Quae sequuntur, recte Burm. explicavit pro *quecumque*, quod est in Vat., *quicumque* scribens, 'quicumque procorum conubium petat, eum sequatur virgo, ne maneat in regnis paternis'; *pacta* i. e. matrimonium sive sponsalia, vide VIII, 221; 401: 'möge sie als Jungfrau nicht im väterlichen Reiche bleiben, gleichviel wer um sie werben sollte'; de *quicumque* pronominis notione cfr. III, 642; Hor. sat. I, 6, 95.

Digitized by Google

tradere terga manu, tum falso fusus ab auro
currere per summi fulgor laquearia tecti.
membra toris rapit ille tremens, patriumque precatur
numen et eoo surgentes litore currus:
'haec tibi, fatorum genitor tutela meorum
omnituens. tua nunc terris, tua lumina toto
sparge mari; seu nostra dolos molitur opertos,
sive externa manus, primus mihi nuntius esto.
tu quoque, sacrata rutilant cui vellera quercu,
excubias, Gradive, tene; praesentia luco
arma tubaeque sonent, vox et tua noctibus extet'.
vix ea, Caucaseis cum lapsus montibus anguis,
haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
implicuit Graiumque procul respexit ad orbem.
ergo omnes prohibere minas praedictaque Phrixi
invigilat, plena necdum Medea iuventa
adnuitur thalamis Albani virgo tyranni.

---

242. *falsum* aurum, quia per somnum apparuit.

243. Verg. Aen. VIII, 25.

246. *haec tibi* quamquam sana 'ratione explicari possunt, ut audiatur *dico*, vid. 253 et VII, 170 et ad I, 174, tamen valde languent atque suspecta sunt, sed probabilis emendatio nondum reperta est.

247. *omnituens* πανόπτης, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Sol cum omnino clandestina consilia aperiat (vid. Prelleri myth. graec. I⁴, 433), prorsus ad rem accommodatum videtur, quod ipse filius Solis ab eo petit, ut occultas insidias detegat.

251. *praesentia arma* dixit poeta enallage quadam pro armis dei praesentis, qui praesens auxilium ferat.

252. *noctibus* nonnullis editoribus suspectum fuit; sed videtur Valerius cogitasse, noctu cum omnes somno sopiti essent, maiore tumultu per urbem exorto opus esse ad dormientes excitandos neque hoc satis bene fieri armis in luco remoto conditis, sed opus esse voce divina per urbem ipsam exorta; cfr. II, 200; III, 44.

254. *refosis* Vat., *refusis* cod. Carr., i. e. in orbem conversis.

257. *invigilandi* verbum hoc solo loco cum infinitivo coniunctum reperitur.

Digitized by Google

Interea auguriis monstrisque minacibus urbem
territat ante monens semper deus et data seri
signa mali; reddi iubet exitiale sacerdos
vellus et Haemoniis infaustum mittere terris.
contra Sole satus Phrixi praecepta volutans
aegro corde negat, nec vulgi cura tyranno,
dum sua sit modo tuta salus. tunc ordine regi
proximus et frater materno sanguine Perses
increpitare virum; sequitur duce turba reperto.
ille furens ira solio se proripit alto,
praecipitatque patres: ipsum quin talibus ausis
spem sibi iam rerum vulgi levitate serentem
ense petit. rapit inde fugam crudelia Perses

---

260. *territat — data* (sunt): de mutatis temporibus vid. ad III, 509.

266. *frater materno sanguine Perses*; Dionysius Milesius teste schol. Apoll. III, 200 etiam Persen filium Solis esse tradiderat, idem narrat Diod. IV, 45; Hyg. fab. 27; 244; p. 12 Schm.; quem patrem Valerius cogitaverit, nescimus. Etiam eo discedit poeta ab Dionysio et Diodoro. quod hi Persen in regione Taurica regnasse tradunt, ille eum in Colchis habitare fingit.

269. *praecipitatque patres*; de praecipitandi verbo vide ad IV, 627; *patres* dicit Valerius seniores Colchorum ex similitudine senatus Romani, ea licentia usus, qua heroum tempora et conditiones accommodantur ad res et rempublicam Romanorum, vid. ad I, 72.

270. *spem sibi — serentem.* Cum Latini dicunt *serere bellum discordias causas discordiarum invidiam crimina lites opinionem rumores* al., semper hae ipsae res, quae seri dicuntur, ad alios homines pertinent, non ad eum ipsum qui serit; sed cum etiam apud Senecam legatur epist. 104, 13 *ipse tibi seres sollicitudinum causas*, scriptura *ferentem* cod. Carr. reicienda est.

271. *rapit — fugam* i. e. celerrime fugit, capessit fugam, similiter *necem r.* VI. 191; *venerem* Hor. sat. I, 3, 109; *viam* Ov. her. XVIII, 74; Sil. VIII, 181; IX, 33; *gressus* Luc. III, 116; *iter* IV, 151; VI, 121; Sil. III, 156; XII, 472; *letum* Luc. IV, 345; *cursus* V, 403; Sil. VIII, 197; Sen. Phaedr. 449; 738; Acc. trag. 123 R.; *bellum* Luc. V, 409; *nefas* X, 428; *vestigia retro* Sil. VII, 621; *certamina* XV, 440;

Digitized by Google

signa gerens omnemque quatit rumoribus arcton.
iamque aderat magnis regum cum molibus urbi,
primaque in adversos frustratus proelia muros
constiterat. datus et sociis utrimque cremandis
ille dies alterque dies, cum Marte remisso
debitus Aeaeis dux Thessalus appulit oris.
Nox hominum genus et duros miserata labores
rettulerat fessis optata silentia terris.
at Iuno et summi virgo Iovis intima secum
consilia et varias sociabant pectore curas.
virgo prior: 'magna pariter quos mole petamus,

---

mortem (i. e. celerrime sibi ipsi mortem consciscere) Iuvenc. IV, 631; cfr. etiam ad III, 341.

Ense petitum et adeo vulneratum esse Persen apparet ex eis quae sequuntur: *crudelia — signa* i. e. vulnera gerens.

272. *quatit* i. e. excitat, ut I, 743; II, 122.

omnem — arcton, prorsus eadem metonymia, qua nos dicimus 'den ganzen Norden'.

273. *regnum* Vat., *regum* cod. Carr. *milibus* Vat.; sed de *millibus* regum Valerius quamvis superlationum studiosus dicere non poterat; sane, quod est *magna millia*, etsi inusitate dictum tamen defenderetur verbis Prop. I, 5, 10 *at tibi curarum millia quanta dabit*; recepi *molibus* Baehrentis coniecturam: molis substantivum de copiis saepius scriptum legitur, ut Sil. IX, 417; Tac. ann. II, 46 al.

274. *primaque — frustratus proelia — constiterat*: a muris oppugnandis reiectus castra posuerat apud urbem; *proelia* est accusativus, qui dicitur relationis.

275. Verg. Aen. XI, 2.

277. *debitus*; cfr. ad v. 21.

282. *magna pariter quos mole petamus*; haec verba sana sententia carent, sive putamus coniunctivum *petamus* pendere a verbo *cernis*, quod fecit inter alios Thilo, sive eum coniunctivum dubitativum interpretamur signo interrogandi post *petamus* posito, ut fecerunt Schenkl Baehr., nam v. 285 demum interrogat Minerva, utri parti auxilium ferant. Nescio an Valerius *petīmus* scripserit, i. e. *petivimus*; tales primae personae pluralis contractiones quamquam sunt rarissimae, tamen nonnulla extant exempla, vid. Kuehneri gramm. lat. I, § 191, annot. 5 atque *desimus* formam codicibus saltem traditam Sen. epist. 55, 1; 90, 32; Plin. epist. 3, 21, 3.

Digitized by Google

cernis' ait 'Colchos habeant quae proelia, quique
nunc status. hinc Perses, illinc non viribus aequis
apparat Aeetes aciem. quibus addimur armis?'
cui Iuno 'dimitte metus, ne proelia forte
hic tibi grata negem; manet ingens aegida sudor
et nostros iam sudor equos. stat pectore fixum
Aeetae sociare manus. scio perfida regis
corda quidem; nullos Minyis exsolvet honores.
verum alios tunc ipsa dolos, alia orsa movebo'.
'sint, precor, haec; tua namque mihi comitanda potestas'
Pallas ait, 'liceat Grais ut reddere terris
Aesonium caput et puppem, quam struximus ipsae,
iactatam tandem nostro componere caelo'.
Talia tunc hominum superi pro laude movebant.

---

magna mole i. e. navi magno cum labore aedificata et longinqua heroum navigatione variisque periculis.

283. *Colchos habeant quae proelia* i. e. occupatos teneant vexent sollicitent; cfr. VIII, 3 *Colchida — furiaeque minaeque patris habent*; amat similes locutiones imprimis Ovidius: met. IX, 291; X, 81; fast. III, 288; VI, 572; trist. I, 11, 32; ex Pont. I, 2, 30; III, 1, 82; vide etiam Stat. Theb. III, 549 *terror habet vates*; VIII, 4 *horror habet cunctos*; XII, 672 *terror habet populos*; cfr. praeterea Verg. Aen. IX, 188.

285. *quibus addimur armis*; Verg. Aen. II, 339; VI, 169; 528; 777; ecl. VI, 20; Petron. c. 124 v. 267; Sil. VI. 21; 372; Stat. Theb. VIII, 184; anthol. lat. 177, 34 B.; Claud. de rapt. Pros. I, 231. Indicativus pro coniunctivo, qui dicitur dubitativus, non adeo rarus est, velut victimarius hostiam immolaturus *'agone?'* inquit; Valerii ipsius alia exempla sunt infra 636 *imus*, 637 *decernimus*. VIII, 66 *mergimus, tradimus*; cfr. praeterea inter alia Plaut. Pers. 666 *Toxile, quid ago?* Trin. 1062 cum annot. Brixii; Men. 844 *quid agimus?* Verg. Aen. V, 534 *en quid ago? rursusne procos inrisa priores experiar?*

287. *hinc* Vat., *hic* Baehr., nescio an casu; *ingens* om. Vat., add. cod. Carr. Saepius etiam equorum sudor in bello laborantium commemoratur: Hom. Il. II, 390; Hor. c. I, 15, 9; Stat. Theb. III, 210.

288. *stat*; Verg. Aen. II, 750; Ov. met. I, 243; VII, 67, al.

292. *namque* postponitur primo vocabulo ut v. 395; VIII, 180.

295. *componere*, i. e. quieto loco post tot labores peractos collocare, velut Verg. georg. IV, 438 *vix defessa senem passus componere*

Digitized by Google

tristior at numquam tantove paventibus ulla
nox Minyis egesta metu; nil quippe reperto
Phaside, nil domitis actum Symplegados undis,
cunctaque adhuc, magni veniant dum regis ad urbem,
ambigua et dubia rerum pendentia summa.
praecipue Aesoniden varios incerta per aestus
mens rapit undantem curis ac multa novantem.
qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat,
Pliadas ille movens mixtumque sonoribus imbrem
horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnis

---

membra; Ov. am. I, 4, 53 *si bene compositus somno vinoque iacebis*; II, 5, 22 *compositi iuvenes unus et alter erat*; Sen. Herc. fur. 809 seq. *custos opaci pervigil regni canis Componit aures.*

298. *nox — egesta metu*; VIII, 454 *tota querelis egeritur questuque dies*; cfr. etiam VIII, 102 *inque aliis senium nunc digere lucis.*

301. *dubia rerum pendentia summa*; solet pendendi verbum de hominibus dici, qui incerti sint quid faciant, hoc autem loco transfertur ad res dubias ut Ov. met. VIII, 12 *pendebat adhuc belli fortuna*; Luc. II, 41 *dum pendet fortuna ducum*; VI, 632 *fata peremptorum pendent iam multa virorum.*

303. *undantem curis*; cfr. Sil. XI, 548 *nigroque undantia pectora felle*; eadem ratione fluctuandi verbo utuntur Catull. 64, 62; 65, 4; Verg. Aen. IV, 532; 564; VIII, 19.

navantem Vat., *novantem* Monac., i. e. nova consilia capientem cfr. Ov. met. IX, 145. De versu, qui dicitur leoninus, cfr. ad I, 39.

304 seqq. satis accurate vertit Valerius Hom. Il. X, 5—10. Atque licet iudicemus iam Homericam comparationem quadam superlatione laborare, haec etiam augetur a poeta Romano: nam cum apud Homerum dicatur tam crebro gemuisse Agamemnonem, quam si Iuppiter fulgura mittat gravi tempestate coorta, Valerius pectoris motus Iasonis gemitu crebro concussi comparat cum natura rerum fulminibus Iovis concussa.

305. *Pliadas — movens*, cfr. II, 357.

306. *canis ubi tollitur omnis campus aquis*; aquas intellegit cum aliis Burm. nives, quibus campus tegatur, sed multo simplicius est mare intellegere, cuius undae vi ventorum excitatae canescunt; spumantes undae non raro *canae* (vel *canescere, canere*) dicuntur: Lucr.

Digitized by Google

campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli:
[aut altos duris fatorum gentibus ortus]
sic tum diversis hinc atque hinc motibus anceps
pectora dux crebro gemitu quatit, optat et almum
iam iubar et certi tandem discriminis horas.
tunc defixa solo coetuque intenta silenti
versus ad ora virum 'quod pridem ingentibus ausis
optavistis' ait 'veterumque quod horruit aetas,
adsumus en tantumque fretis enavimus orbem.

II, 767; Enn. ann. 349 B.; Cic. Arat. 71; frgm. progn. III, 3 B.; Verg. Aen. VIII, 672; Ov. her. II, 16; III, 65; V, 54; XVII, 137; fast. III, 592; Ibidis 390; Luc. IV, 587; VIII, 722; Sil. IV, 247; XIV, 362; Stat. Ach. I, 235; Theb. V, 337; 406; XI, 43; inc. poet. poet. min. III, 25, 12 B.; anthol. 71, 6 B.; 211, 92; apud Val. ipsum III, 32. *campus* autem mare dicitur a poetis; sane plerumque additur adiectivum, qua notio accuratius definiatur, vel genetivus, velut *caeruleus liquidus humens liquens natans salis aquae*, sed hoc loco satis dilucide ex tota sententia apparet, quales campi dicti sint.

307. *aut sanguinei magna ostia belli*; mirum videri potest, quod haec addidit poeta, sed conversa sunt ex Graecis Homeri l. l. v. 8 ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα στόμα πευκεδανοῖο et expressit Statius Theb. V, 146 *saevi movet ostia belli*. Apud Homerum sive quicumque is fuit, qui librum decimum Iliadi interposuit, versus etiam minus aptus est quam apud Valerium, ubi *ostia* satis bene pendet a participio, quod est *movens*: Iuppiter igitur coruscat aut tempestatem gravem indicans aut, quod miserius hominibus est, grave bellum.

308. Valde suspectus eo, quod nihil habet apud Homerum, cui respondeat. Schenkl 'ad aliam totius loci conformationem, quam poeta (in) animo habuerat, pertinere videtur'.

309. *molibus* Vat., *motibus* Heinsius; frustra defendere conati sunt traditam scripturam Wagner et Lemaire, ille explicans *pondere curarum*, addendo eam notionem, qua aegre carere possumus, hic comparans Sen. Med. 391 *quo pondus animi vergat* et Luc. VIII, 280 *mentis — quo pondera vergant*]; sed haec vis ponderis, ut significet id, quod habeat aliquid in se momenti, a molis notione prorsus aliena est.

313. *primum* Vat., *pridem* vir quidam doctus.

315. *enavimus orbem*; enare cum accusativo coniunctum est ut

Digitized by Google

nec pelagi nos mille viae, nec fama fefellit
Soligenam Aeeten media regnare sub arcto.
ergo ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
urbis et ignoti mens experienda tyranni.
adnuet ipse, reor; neque inexorabile certe,
quod petimus: sin vero preces et dicta superbus
respuerit — iam nunc animos firmate repulsae,
quaque via patriis referamus vellera terris,
. . . . . .
stet potius: rebus semper pudor absit in artis'.
dixerat, et Scythicam qui se comitentur ad urbem

---

effugere erumpere egredi evadere eniti exire enavigare eremigare (Sil. XIV, 191) excedere elabi: cfr. Sil. III, 662 *valles en.*; XV, 375 *freta*; Sidon. XXII, 167 *enatat — pelagus.*

316. ‚Mille viis per mare currere nobis licebat, sed unam veram feliciter invenimus'.

318 seqq.; in eandem fere sententiam, sed pluribus verbis Iason alloquitur socios apud Apoll. II, 171—193.

ubi lux altum sparget mare tecta petenda urbis non satis quadrare videntur ad ea quae sequuntur, cum Iason nulla mora interposita statim viros novem sorte electos secum ducat. Sed noctu e navi egressus, cum longior via usque ad urbem emetienda esset, sane sole demum exorto urbi appropinquat, vid. v. 328.

lux sparget mare; Verg. Aen. IV, 584; Lucr. II, 144.

320. *exorabile* Vat., *inexorabile* Monac. a man. sec., i. e. quod exorari non possit, dictum id quidem praeter consuetudinem, at non praeter rationem, cum et homo exorari dicatur, a quo aliquid petamus, et res ipsa, quae petatur.

321. *vero* valde suspectum propter o litteram correptam.

322. Post *respuerit* signum interruptae orationis posui.

323. Non apte hic versus pendet ab eis quae sequuntur *stet potius*, pro quibus exspectatur *consideremus* vel tale quid; praeterea autem notio desideratur, qua appareat, cur Iason socios moneat, ne pudore commoveantur. Itaque ante 324 versus nonnullos excidisse conicio huius fere sententiae: 'considerandum (qua via — referamus) et ne vellus relinquamus et infecta re discedamus, vel fraude uti stet potius'. Obscure iam indicatur alieno auxilio et fraude fore ut vellus capiatur.

Digitized by Google

sorte petit, numeroque novem ducuntur ab omni.
inde viam, qua Circaei plaga proxima campi,
corripiunt regemque petunt iam luce reducta.
Forte deum variis per noctem territa monstris,
senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,

---

326. Apud Apoll. III, 196 filii Phrixi, de quibus vide ad v. 151, et duo socii Telamon Augeasque Iasonem in urbem comitantur atque in domo ipsa Aeetae Medea hospites primum conspicit. Multo autem efficacior ad amorem excitandum est congressus Medeae cum Iasone a Valerio narratus v. 350 seqq. Omnino tota haec narratio Valerii de introitu Iasonis et congressu cum Aeeta ab Apollonio discedit, propius ad Apoll. accedit Hygin. fab. XXI. Prorsus mira de adventu Iasonis narrat Dracontius X. 34 seqq., sed totum eius carmen valde abhorret a fabula vulgo tradita, cfr. 248 seqq.; 328 seqq.; 355 seqq.; 366 seqq.; 436 seqq. al. Cfr. etiam Diod. IV, 46.

328. *viam — corripiunt*; I, 132; Verg. Aen. I, 418; it Iason ea via, quae proxime ad campum Circaeum ducit; Circaeus campus commemoratur etiam Prisc. perieg. 674; Apoll. II, 402; paullo accuratius situs describitur Apoll. III, 200. Erat inter ostium fluvii Phasidis et urbem ibique cadavera mortuorum, quae cremare Colchis nefas fuerit, arboribus suspensa esse narrat; cfr. schol. l. l. et Sil. XIII, 486; Aelian. var. hist. IV, 1.

329. *deum — monstris:* cfr. Verg. Aen. III, 59; Stat. Theb. XI, 143; Claud. de bell. Poll. 229.

330. Iam Medea partes agere incipit eamque ut probam pudicamque virginem poeta describit, quae trium dearum demum coniuncta opera victa atque vix quidem victa proditis rebus patriis Iasonem iuvet ac sequatur. Wagner inter alia haec habet: . . . . 'tam veris vividisque coloribus muliebre depinxit ingenium, ita ad naturam accommodate exponit, quam vim habeant sensus, quibus nimis indulserimus, pugnam virtutem inter et cupidinem, et quo delabi femina semel amabili illa simplicitate vitaeque innocentia deposita, semel exuto pudore possit'. Quae est vis cupidinum apud Wagnerum, apud poetam est vis dearum, imprimis Iunonis et Veneris. Etiam Pindarus Pyth. IV, 385 seq. operam Veneris in Medea concilianda commemorat, sed minime feliciter finxit Medeam quasi incantatam ab Iasone amore devinctam esse.

Digitized by Google

rapta toris primi iubar ad placabile Phoebi
ibat et horrendas lustrantia flumina noctes.
namque soporatos tacitis in sedibus artus
dum premit alta quies nullaeque in virgine curae,
visa pavens castis Hecates excedere lucis;
dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter
pontus et ingenti circum stupefacta profundo,
fratre tamen conante sequi: mox stare paventes
viderat intenta pueros nece seque trementum
spargere caede manus et lumina rumpere fletu.
his turbata minis fluvios ripamque petebat
Phasidis aequali Scythidum comitante caterva.
florea per verni qualis iuga duxit Hymetti
aut Sicula sub rupe choros hinc gressibus haerens

---

331. *rapta toris* i. e. celerrime surgens, ea notione, de qua ad II, 255 dictum est; cfr. etiam ad III, 594.

placabile iubar i. e. placans, cfr. ad I, 782. De aqua infausta somnia avertente cfr. Verg. Aen. VIII, 68; Stat. Theb. IX, 570 seqq.; Prop. IV, 4, 23 seq.; Pers. sat. II, 16.

332. *noctes* pro eis, quae noctibus fiunt; hoc loco sunt somnia ut Sil. III, 216; apud Stat. Theb. IV, 133 facinora nocturna.

336. *pii — patris*, propter magnum erga filiam amorem.

inter pro adverbio est, ut VI, 220; VIII, 303; 382; alibi non inveniri videtur; paullo magis in usu erat *circum* adverbium: *ingenti circum* — (quod circum se erat) *profundo.*

338. *frater et amen conantes qui* Vat., *fratre tamen conante sequi* cod. Carr.

mox adverbio indicatur, aliam deinde somnii imaginem apparuisse.

340. *lumina rumpere fletu*; initio lacrimae retinentur, sed maiore vi claustris quasi fractis erumpunt, cfr. Lucr. III, 297 seq. *pectora qui* (leones) *fremitu rumpunt plerumque gementes Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.*

343. *verni Hymetti*, qualis est tempore veris, floribus variis ornatus, ut *silva verna* veris tempore fronde vestita III, 403; sic *tellus v.* Stat. Theb. IV, 786; *ramus* Sen. Agam. 670; *virgulta* Claud. de rapt. Pros. III, 225.

Digitized by Google

Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae,
altior ac nulla comitum certante, prius quam
palluit et viso pulsus decor omnis Averno:
talis et in vittis geminae cum lumine taedae
Colchis erat nondum miseros exosa parentes.
ut procul extremi gelidis a fluminis undis
prima viros tacito vidit procedere passu,
substitit ac maesto nutricem adfata timore est:
'quae manus haec, certo ceu me petat agmine, mater,
advenit haud armis, haud umquam cognita cultu?
quaere fugam, precor, et tutos circumspice saltus'.
audit virginei custos grandaeva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus aevi;

---

345. De sententia cfr. Stat. Ach. II, 149; Claud. de rapt. Pros. II, 17 seqq.; 204; Eurip. Hel. 1315 seq.; in operibus artis fingendi praesertim in sarcophagis saepe describuntur Minerva et Diana praesentes in Proserpinae raptu, quem aut frustra impedire conantur aut etiam adiuvant; vid. Overbeck griech. Kunstmythol. III, p. 654; 621; 630, al.; tab. XVII, 1; 3; 5; 9; XVIII, 4a, b; XVII, 21; 22; Mueller-Wies. mon. II, 9, 103; 108; Baumeist. monum. I, 418 et 421; Foerster 'Raub etc. der Proserp.' p. 135; de Minerva comite Proserpinae in floribus colligendis vid. Overb. l. l. p. 621.

348. *in vittis*, cfr. ad I, 641.

geminae cum lumine taedae; saepissime Hecate ipsa cum duabus facibus apparet in artis operibus, praesertim in fabula Proserpinae descripta, vid. Muell.-Wies. mon. I, 46, 213; II, 9, 110; 67, 848; Overb. gr. Kunstmyth. III tab. XV, 23; tab. XVI, 1a; 3; tab. XVII, 25a; 26; 27; tab. XVIII, 15; 20; p. 597 seqq.; archaeol.-epigr. Mittheil. aus Oesterr. IV, 142; Gerh. ges. Abh. II tab. 76; 77; 78; Baum. monum. I, 16; hoc loco sacerdoti Hecates faces tribuit poeta; cfr. etiam VII, 180 et Prop. II, 32, 10.

353. Nomine *matris* vel *parentis* interdum honoris causa appellantur mulieres senes a iunioribus, ut Circe VII, 242; 248; cfr. Ov. fast. IV, 513; Apul. met. I, 21; IV, 26; IX, 17.

certo — agmine: Verg. Aen. II, 212.

356. *virginei custos — pudoris*: Stat. Theb. XII, 205.

357. *Heniochen* nutricem Medeae ipse Valerius finxit nomine sumpto a gente Heniochorum.

Digitized by Google

tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
'non tibi ab hoste minae nec vis' ait 'ulla propinquat
nec metus; externo iam flammea murice cerno
tegmina, iam vittas frondemque imbellis olivae.
Graius adest, Graio sic cuncta simillima Phrixo'.
Sic ait. at Iuno, pulchrum longissima quando
robur cura ducis magnique edere labores,
mole nova et roseae perfudit luce iuventae.
iam Talaum iamque Ampyciden astroque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore,
non secus, autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius et saevo cum nox accenditur auro
luciferas crinita faces, hebet Arcas et ingens

---

360. *metus*; cfr. ad I, 23. *flammea tegmina*; vid. ad I, 427.

362. Non sine causa addidit Valerius verba *Graio sic cuncta simillima Phrixo*, sc. ut appareat, unde notitiam Graeci cultus nutrix nacta sit.

363. De re cfr. Apoll. III, 918 seqq.; Orph. Argon. 807; Verg. Aen. I, 588 seqq.; praeivit Homerus Od. VI, 229 seqq.

364. *robur — magni — edere labores*; cfr. Ov. Ibidis 604; Luc. II, 73; Sil. II, 463; saepius transfertur ad animum haec edendi notio.

366. *astroque comantes Tyndaridas*; audacter hoc participium ad astrum transtulit Valerius: ut alii ornantur pulchra coma in capite, sic astro Tyndaridae, cfr. I, 570. Ita ornati conspiciuntur in nummis, qui Victoriati dicuntur; cfr. etiam Roscheri lex. I, p. 1176; Helbig Wandgem. Camp. Nro. 963; Stat. Ach. I, 181; Theb. V, 440.

367. *egregio supereminet ore*; praecipuum decus habetur socios magnitudine corporis superare, cfr. VI, 607; Verg. Aen. VI, 857; I, 501; *egregio — ore*: Verg. Aen. IV, 150.

369. *saevo — auro* sc. Sirii; cum Sirio comparatur Iason etiam apud Apoll. III, 955, ut Achilles apud Hom. Il. XXII, 26. *aurum* indicat splendorem sideris; cfr. infra 566 *noctem auream* i. e. sideribus illustrem; Claud. de rapt. Pros. I, 254 *stellas accendit* (Proserpina in opere texendo) *in auro*; *aurea* sidera vocantur Verg. Aen. II, 488; Ov. met. VII, 193.

accenditur i. e. illustratur, splendet: V, 177; VIII, 115; Sil. III, 671; XV, 678.

370. *luciferae faces* sunt stellae, quibus caput Noctis ut crinibus

Digitized by Google

Iuppiter; ast illum tantum non gliscere caelo
vellet ager, vellent calidis iam fontibus amnes.
regina, attonito quamquam pavor ore silentem
exanimet, mirata tamen paulumque reductis
passibus in solo stupuit duce. nec minus inter
ille tot ignoti socias gregis haeret in una
defixus sentitque ducem dominamque catervae.
'si dea, si magni decus huc ades' inquit 'Olympi,
has ego credo faces, haec virginis ora Dianae,

ornatum cogitatur, cfr. II, 42 *effusis stellatus crinibus aether*; Ov. met. XV, 31 *caput extulerat densissima sidereum nox.* Non recte nonnulli *faces* cometas interpretati sunt: de solius Sirii vi loquitur poeta. *habet* Vat., *hebet* cod. Carr.; *Arcas,* filius Callistonis, inter sidera receptus, vid. Ov. met. II, 496 seqq.; fast. II, 189.

371 *tanto* Vat., *tantum* scripsi. De *non* particulae, quae ante *tantum* ponenda erat, collocatione cfr. II, 48; IV, 179.

374. *quamquam exanimet*: notus est coniunctivus apud posteriores ex coniunctione *quamquam* pendens: sic *donec* cum coniunctivo constructum reperitur II, 474.

375. *insolito* Vat., *in solo* Heinsius.

378 seqq. obversatus est poetae locus Homeri Od. VI, 149—160, ubi Ulixes dubitat, utrum Nausicaam deam an mortalem esse putet, atque cum Diana potissimum comparat, tum felices praedicantur eius parentes, felicior autem is, cui contingat, ut virginem in matrimonium ducat. Atque etiam id a Graeco poeta sumptum est, quod Iason in extrema oratione virginem non iam ut deam, sed certo ut mortalem alloquitur; sed in hac tamen re longe superatur Valerius ab Homero, quod Ulixes post longam demum orationem dubitatione remota mortalem esse virginem sumit, ita ut pauca verba exordii, ubi de dea locutus est, facile obliviscamur, cum apud Valerium post paucissimos versus iam dubitatio illa remota videatur. Atque apud Homerum Ulixes prorsus nescius, quae virgo sit, id unum ab ea petit, ut urbem monstret, apud Valerium Iason 'tua tecta petentes', inquit, 'advehimur', quasi iam sciat esse regiam filiam, denique petit, ut fandi cum rege tempus modumque doceat. Cfr. etiam Verg. Aen. I, 327 seqq.; Ov. met. IV, 320 seqq.

379. De facibus Dianae cfr. Prelleri gr. mythol. I⁴, 306 annot.; 334; archaeol.-epigr. Mitth. aus Oesterr. IV, 142.

arma Vat., *ora* cod. Carr.

Digitized by Google

teque renodatam pharetris ac pace fruentem
ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae.
si domus in terris atque hinc tibi gentis origo,
felix prole parens, olimque beatior ille,
qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis.
sed fer opem, regina, viris. nos hospita pubes
advehimur, Graium proceres tua tecta petentes.
duc, precor, ad vestri quicumque est ora tyranni,
ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
nam mihi sollicito deus ignaroque locorum
te dedit; in te animos atque omnia nostra repono'.
Dixit et opperiens trepidam stetit. illa parumper
virgineo cunctata metu sic orsa vicissim:
'quem petis Aeeten, genitor meus, ipsaque iuxta
moenia, si vivos possis discernere calles.
hac adeo duce ferte gradus; ingentia namque
castra alios aditus atque impius obsidet hostis'.
dixerat haec patriumque viam detorquet ad amnem,

---

380. *renodatum* i. e. solutam: *pace fruentem* i. e. otio: neque gestat pharetram neque venatui operam dat; *furentem* Vat., *fruentem* ed. Bon. et Ald.

385. *regina*: ἄνασσα Hom. l. l. v. 175.

387. Mirum fortasse videtur, quod Iason, qui sit regionis tyrannus, nesciat, cum supra 315 seqq. sociis se iam ad Aeetae regnum pervenisse demonstraverit; sed de industria hoc loco se fingit omnium rerum inscium, quo maiore virginem misericordia commoveat.

388. *fandi tempusque modumque*: Verg. Aen. IV, 293 seq.

394. *vivos calles* habet Vat., pro quo aut *binos* aut auctore Heinsio *bivios* nunc scribi solet: sed scriptura tradita non mutanda videtur; vivi enim calles sunt natura facti, non arte hominum, ideo magis obscuri neque tam faciles ad inveniendum quam viae stratae, quae tum ab hoste obsessae tenebantur.

395. *hac adeo duce* cum dicit Medea, eam designasse unam ex famulis apparet ex versu 399.

ferte gradus; vid. ad II, 282.

396. *impius*, cfr. ad 221.

Digitized by Google

sacraque terrificae supplex movet irrita Nocti.
Ille autem inceptum famula duce protinus urguet
aere saeptus iter, patitur nec regia cerni
Iuno virum, prior Aeetae ne nuntius adsit.
iamque inerat populo mediaeque incognitus urbi,
cum comes orsa loqui. 'Phoebi genitoris ad aras
ventum' ait. 'huc adytis iam se de more paternis
rex feret; hic proceres audit populosque precantes
adloquiis facilis: praesens pater admonet aequi'.
Dixerat. ast illi propere monstrata capessunt
limina. non aliter, quam si radiantis adirent
ora dei verasque aeterni luminis arces:
tale iubar per tecta micat. stat ferreus Atlans
Oceano genibusque tumens infringitur unda;
at medii per terga senis rapit ipse nitentes
altus equos curvoque diem subtexit Olympo;

---

398. *sacraque — movet*; vid. ad III, 232; ideo autem hic locus memorabilis, quod simplex subest notio sacrorum faciendorum, non apparandorum, nam hoc Medea iam antea fecerat.

399. *urguet*, vid. ad III, 332.

400. *aere saeptus*: Hom. Od. VII, 15; Verg. Aen. I, 411; Apoll. III, 211.

404. *adytis — paternis* obscure dictum: ex v. 456 *se — patriis penetralibns infert* apparet, dativum esse *adytis* et significari adyta Solis patris, quo se rex conferet.

407 in Vat. legitur post 426; huc transpos. ed. Bon. et Ald.

409. *aeterni luminis arces* fusius descripsit Ov. met. II, 22 seqq.

410. *per* om. Vat., add. cod. Carr. In vestibulo templi Solis stat simulacrum Atlantis caelum ferentis, in quo effictus erat Sol, tum Luna et Pleiades. *ferreus* utrum sit validus (Ov. met. XV, 149), durus (Verg. Aen. IV, 247) an de materia interpretandum, incertum est, sed prior explicatio praeferenda videtur. Ceterum cfr. Aeneam artificia templi Iunonis mirantem Verg. Aen. I, 450 seqq.

412. *ipse* i. e. dominus templi.

413. *diem subtexit Olympo*: Ov. met. XIV, 368 *patrio capiti* (i. e. Soli) — *subtexere nubes*; Luc. IV, 104 *nox subtexta polo*; Sen. Phaedr. 956 *subtexe noctem*.

Digitized by Google

pone rota breviore soror densaque sequuntur
Pliades et madidis rorantes crinibus ignes.
nec minus hinc varia dux laetus imagine templi
ad geminas fert ora fores cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens; ut prima Sesostris
intulerit rex bella Getis, ut clade suorum
territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem,
Phasidis hos imponat agris Colchosque vocari

---

414. *rota — densa*; cfr. ad III, 228.

415. *madidis rorantes crinibus ignes*: circumlocutione hac pluvias Hyades poeta significat; has recte intellexit Koestlin Philol. 38, 57.

416. *hic* Vat., *hinc* Heinsius.

In utraque valva forium a Vulcano (v. 433) expressae erant quinae imagines: in laeva valva summa Sesostris ut bella Getis inferret (418 seq.), in dextra, ut clade territus partem suorum Thebas reduceret partem relinqueret (419 seq.); infra has imagines in laeva parte expressa erat Aea nympha a Phaside rapta (425 seqq.), in dextra parte exitus Phaethontis (429 seq.); tum in laeva valva aedificatio navis et apparatio expeditionis (435 seqq.), in dextra navigatio ipsa (438 seq.); infra has in laeva fuga Medeae ex terra Colchorum (440 seq.), contra, ut ipse poeta dicit, nuptiae Iasonis et Creusae (442 seqq.); denique in laeva infima Medea dona venenata parans (446 seqq.), in dextra mors Creusae et fuga Medeae (449 seqq.). Singula, quae ad has imagines spectant, vide accuratius a me exposita et demonstrata in ind. lect. aest. Monaster. 1894 p. 7 seqq. Aliter imagines distribuendas esse putat Rossbach, Berl. philol. Wochenschrift 1895, p. 236.

417. *cunabula gentis*: Verg. Aen. III, 105.

418. De expeditione Sesostridis regis Aegyptiorum in Asiam facta et origine Colchorum cfr. Apoll. IV, 272 cum schol.; Herod. II, 103 seq.; Strab. XVI, 4, 4; Diod. I, 55; Plin. XXXIII, 52; Iust. II, 3; Avien. orb. 873 seq.; Prisc. perieg. 671 seqq.

422. *Arsinoen — requirunt*. Cum haec urbs diu post fabulosa Argonautarum tempora condita esset, editores ante Wagnerum multi in ea commemorata offenderunt, sed sano iudicio usus Wagner in talibus rebus tempora poetas non accurate servare affirmavit coll. VI, 118 *Lagea novalia*, sic nominata a Ptolemaeis et Verg. Aen. VI, 366, ubi portus Velini nominantur urbis Veliae multo post Aeneam conditae, vid. Gell. X, 16.

Digitized by Google

imperet: Arsinoen illi tepidaeque requirunt
otia laeta Phari pinguemque sine imbribus annum,
hi iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.
barbarus in patriis sectatur montibus Aean
Phasis amore furens: pavidas iacit illa pharetras
virgineo turbata metu discursibus et iam
deficit, ac volucri victam deus alligat unda.
flebant populeae iuvenem Phaethonta sorores,
ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem;
at iuga vix Tethys sparsumque recolligit axem

423. *pinguem — annum*: cfr. *fecundo — anno* Ov. am. III, 10, 37; *fertilis — annus* Prop. IV, 8, 14; simul autem indicat Val., fertilitatem non imbribus sed pingui limo Nili effectam; *sine imbribus annum* 'das regenlose Jahr', vid. ad III, 362 et VI, 220.

424. *et* Vat., *hi* Wagner. Lemaire *et* particula servata *illi* pronomen v. 422 refert ad eos, qui remanentes desiderant otia Aegypti et tamen coacti patria omissa vestem mutant; sed non credibile est, post *hos* pronomen v. 421 statim eosdem homines altero pronomine indicari posse.

carbasa, propria Aegyptiorum vestimenta lintea.

425. *barbarus — Phasis*: I, 517. *Aeam* nympham eiusque raptum ipse Valerius excogitavit; aliam de Phaside narrationem legimus apud Pseudo-Plut. de fluviis V, 1.

428. *alligat — unda*: Verg. Aen. VI, 439.

429. *populeae sorores* audaci brevitate dictum pro sororibus, quae in populos convertuntur.

430. *ater globus* est corpus Phaethontis fulmine adustum.

eundi verbum varios motus significat, etiam currendi volandi nandi fluendi vehendi, hoc autem loco cadendi.

431. *sparsus* axis potest esse fractus, laceratus; cfr. Ov. met. VII, 442; Ibidis 533; Luc. I, 502; sed videtur Valerius cogitasse de partibus currus ipsius diversis locis sparsi, quas Tethys colligit, cfr. Ov. met. II, 316. Quamquam recolligendi verbum interdum simplicem habet notionem rei de solo tollendae, quae antea cecidit quidem, sed non fracta est, sic de gladio dicitur Iustin. XXXIII, 2, 4; de homine ipso Frontin. strat. IV, 5, 17; cfr. etiam Vict. de vir. ill. I, 3 *mox Faustulus pastor* (puerulos) *collectos Accae Larentiae coniugi educandos dedit.*

Digitized by Google

et formidantem patrios Pyroenta dolores.
aurea quin etiam praesaga Mulciber arte
vellera venturosque olim caelarat Achivos.
texitur Argoa pinus Pagasaea securi,
ipse subit nudaque vocat dux agmina dextra.
iamque eadem remos, eadem dea flectit habenas;
exoritur notus et toto ratis una profundo
cernitur; Odrysio gaudebant carmine phocae.
apparent trepidi per Phasidis ostia Colchi
clamantemque procul linquens regina parentem.
urbs erat hinc contra gemino circumflua ponto,
ludus ubi et cantus taedaeque in nocte iugales
regalique toro laetus gener: ille priorem

---

432. *Pyroeis* unus est ex quattuor Solis equis, vid. Ov. met. II, 153, quem cur solum poeta nominaverit, non liquet; per zeugma recolligendi verbum coniunctum est cum obiecto Pyroenta, qui mulcetur: cfr. v. 616; VI, 347 seq.; VII, 373; 382.

435. Vid. Muell.-Wies. monum. I, tab. XXII, Nro. 238.

Facere non possumus quin dicamus, vitiose Valerium *Argoam securim* nominasse securim Argi aedificatoris navis; non enim ideo Argoam securim nominare licet, quod ea Argo navis texitur; prorsus alia sunt *Argoa manus* III, 430; *ratis* VII, 573; *navis* Culicis 137. 'das Argoschiff' (cfr. Eurip. Med. 1 et 1335 Ἀργοῦς σκάφος et Ἀργῷον σκάφος 477; Phaedr. fab. IV, 7, 9 *Argus — ratis*; Orph. Arg. 86; 224; 619; 1263); *auxilia* VI, 731; *vela* VI, 116; VIII, 328; *vincla* III, 691; *malus* VIII, 294.

436 in Vat. scriptus est post 437, ipse transposui, cum tradito ordine narrationis tenor interrumpatur: prius enim navigatio describitur quam conventus heroum.

ipsa Vat., *ipse* cod. Carr.

437. *eadem dea* iuvat Argonautas et in remigando et in velis pandendis; de *habenis* vid. ad IV, 679.

438. *torto* Vat., *toto* cod. Carr.

439. De re cfr. Apollon. I, 570 seqq.

440. *per* om. Vat., add. cod. Carr.

442. *circumflua ponto*: Luc. IV, 407; Claud. de rapt. Pros. II, 35.

443. *extantus* Vat., *et cantus* Pius. *in nocte*, cfr. Kuehn. gr. lat. II § 79 annot 11.

Digitized by Google

deserit; ultrices spectant a culmine Dirae.
deficit in thalamis turbataque paelice coniunx
pallam et gemmiferae donum exitiale coronae
apparat ante omnes secum dequesta labores.
munere quo patrias paelex ornatur ad aras
infelix; et iam rutilis correpta venenis
implicat igne domos. haec tum miracula Colchis
struxerat ignipotens nondum noscentibus, ille
quis labor, aligeris aut quae secet anguibus auras
caede madens: odere tamen visusque reflectunt.
Quin idem Minyas operum defixerat error,

445. *ultrices — dirae* Verg. Aen. IV, 473; ita saepius Furiae nominantur.

446. *deficit* de animo sine dubio hoc loco dictum, vide ad I, 331.

447. *donum exitiale*: Verg. Aen. II, 31; hanc coronam gemmis ornatam ipsi Medeae a Venere in celebrandis cum Iasone nuptiis dono datam esse postea narrat poeta VIII, 237; una autem cum corona aurea pallam a Medea filiae Creontis missam esse consentiunt Valerius Sen. Med. 570 seqq., 817 seqq., hypothes. Eurip. Med., ipsius trag. 786, 1159 seqq., 1186 seqq.; solam coronam nominant Ov. Ibidis 601, Plin. nat. hist. II, 235, Drac. X, 492 B.; solam pallam Apollod. I, 9, 28, 2; myth. Vat. I, 25; II, 138; schol. Crucq. Hor. epod. 3, 13; de artis operibus cfr. Weckleinii proleg. in Eurip. Med.[2] p. 19 annot.

448. *dequesta labores*; dequerendi verbum a Valerio ex similitudine deplorandi novatum est; imitatur Stat. Theb. I, 404 *Notos dequestus*; XI, 627 *talia dequestus*.

ante pro adverbio est: priusquam appararet dona, omnes labores, quos pertulit, dequeritur.

450. *rutila* dixit venena Valerius ad indicandam flammam, quae ex donis eruptura est vel iam erupit.

De templo Solis nihil habet Apollonius, contra accuratius describit opera a Vulcano in domo ipsa Aeetae facta III, 215 seqq.

455. *operum — error*; erroris substantivo ea condicio animi designatur, qua quis affectus nescit, quid faciat vel iudicet vel dicat, cum animus huc illuc erret; vid. Lucr. III, 1050 B. *animi incerto fluitans errore vagaris*; IV, 1069 *fluctuat incertis erroribus ardor*

Digitized by Google

cum se Sole satus patriis penetralibus infert.
filius hunc iuxta primis Absyrtus in annis,
dignus avo quemque insontem meliora manerent.
tum gener Albanis Styrus qui advenerat oris,
distulerant sed bella toros; tum Phrontis et Argus
Aeolidae fraterque Melas, quos advena Phrixus
progenuit; pariterque levi Cytisorus in hasta.
post alii, quos praecipuo Titania proles

---

amantum; cum genetivo, ut apud Valerium, erroris substantivum coniunctum legitur Phaedr. III, 10, 41 — *quando ipsos* (iudices) *error implicuisset criminis*; Tac. hist. II, 72 *quidam militum errore veri seu turbarum studio certatim adgregabantur.*

456. Ut mirantibus Minyis Aeetes, sic Troianis Dido supervenit Verg. Aen. I, 494 seqq.; *se — penetralibus infert*: Verg. Aen. XI, 36.

457. *primis Absyrtus in annis*; Absyrtus Valerio est iuvenis in flore aetatis, qui fortissime contra hostes pugnat VI, 171; 617; et dux cum classe Argonautas fugientes persequitur VIII, 261; 369. Secutus est in aetate Absyrti definienda in universum Apollonium III, 241 seqq., ubi legimus Absyrtum liberorum Aeetae maximum natu esse, minores Chalciopen uxorem Phrixi et Medeam alia matre natas; cfr. praeterea IV, 306; schol. III, 242; Hyg. fab. 23; Strab. VII, 5, 5; Orph. Arg. 1024; (Plin. nat. hist. III, 151); longe autem plerique tradiderunt etiamtum puerum fuisse Absyrtum, quem Medea aut domi, antequam fugeret, interfecerit, aut secum duxerit atque in fuga laniaverit: Sophocl. in Colchid. trag. (frg. 319; schol. Ap. IV, 223 et 228), qui et ipse alia matre atque sorores Chalciopen et Medeam eum natum esse sed multo post Medeam narravit in Scythis trag. teste schol. Apoll. IV, 223 (frgm. 503); tum Pherecyd. apud eundem schol.; Eurip. Med. 1334; Callim. frg. 411 Schn.; Apollod. I, 9, 24, 1; Ov. her. VI, 129; XII, 113 seqq.; met. VII, 54; trist. III, 9, 22 seqq.; Sen. Med. 131; (473; 967 seqq.); Cic. de imp. Pomp. § 22; al.

primis — in annis, sc. iuventutis, cfr. Verg. Aen. II, 87; VIII, 517.

460. Iam enumerantur quattuor filii Phrixi, in quos Iason tum demum in domo Aeetae incidit. Apud Apollonium autem Iason eos iam invenerat in insula Aretiade, cum in Graeciam redituri naufragium fecissent II, 1092 seqq.; cfr. Hyg. fab. XXI; vid. etiam ad v. 151.

462. *levi Cytisorus in hasta*; cfr. ad I, 641.

Digitized by Google

legit honore patres, motique ad proelia reges.
admonet hic socios nebulamque erumpit Iason,
siderea ora ferens: nova lux offusa Cytaeis.
conveniunt stipantque viros rogitantque, quid ausi,
quidve ferant. postquam primis inhiantia dictis
agmina suppressumque videt iam murmur Iason,
talia miranti promptus tulit orsa tyranno:
'rex Hyperionide, quem per freta tanta petendum

---

464. *patres*: cfr. 269; sed a Titania tellure, i. e. ab incolis eius regionis, ubi Aeetes filius Solis, qui Titan dicitur, regnabat, lectos esse patres, non ab rege ipso, prorsus est incredibile neque id dicere poterat poeta, cum ne liberae quidem reipublicae Romanae tempore unquam senatores a populo lecti essent. Quare recte Burm. pro eo, quod est in v. 463 in Vat. *tellus*, scripsit *proles*.

reges sunt duces sociorum in bello contra fratrem gerendo.

465. *nebulam erumpit*: Verg. Aen. I, 580 *nubem*; cul. 182 *fauces*; Coripp. Ioh. I, 66 *Romanos*; vide etiam ad v. 315.

466. *sideris* Vat., *siderea* Heinsius.

Cytaea erat oppidum Colchorum schol. Ap. II, 399; Cytas nominat Plin. IV, 86; inde *Cytaeos* pro Colchis dixit Valerius; ibi Medeam natam esse tradidit praeter alios Steph. Byz. s. v. Κύτα; Κυταιέος Αἰήταο legimus Apoll. II, 405 et III, 228; Αἰήταο Κυταίου 1096.

Quamquam supra 408 poeta dixerat, templum Solis tanto splendore micare, quasi arx ipsa Phoebi esset, tamen hoc loco ad Iasonis speciem augendam affirmat, novam lucem Colchis offusam esse.

467. *rogitantque* Vat., *stipantque* Loehbach observ. crit. p. 11 coll. VII, 557; Verg. georg. IV, 216.

468. *inhiantia dictis agmina* i. e. cum magno studio exspectantia; similiter Verg. Aen. IV, 64 *pecudumque reclusis pectoribus inhians* (Dido) i. e. cum magno studio inspiciens; Amm. Marc. XXVI, 7, 9 *promissis uberrimis inhiantes* (milites) i. e. magna cum cupiditate expectantes.

470. *propius* Vat., *promtus* Meyncke; *tulit orsa tyranno*: sic in respondendo apud Verg. Aen. VII, 435 et XI, 124 *orsa refert*; cfr. etiam ad II, 282.

Iason ipse, ut decet ducem, ab Aeeta vellus aureum postulat; apud Apollonium minus apte Argus filius Phrixi pro Iasone facit verba III, 317 seqq.

Digitized by Google

caelicolae et prima dignum statuere carina,
siquando hic aliquam nostro satus orbe solebat
Thessaliam, siquos Phrixus memorare Pelasgos,
hi tibi, tot casus, horrenda tot avia mensi,
cernimur. ipse egomet proprio de sanguine Phrixi:
namque idem Cretheus ambobus et Aeolus auctor
cum Iove Neptunoque et cum Salmonide nympha.
meque nec huc enses araeque egere paternae,
nec tua, Thessalicis quamquam inclita nomina terris,
sponte sequor. cui non iusso tot adire voluptas
monstra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
sceptra tui toto Pelias sub numine Phoebi
maxima sorte tenens, totque ille ornantia clivos

---

472. *prima dignum — carina*: apud Senec. Med. 363 Medea merces nominatur *prima digna carina.*

473. *si quando — aliquam — solebat Thessaliam — memorare* i. e. si qua ratione, si forte m. sol.; cfr. Verg. Aen. II, 82 *aliquod si forte tuas pervenit ad auris Belidae nomen*; I, 181; Ov. met. XV, 497 *fando aliquem Hippolytum vestras puto contigit aures — occubuisse neci.*

475. *tot casus — tot avia mensi*; zeugmatis figura *passi* audiendum ad *casus*

476. *proprio de sanguine Phrixi*, de sanguine ipsius Phrixi; velut Liv. II, 49, 5 *sequebatur turba propria alia cognatorum* i. e. ipsorum cognatorum.

477. De hoc errore Valerii cfr. ad I, 41; servavit traditam Phrixi originem Apoll. III, 358 seqq.

478. *Salmonis nympha* est Tyro, filia Salmonei, Peliae ex Neptuno et Aesonis ex Cretheo mater; enumerari solet inter pulcherrimas feminas a poetis, ut Ov. her. XVIII, 131; Prop. II, 28, 51; cfr. Diod. IV, 68; de Iove auctore generis res nota.

479. *enses araeque*; Verg. Aen. II, 155; non mortem a patre imminentem, ut Phrixum, se fugisse ait Iason.

480. Cfr. Apoll. III, 385 seqq.

483. *nomine* Vat., *numine* d'Orville; sententia superlatione Valerio minime inusitata exprimitur.

484. *oste* Vat., *sorte* Gronov.; *illa* Vat., *ille* Gronov.; *cremantia divos* Vat., *ornantia clivos* Schenkl.

Digitized by Google

oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu,
ille meum imperiis urguet caput, ille labores
dat varios, suus ut magnum rex spargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipse satus. tamen aspera regum
perpetimur iuga, nec melior parere recuso.
hic sibi me auratae pecudis quiscumque periclis
exuvias perferre iubet. tibi gratia nostri
sit, precor, haec meritique loco, quod iussa recepi
teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
promisi et meliora tuae mihi foedera dextrae.
si petere hoc saevi statuissem sanguine belli,
Ossa dabat Pindusque rates quotque ante secuti

---

485. De magnis multisque Thessaliae fluminibus cfr. Ov. met. VII, 228 seqq.; Luc. VI, 361 seqq.

tot vigili pulcherrima flumina cornu; Valerio ante oculos obversatae sunt statuae deorum fluviatilium, qui ex cornu aquam fundunt, quales hodieque non paucae extant; saepius etiam in nummis fluvii tali habitu expressi inveniuntur, cfr. Helbig Wandgem. Nro. 65; 1011; 1012; 1018; 1019; Verg. Aen. VII, 792; Stat. Theb. II, 218; VI, 275; Sil. I, 407; Claud. in Prob. cons. 213; in Ruf. I, 133; de rapt. Pros. II, 70. *vigil* autem dicitur cornu, cuius actio nunquam cesset; sic *ignis* (Vestae) Verg. Aen. IV, 200 et Ov. fast. VI, 267; *lucernae* Hor. c. III, 8, 14; *curae* Ov. met. III, 396.

487. *suus — rex* i. e. eius ipsius 'sein eigener', ut VII, 53; vel apud Ciceronem huius notionis non desunt exempla.

spargit, cfr. ad II, 595.

491. *tibi gratia nostri sit* i. e. habeas gratiam erga nos, nobis: *gratia nostri* dicitur ut *studium mei, voluntas vestri, caritas tui* al., *haec* autem pronomen, quod, si sententiam spectamus, positum est pro genetivo *huius rei* et referendum ad verba *quod iussa recepi*, grammatice secundum usum notum linguae latinae cum *gratia* coniunctum est.

492. *locus* Vat., *loco* Heinsius recte; non enim optat Iason, ut occasio adsit meriti, sed ut id, quod iam fecerit, pro merito habeatur.

494. *promisi* sc. mihi, quod addidit Luc. II, 321; (VII, 759.)

496. Admodum breviter hoc loco Valerius locutus est: ex subiectis enim, quae sunt *Ossa* et *Pindus*, audiendum est aliud subiectum regio ipsa, Thessalia, quae reges dedisset, si bellum gerere voluisset

Digitized by Google

inde nec audacem Bacchum nec Persea reges.
sed me nuda fides sanctique potentia iusti
huc tulit ac medii sociatrix gratia Phrixi,
iamque tibi nostra geniti de stirpe nepotes.
nec tamen aut Phrygios reges aut arva furentis
Bebryciae spernendus adi: seu fraude petivit,
seu quis honore meos, sua reddita dona deumque
nos genus atque ratem magnae sensere Minervae.
vix tandem longis quaesitam Colchida votis
contigimus, qualemque dabat te fama videmus.
tu modo ne claros Minyis invideris actus,
non aliena peto terrisve indebita nostris.
siquis et in precibus vero locus . . . . . .
. . . . . atque ea Phrixo
crede dari, Phrixum ad patrios ea ferre penates.
munera tu contra victum mihi vecta per aequor

Iason. *reges* autem dicuntur heroes, ut saepius Argonautae ipsi I, 203; 342; III, 28; 173; 504; IV, 543.

498. *sancti — iusti*? an *iuris*?

499. *medii — Phrixi*; cfr. Verg. Aen. VII, 536 *dum paci medium se offert.*

500. Non curavit poeta, quod Iason scire non poterat, Aeetae ex Phrixo iam nepotes esse.

502. *adi* i. e. precibus adii, de forma vide Kuehn. gramm. lat. I, § 191, 5a, de sententia cfr. Verg. Aen. VII, 235 seqq.

506. *qualemque dabat te fama*, cfr. supra ad 218.

508. *peto — indebita*: Verg. Aen. VI, 66.

509. Postquam pro suo iure Iason se vellus petere dixit, his verbis etiam preces addit: editorum solus Baehrens hoc intellexisse videtur, cum *atque* mutaverit in *ecce*; sed neque hoc magnum habet probabilitatem et etiam id incommodum est, quod *ea* pronomen nihil habet quo referatur, quare equidem puto, partes duorum versuum excidisse, in quibus velleris (velierum) mentio fiebat.

vero inusitato loco collocatum, cuius rei quamquam alterum exemplum apud Valerium non reperitur, tamen, quae est eius magna verborum collocandorum licentia, non mirum videtur.

511. *victum* esse aequor a primis potissimum nautis merito con-

Digitized by Google

accipe Taenarii chlamydem de sanguine aeni
frenaque et accinctum gemmis fulgentibus ensem:
hoc patrium decus, haec materni texta laboris,
his Lapithes adsuerat eques. da iungere dextram,
da Scythicas sociare domos: sciat effera regis
ira mei, quem te horrifero sortitus in axe
Caucasus atque tuis quantum mitescat habenis'.
Talibus oranti vultu gravis ille minaci
iamdudum fremit et furiis ignescit opertis.
ceu tumet atque imo sub gurgite concipit austros
unda silens, trahit ex alto sic barbarus iras,

---

tendere licet, cfr. Sen. Med. 365; 596; Manil. I, 621; omnino id de nautis dicit Hor. c. III, 24, 41.

512. *Taenarii chlamydem de sanguine aeni:* quod poeta purpuram Laconicam sanguinem Taenarii aeni nominat, non mirum; illud audacius, quod chlamydem sanguine illo tinctam dicit chl. de sanguine, quasi ipsa chlamys de eo facta esset: fortasse ausus est, quia purpura proprie colorem significans saepe pro materia vestimenti vel vestimento ipso scribitur.

513. *accinctum gemmis* i. e. instructum, ornatum; accingere sic magis generali sententia legitur etiam Verg. Aen. VI, 570 *accincta flagello Tisiphone* et IX, 74 *omnis facibus pubes accingitur atris.*

515. De Lapithis primis equitibus cfr. ad I, 424.

dona Vat., *dextram* cod. Carr.; recte mea sententia Burm. dubitavit, num *iungere dona* latine dici possit, nam prorsus alia sunt *iungere amplexus oscula pectora dextras.*

517. *sortitus*, sc. sit, vide ad II, 51.

518. Submissius Iason apud Apollonium, postquam pro eo Argus verba fecit, aureum vellus petit III, 386; multo confidentius loquitur Iason Valerii.

519. *orantem* Vat., *oranti* duce Oudend. Apul. met. p. 305, qui *oranti in* proposuit, scripsi; cfr. Verg. Aen. IV, 220 et 437.

520. *furiis ignescit*; cfr. Verg. Aen. IX, 66 *ignescunt irae*; Sil. IX, 460 *virgo ignescens*; XIII, 180 *ignescunt animi*; Stat. Theb. XI, 525 *ignescentia odia.*

521. *imo sub gurgite concipit austros unda silens:* superlatione quadam ventis imum fundum maris concussum esse dicit Valerius, sed idem iam fecerat Verg. Aen. I, 84; 107; cfr. Sil. IX, 284; *concipit austros*: Luc. V, 566.

Digitized by Google

et nunc ausa viri, nunc heu! sua prodita Grais
regna fremit, quin et facili sibi mente receptum
iam Phrixum dolet et Scythiae periisse timores,
nunc quassat caput ac iuvenis spes ridet inanes,
quid vesanus agat, quod vellera poscat ab angue.
urit et antiquae memorem vox praescia sortis,
cum simul ac Persen illinc sibi moverit, atque hinc
Thessalicam Fortuna ratem, num debitus ista
finis agat saevaeque petant iam vellera Parcae.
interea quoniam belli pugnaeque propinquae
cura prior, fingit placidis fera pectora dictis
reddit et haec: 'cuperem haud tali vos tempore tectis
advenisse meis, quo me gravis adsidet hostis.
frater enim (sceptri sic omnibus una cupido)
excidium parat et castris me ingentibus urguet.
quare age cognatas primum defendite sedes,

---

528. Quae haec *antiqua sors* fuerit, et unde venerit Aeetae, Valerius non dicit; vaticinium enim Phrixi per somnum apparentis v. 236 seqq. antiqua sors dici non potest. Burm. putat Valerio obversatos esse versus Apoll. III, 597 seqq. ὥς ποτε βάξιν λευγαλέην οὗ πατρὸς ἐπέκλυεν Ἠελίοιο, χρειώ μιν πυκινόν τε δόλον βουλάς τε γενέθλης σφωιτέρης ἄτην τε πολύτροπον ἐξαλέασθαι; cfr. etiam schol. Apoll. II, 594, qui Herodorum in Argonauticis hoc oraculum commemorasse testatur.

529. *cur* Vat., *cum* scripsi; *aut* Vat., *atque* scripsi: cum utrimque periculum immineat, metuit Aeetes ne dies sibi fatalis iam advenerit; de duplici *atque* cfr. Sil. 1, 93.

530. *debitus finis*, fato destinatus, vid. ad v. 21.

533. *fingit placidis fera pectora dictis* i. e. format; Hor. c. III. 6. 22 *fingitur artibus* (virgo); artis poet. 366 *voce paterna fingeris ad rectum*; Verg. Aen. VI, 79 seq. *ille fatigat Os rabidum — fingitque premendo*; Sil. VII, 385 *his praeformat dictis fingitque monendo*; cfr. praeterea Ter. Haut. 898; Ov. met. XIV, 685; Hor. ep. I, 2, 64; Sil. I, 441; Stat. silv. V, 3, 191; Gratt. cyneg. 105.

534. *ali* Vat., *tali* cod. Carr.

535. *me gravis adsidet hostis*; cfr. Verg. Aen. XI. 304; Sil. IX. 624; XII. 453; similiter cum accusativo coniunguntur *adstare* (v. 640) *adiacere accumbere*; vid. Kuehn. gramm. lat. II, § 70, 3 b.

538. *age — defendite*, cfr. ad III, 311.

nec decus oblati dimiseris advena belli;
namque virum trahit ipse chalybs. tum vellera victor
tam meritis, nec sola dabo'. contra inscius astus
'ergo nec hic nostris derat labor arduus actis'
excipit Aesonides 'et ceu nihil aequore passis
additur iste dies? veniant super haec quoque fato
bella meo. non hunc parva mihi caede dolorem
quasque dedit luet ille moras'. tum Castora mittit,
qui ferat Aeaei sociis responsa tyranni.
acribus ast illos curis mora saeva trahebat,
ac simul ut medio viderunt Castora campo,
crebrior incussit mentem pavor. 'o Iovis alma
progenies, fare, an patriam spes ulla videndi,
fare' omnes. ille in mediis sic orsus Achivis:
'nec ferus Aeetes, ut fama, nec aurea nobis
terga negat; bello interea sed pressus iniquo
auxilium petit; armatos dux protinus omnes
accelerare iubet; longo nam tuta recessu

---

539. *nec — dimiseris*, vid. ad I, 175.

540. Expressa sunt notissima illa verba Homeri αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος Od. XVI, 294; XIX, 13.

541. *tum* Vat., *tam* Burm.

542. *derat* imperfectum non mutandum videtur; sententia enim eadem est ac si dixisset poeta 'ergo fato destinatus erat hic labor'.

544. Wagner *super* praepositionem intellegit et *haec* accusativum ab ea pendentem; sed quominus hanc explicationem probemus, obstat et *quoque* particulae collocatio et quod Iason iam antea pugnavit quamquam invitus cum Cyzicenis; *super* est adverbium pro eo quod est *insuper*.

546. *ille*, Perses.

548. De collocatione *ast* coniunctionis vid. ad IV, 85.

trahendi verbum facile assumit notionem vexandi sollicitandi, quod fit ipsa hac mora; sic Valerius dixit VII, 10 *quo casu vel quo sic pervigil usque — errore trahor*.

550. *incussit mentem pavor:* cfr. ad II, 339.

551. *patriam spes ulla videndi*: Verg. Aen. II, 137.

552. *omnes* sc. exclamant; de ellipsi verbi dicendi vid. ad I, 174.

Digitized by Google

puppis et apposita fluvius defenditur urbe'.
Haud mora; prosiliunt, quos nec Rhipaea iuventus,
quos nec Hiber aut tota suis Aurora pharetris
sustineat. stetit explicito prius agmine pubes,
expertique simul, si tela artusque sequantur.
nec quisquam freta nec patrias iam respicit urbes,
sed magis ad praesens itur decus. incita cristas
aura quatit, variis floret via discolor armis,
[qualis ab Oceano nitidum chorus aethera vestit]

---

558. *Rhipaea* iuventus poetae est Scythica; Hiberi gens Caucasea.

559. *tota suis Aurora pharetris:* videtur poeta cogitasse de Parthis.

560. *stetit explicito prius agmine pubes*: sine dubio Valerii oculis obversata sunt Romanorum mos et disciplina militaris: stant ordine explicito milites, priusquam proficiscuntur.

561. Experiuntur, num ad nutum et voluntatem lacertis longa navigatione defatigatis et pugnandi insuetis uti possint; *si* coniunctio ut Graecum εἰ in interrogatione indirecta, cfr. VI, 4; VII, 30; Verg. Aen. IX, 512.

563. *sed magis ad praesens itur decus:* i. e. sed ad praesens potius itur decus; sic *magis* legitur, ubi *potius* exspectatur VII, 241 *sed magis his miseram — eripe curis*; VIII, 398 *in seros irent magis ista nepotes*; cfr. etiam Ov. her. XVII, 168; trist. V, 2, 6; 10, 12; Stat. Ach. I, 141; Prop. I, 4, 3; 11, 9; Gratt. cyneg. 90; Calpurn. eclog. VI, 65; Mart. VIII, 33, 5; 55, 15; XIII, 96, 2; Paulin. c. X, 75; 147; Paulin. Pell. euch. 518; Sedul. carm. pasch. I, 41; V, 186; saepius apud Venantium Fort.

564. *floret via discolor armis* i. e. splendet; cfr. Verg. Aen. VII, 804, ubi Servius: '*Ennius et Lucretius florens dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Virgilius*'; Aen. XI, 433; Stat. Theb. I, 210; II, 276; Lucr. IV, 448; Claud. de III cons. Hon. 133; Coripp. Ioh. V, 54; sic etiam *poma florentia* dicit Ov. met. XIV, 764 propter splendorem rubri coloris. Armis via discolor fit.

565 et 566 utrumque servari non posse iam dudum intellectum est, uterque autem versus a poeta ipso factus, sed alter ad marginem adscriptus videtur. Quodsi poetae contigisset, ut carmen absolveret perpoliretque, alterum utrum eum deleturum fuisse certum est.

Digitized by Google

qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.
illos Sole satus tacita maestissimus ira
miratur temere adsumtos, nec talia mallet
robora, quam medios hostem subiisse penates.
interea laeto patitur convivia vultu
et iuxta Aesoniden magno cratere lacessit
nunc sibi monstrantem natos Iovis oraque iuxta
Aeacidum, nunc ingentis Calydonos alumnos;
audit et Alciden infando errore relictum
defletosque duces terraeque marisque labores.
ipse autem tantis concita furoribus arma

Neque Hartelio assentior putanti v. 566 esse interpolatum neque Baehrenti et Koestlino, coniectura v. 565 mutando servantibus. Atque dissentiens a Schenkelio v. 565 priorem esse puto, ubi *chorum* paullo obscurius dictum esse sentiens poeta (certe clarius Tibull. II, 1, 88 de choro siderum loquitur) alterum versum clarioris sententiae post apposuit.

Utroque versu continetur pulchra imago poetica: aether vestimenta stellarum indutus νὺξ ποικιλείμων apud Aeschyl. Prom. 24 (*ab Oceano — vestit*; cfr. ad III, 229) vel nox astris cincta: de hac imagine cfr. v. 370; Claud. de rapt. Pros. II, 362 seq.; Stat. Theb. II, 527; *aurea* nox propter splendorem siderum, quae et ipsa aurea dicuntur, cfr. ad v. 369. Cur noctem Burmannum secuti intellegamus lunam, nulla est causa.

570. *patitur convivia* dictum quidem praeter consuetudinem, sed ad sententiam prorsus accommodate.

cultu Vat., *vultu* ed. Bon. et Ald.

571. Non eleganter *iuxta* particula repetitur versu proximo, sed similia saepius apud Valerium reperiuntur, velut repetitur *natus (natos)* I, 149 seq.; *confinia* II, 632 et 634; *pectus* III, 134 seq.; *terga* 254 seq.; *pater* IV, 516 seq.; cfr. Summers 'a study of the Argon.' p. 53 annot.

575. *defletosque duces* i. e. Idmonem et Tiphyn; *duces*, heroes; vid. ad II, 468.

576. *arma expetit*, quaerit interrogat de armis; haec expetendi verbi notio exemplo carere videtur. In eis, quae sequuntur, Valerius imitatus est locum Homeri Il. III, 161 seqq., ubi Priamus de heroibus Graecorum quae cognoscere vult, ex Helena quaerit.

Digitized by Google

expetit Aesonides et amicos ordine reges:
'quis procul ille virum, nodis quem balteus asper
subligat et stricto stat proximus armiger arcu,
ceu pugnam paret et positas confundere mensas?'
contra flammigeri proles Perseia Solis
'quem rogitas, Carmeius' ait; 'mos comminus arma
semper habere viro, semper meminisse pharetrae'.
'illum' ait Aesonides 'pariter refer, horrida signis
cui chlamys et multa spirat coma flexilis aura'.
respicit Aeetes atque hunc quoque nomine reddit:
'dives Aron; croceos sic illius omnis odores

---

578. *nobis* Vat., *nodis* Heinsius; *nobis* quamquam aliquo modo explicari potest, tamen hoc loco non satis aptum videtur.

quem balteus subligat i. e. cingit; cfr. Mart. VII, 67, 4 *subligata* (Philaenis); eadem sententia sciptum invenitur ligandi verbum IV, 94; Sil. VII, 589 *ulteriore ligat Poenorum terga corona.*

579. *stricto — arcu* videtur Valerius dixisse ex similitudine locutionum quales sunt ferrum mucronem gladium stringere, quae quamquam prorsus aliter se habent, tamen idem fere valent ac paratum ad feriendum habere ferrum mucronem gladium; sic etiam Ov. dixit am. I, 6, 14 *non timeo strictas in mea fata manus.*

581. *proles Perseia* nominatur Aeetes propter matrem Persam, uxorem Solis, cfr. Hom. Od. X, 137 seqq.

583. Post hunc versum in Vat. sequuntur v. 602—604, eo transpositi a Meynckio.

584. *horrida signis chlamys*, i. e. auro picta; imitatus est Stat. Theb. IV, 235 *chlamys horrida pendet*; cfr. *aspera cingula* Val. III, 141 et quae ibi dicta sunt.

585. *multa spirat coma flexilis aura* i. e. olet unguenta; *aura* significantur odores a crinibus emanantes, cfr. Lucr. II, 851 *nullam quae* (inolentis olivi natura) *mittat naribus auram*; Verg. georg. IV, 417 *dulcis compositis spiravit crinibus aura*; cum ablativo spirandi verbum coniunctum reperitur etiam Val. VI, 157; Stat. silv. III, 3, 211. *coma flexilis* est calamistrata, vid. Ov. am. I, 14, 26; sic *flexa coma* Mart. X, 65, 6. De re ipsa cfr. Luc. III, 238.

586. *nomine reddit* scripsit poeta ad evitandum tritum nominandi verbum.

Digitized by Google

iactat eques, cunctis sic est coma culta maniplis:
sed ne sperne virum et comptis diffide capillis.
Campesus hic spoliis in tigridis; ille profundo
incumbens Odrussa mero; vide lata comantem
pectora et ingenti turbantem pocula barba'.
hic et Iaxarten dictis stupet hospes acerbis
immodicum linguaque gravem, cui nulla minanti
non superum, non praesentis reverentia belli.
contra autem Aeetes 'non frustra magna superbo
dicta volant' ait 'et vocem paria arma secuntur;
nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget;
atque ubi Rhipaea stupuerunt flumina bruma,
iam pavidi cum prole Getae, iam pervigil illum

588. *iunctis* Vat., *cunctis* Bentl.

589. Altera sententia negans *et* coniunctione additur; vid. exempla *que* particulae ad I, 111 allata; quamquam etiam aliter verba explicari posse non nego.

590. *spoliis in tigridis*; de collocatione *in* praepositionis cfr. ad I, 537.

profundo incumbens — mero; praeclare Valerius immodicam bibendi cupiditatem huius viri depingit, qui se quasi immergat in capax vas vini plenum tanta cum violentia, ut barba sua vinum turbet. *profundum merum* invenitur etiam apud Stat. silv. III, 3, 107; Theb. V, 187; 262; cfr. Theocr. id. XIV, 29 ἤδη δ'ὧν πόσιος τοὶ τέτταρες ἐν βάθει ἦμες; anthol. Pal. VII, 454 Erasixenus nominatur βαθὺς οἰνοπότης.

594. *minanti* i. e. iactanti, ut Hor. sat. II, 3, 9 *multa et praeclara minantis*; ep. I, 8, 3 *multa et pulchra minantem*.

597. *dicta volant*: Verg. Aen. XI, 381.

598. *Marte diem noctemque fatigat* poetica imagine dicitur pro eo quod est per diem noctemque summo ardore in bellum incumbit, sic Verg. Aen. VIII, 94 *olli remigio noctemque diemque fatigant*; Prop. IV, 11, 81 *sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges*.

599. *stupuerunt flumina bruma*, fluere desinunt propterea, quod gelu constringuntur; cfr. Ov. am. II, 6, 47 *stupuerunt verba palato*; met. X, 42 *stupuitque Ixionis orbis*; Sen. Herc. fur. 763 *stupent undae*; Mart. IX, 99. 10 *pigro — stupet unda lacu*; Plin. XIV, 132 *alias ad frigus stupet tantum* (vinum).

Digitized by Google

Medus et oppositis expectat Hiberia claustris.
584 quid Latagum, quid si amnigenam mirere Choaspen?
585 bellatoris equi potantem cerne cruores;
586 nec tamen immissis hic segnior ibit habenis'.
hos autem quae quemque manus, quae signa sequantur, 605
si memorem, prius umentem lux solverit umbram.

---

601. *oppositis — claustris*; sunt portae Iberiae vel Caucasiae Plinii nat. hist. VI, 40.

602. De hoc Scytharum more sanguinis equini bibendi multi mentionem fecerunt: Hor. c. III, 4, 34; Verg. georg. III, 463; Sil. III, 361; Sen. Oed. 470; Stat. Ach. I, 307; Mart. de spect. 3, 4; Claud. in Ruf. I, 311; Avien. orb. 921; Prisc. perieg. 721; Sid. II, 38; VII, 83; Plin. nat. hist. XVIII, 100.

604. Equus quamquam multum sanguinem, quem Choaspes bibit, amisit, tamen eandem alacritatem servat.

habenas immittere hoc loco proprie dicitur, multo saepius cum translatione ut I, 687; VIII, 139; Verg. Aen. V, 662; VI, 1; Ov. met. I, 280; Sil. IV, 681 al.

606. *lux solverit umbram*: III, 1.

Mirum est, quod Valerius duces solos nominat, non addit, quae gentes eos sequantur et unde eae profectae sint. Quod cum ipse sentiret non satis aptum esse, Aeetam dicentem facit, postero die in pugna ipsa Iasonem has gentes visurum esse v. 607 seqq. Sed illud etiam magis mirum, quod in pugna quoque describenda poeta ne verbo quidem harum gentium mentionem facit neque omnino quidquam de eis dicit; commemorantur enim praeter Amazones et Argonautas, qui a partibus Aeetae stant, soli Colchi vel Cytaei: VI, 242; 389; 427; 530; etiam eis locis, ubi ducum hic nominatorum mentio fit, ut Aronis 524, 536, Campesi 243, Latagi 572, gentium, quas ducant, nec vola nec vestigium, ut aiunt, apparet. Omnino non nominantur infra Carmeius Odrussa Iaxartes Choaspes, quamquam animi legentium verbis magnificis, quibus poeta utitur ad hos viros rudi virtute insignes describendos, in summam adducti sunt exspectationem. In his rebus, ubi omnia ex proprio ingenio fingenda erant, poetam vires defecerunt. Quin etiam Albani, quorum regi Styro Medea desponsa erat, non nominantur inter socios Colchorum, sed solus Cremedon praeter regem tanquam comes Styri commemoratur VI, 194. Cfr. etiam ad VI, 507

Digitized by Google

cras acies atque illa ducum cras regna videbis
dissona, saxiferae surgat quibus imber habenae,
quae iaculo gens apta levi, quae picta pharetris
venerit. ingentes animo iam prospice campos,
atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen, quibus exsultet Mavortia turmis
et quantum elata valeat peltata securi,
cara mihi et veras inter non ultima natas'.
fatur et occiduo libat cratera parenti.

---

607. *regna — dissona;* plerumque, nisi agitur de sonitu aliquo, additur ablativus, velut lingua, sermone, moribus, cultu al., sed vid. etiam Luc. VII, 272; ex eis quae sequuntur apparet, hoc loco dicta esse regna dissona variis armorum generibus: funda iaculo arcu.

regna audaci metonymia dicuntur pro incolis regnorum vel militibus regum, sic etiam Sil. I, 461 *crine ut flammifero terret fera regna cometes;* cfr. II, 499; XVI, 199.

608. *habena* interdum ponitur pro funda: Luc. III, 710; Sil. I, 315; V, 193; Stat. Ach. II, 420; proprie est lorum fundae: Verg. Aen. IX, 587; XI, 579; Stat. Theb. X, 857. Nec minus nota metonymia, qua *imber* dicitur pro densa multitudine telorum sagittarum saxorum, vid. VI, 685; *ferreus imber* Enn. ann. 201 B.; Verg. Aen. XII, 284; Coripp. Ioh. IV, 746; *imber atrox* Stat. Theb. X, 542; *fusum-hastilibus imbrem* Claud. de laud. Stil. I, 352; II. lat. 359; *lapidum imber* Apul. met. VIII, 18; *saxeus imber* Phocae vit. Verg. 79; Prud. psychom. 173; perist. II, 371. Similis interdum est notio *nimbi* vel *hiemis* Luc. II, 501; IV, 776; Stat. Theb. V, 385; VIII, 412.

609. *quae picta pharetris. venerit*; audaci enallage notio picti, quae spectat ad pharetras, translata est ad eos, qui pharetras gestant, sed iam Vergilius ausus est dicere Aen. IX, 162 *centeni quemque sequuntur Purpurei cristis iuvenes.*

612. Valerius Euryalae currum tribuit ut reginae, cfr. ad VI, 370; reginam autem eam esse et ex hoc loco et ex VI, 370 coll. 378 apparet, de *alipede curru* cfr. ad v. 183.

612. *Mavortia:* IV, 602.

613. *peltata*: V, 135.

614. *veras inter non ultima natas:* i. e. aeque cara mihi atque ipsae filiae.

Digitized by Google

quisque suis tum vota deis et pocula fundit,
dent aciem, dent belligeros superare labores.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris
ingentemque trahens arctoa per aequora nubem
aspicit Aeaea Minyas stupefactus in urbe
ambitumque senem promissaque vellera pubi
Thessalicae. citus ad summi stellantia patris
tecta ruit questuque Iovem testatur acerbo:
'quae studiis, rex magne, quies? iam mutua divi
exitia in solos hominum molimur honores,
teque ea cuncta iuvant, rabidam qui Pallada caelo
non abigis neque femineis ius obicis ausis.
num queror, extructa quod vexerit ipsa carina
vellera sacra meis sperantem avertere lucis,
quodque palam tutata viros? sic cetera pergat,
si valet. insidiis quid nunc fallacibus ambit,
nostra ut Phrixeo spolientur templa metallo?

---

616. Hom. Il. II. 400 ἄλλος δ'ἄλλῳ ἔρεζε θεῶν.

618. *Geticis veniens Gradivus ab antris*: Verg. Aen. III, 35 (Gradivus pater) *Geticis qui praesidet arvis.*

621. *puppi* Vat., *pubi* Heinsius; etiam VI, 5 in Vat. falso traditur *puppis* pro *pube.*

623. *stellantia patris tecta:* Verg. Aen. VII, 210 *stellantis regia caeli*; *sideream arcem* dixit Val. I, 488.

624. *vidi* Vat., *divi* Gronov.

625. De sententia cfr. Hom. Il. I, 514; V, 874; nescio an falso intellexerit Valerius Homeri verba σοὶ πάντες μαχόμεσθα, cum scripsit *teque ea cuncta iuvant.*

627. *neque femineis ius obicis ausis*: ad haec verba respicit Iuppiter v. 674.

628. Se non questurum fuisse Mars dicit, si Minerva omnia, ut adhuc, etiam in posterum palam et per vim agere vellet, sed metuit insidias inde, quod foedus quoddam ictum est inter Aeetam et Iasonem auctore, ut putat, Minerva. Neque Baehrens neque Madvig sententiam poetae recte intellexerunt.

631. *insidiis — fallacibus ambit*, quasi circumdat ambiendo, irretit regem; facili sed tamen inusitata translatione dictum.

632. *templa* haec qualia sint, accuratius describitur 640 seq.;

Digitized by Google

non opus auxilio Colchis nec foedere vestro,
et Persen simul et Minyas deposcimus hostes.
quin age (quid tantae coeunt in proelia gentes?
quid tuus Aesonides?) imus nos, protinus imus
in nemus auriferum et sumptis decernimus armis?
iam tu sola polo tacitis inopina tenebris
labere; quantus ibi deus experiere nec illas
adstiteris impune trabes. an Martia templa
intemeranda minus, tantum mihi lucus et agger

---

cfr. VIII, 438; Hyg. fab. 22 fanum nominat Martis, Apollod. I, 8, 6 Ἄρεος ἄλσος, Diod. IV, 47 Ἄρεος ἱερόν.

633. *foedere vestro* i. e. Iasonis et Minervae. quam praesentem a poeta cogitari ex his verbis apparet; etiam ea, quae sequuntur, ad Minervam conversus Mars dicit.

635. Editores et interpretes fugit *quid — Aesonides* per parenthesin esse dicta, et *quin age* verba cum *imus nos* coniungenda: non opus est, inquit Mars, gentes tantas et Argonautas in proelium descendere, quin nos, tu et ego, armis in meo luco rem decernimus?

638. Versus obscurus; editores, ut fere fit, tacent praeter Wagnerum, qui longe a vero certe aberravit explicando 'etiamsi furtim nebulis involuta in terram descendas'; *sola* recte explicatur 'non comitata a Iunone', quacum pugnare Mars filius veretur; *tacitis tenebris* intellego lucum Martis densis arboribus opacum; dativo ut saepe apud poetas indicatur locus, ad quem quis perveniat (*it clamor caelo* al.). Difficilius dictu est, quid *inopina* significet; videtur poeta indicare voluisse, tale quid Minervam facturam Iasonem Aeetamque minime exspectare, an potius intellegendum *clam*, non conspecta a ceteris deis? Omnino autem ferri non potest *vel* particula, a qua versus in Vat. incipit. quomodocumque cetera verba explicabimus: recepi *iam*, non quod putem ita Valerium scripsisse, sed ut probabilis saltem sententia evadat.

639. *ibi* i. e. in tacitis illis tenebris.

640. *adstiteris impune trabes* i. e. arbores, lucum Martis; de accusativo vid. ad v. 535.

641. *agger rudis* est ara sine arte ex vivo caespite exstructa; aggeres omnes res dicuntur paullum a terrae superficie extantes, sive natura sive manu hominum exstructae, veluti altior *ripa* Sil. VI, 396;

Digitized by Google

quod rudis, et sola colimur si gentibus umbra?
est amor et rerum cunctis tutela suarum.
et tibi, magne pater, terris donaria certant,
est honor his etiam suus. atque ego clara Mycenes
culmina, virgineas praeder si Cecropis arces,
iam coniunx, iam te gemitu lacrimisque tenebit
nata querens. metuant ergo nec talia poscant'.
Non tulit haec animis, quin longa silentia Pallas
rumperet, inridens strepitumque minasque Gradivi.

X, 92; *rogus* Ov. met. IX, 234; Stat. silv. II, 1, 159; V, 3, 65; Theb. VI, 58; Luc. II, 300; Sen. Phoen. 110; Prud. perist. V, 510; *ararum aggerem* ex Varrone affert Nonius p. 466 et 504.

642. De collocatione *quod* particulae vid. locos ad I, 627 allatos. *sola colimur si gentibus umbra*; *si* praeter consuetudinem hoc loco pro coniunctione *quod* ponitur; notus est is usus post verbum *mirandi* (*mirum est*); quamquam non eadem est vis particulae, tamen eadem audacia ab usu discessit Tacitus, cum dicit ann. I, 11 *at patres, quibus unus metus, si intellegere viderentur, in questus lacrimas vota effundi*, ubi quae similia exempla afferri solent, omnia prorsus non quadrant: cfr. etiam infra v. 659. De collocatione *si* particulae vid. ad II, 485.

644. Huius versus sententiam fortasse de industria paullum obscuravit poeta, ne Mars plane dicendo aliquomodo patrem offendat: vult enim dicere non omnia templa Iovi dicata pulchra esse, sed alia minus pulchra quam alia, expressa autem est ita sententia, quasi dicat alia aliis pulchriora esse.

donaria i. e. templa, in quibus dona ponantur; proprie ea pars templi, ubi dona servantur, sic Luc. IX, 516; pro templis dicuntur Verg. georg. III, 533; Ov. am. II, 13, 13; pro aris fast. III, 335.

645. *his* sc. eis quae minus pulchra sunt templa; de collocatione *etiam* coniunctionis vid. ad I, 514.

atque om. Vat., add. Burm.

648. *possint* Vat., *poscant* edit. Ald.

650. In *Gradivi* substantivo Valerius plerumque producit primam syllabam Vergilium secutus Aen. III, 35, ut III, 498; IV, 281; V, 122; 142; 251; 618; VI, 1; VIII, 228; duobus locis corripit: hic et IV, 602 Ovidium secutus met. VI, 427. Ne Ovidius quidem sibi constitit, vid. met. XIV, 820; fast. II, 861 al., nec Silius, qui syllabam primam corripit XV, 15; 337; producit I, 433; III, 702.

Digitized by Google

'non tibi Aloidae, quibus haec fera murmura iactes,
non Lapithae, sed Pallas' ait; 'neque ego aegide digna,
nec vocer ulterius proles Iovis, excidat iste
ni tibi corde tumor: lituos miser armaque faxo
oderis et primis adimam tua nomina bellis.
quin simili matrem demens gravitate secutus:
digna quidem, monstrum superis quae tale crearit.
quod tamen adgressae scelus aut quo crimine sontes,
si iuvenem, qui iussa sui tam dira tyranni
impavidus maria et nondum qui nota subibat,
iuvimus et magnis aliquam spem movimus ausis?
an nullas praeferre preces, nec foedera regis

---

651. *Aloidae* et *Lapithae* nominantur ut feroces, sed consilii expertes.

655. *primis adimam tua nomina bellis* i. e. faciam, ut nomen tuum in gravissimis bellis, quae per saecula gerentur, non nominetur, quia prorsus arma bello abstinebis. Prima bella sunt maxima, gravissima, ut *primum praedium* est optimum Cat. de re rust. I, 7; *pr. honos* praecipuus Hor. s. I, 6, 83; *pr. pudicitia* maxima Plin. nat. hist. X, 104; de plurali *nomina* cfr. Ov. met. XV, 755 *Mithridateisque tumentem Nominibus Pontum.*

656. *simili matrem — gravitate secutus*; gravitas est linguae, ut ex tota sententia apparet: 'Heftigkeit, Grobheit', cfr. 594 *linguaque gravem*; multo illud audacius et sine exemplis, quod *secutus* dixit poeta pro eo quod est *insectatus*, sed nihil mutandum videtur.

Aliquo modo auget rem Minerva, cum pauca tantum de matre dixerit Mars v. 645 seqq.

657. *digna quidem quae — crearit* (sic Heins., *creavit* Vat.) cum acerba ironia dictum est. Ceterum cfr. Hom. Il. V, 890 seqq. Iovem ipsum de Marte querentem.

658. Inde ab hoc versu dea ut suam causam agat, se convertit ad Iovem; *adgressae* sc. sumus; de hac ellipsi et v. 656 cfr. II, 51.

659. *si iuvenem — iuvimus*, vid. ad v. 642. *iussa* (*et*) *— maria — subibat* coniuncta quodam zeugmate, quod positum est in duplici subeundi notione.

662. *praeferre preces*, cfr. Verg. Aen. VII, 237 *ne temne quod ultro Praeferimus manibus vittas et verba precantia*; respicit Minerva ad ea, quae Mars v. 631 seqq. dixerat.

Digitized by Google

ulla sequi, caeca sed cuncta impellere pugna
debuimus? sic Thraces agunt, sic turbidus iste,
siqua petit. cuperem haec etiam nunc bella remitti
nec socias armare manus. da vellera, rector,
et medio nos cerne mari. quodsin ea Mavors
abnegat et solus nostris sudoribus obstat,
ibimus indecores frustraque tot aequora vectae?
fessaque vae cedam tibi femina?' coeperat ardens
hic iterum alternis Mavors insurgere dictis.
excipit hinc contra pater et sic voce cohercet:
'quid, vesane, fremis? cum vos iam poenitet acti
peccatumque satis, tunc ad mea iura venitis.
quolibet ista modo, quacumque impellite pugna,
quae coepistis, habent quoniam sua fata furores.
te tamen hoc, coniunx, et te, mea nata, monebo:
sit Persen pepulisse satis, nec vana retentet
spes Minyas finemve velint imponere bello.

---

663. *caeca sed cuncta impellere pugna* i. e. cuius eventus incertus sit; sic *caecus Mars* dicitur Luc. VII, 111; cfr. etiam IV, 488 *non tamen in caeca bellorum nube cadendum est*; II, 262 *caeca telorum in nube*; aliter intellegendus caecus Mars Verg. Aen. II, 335.

667. *quodsin* non facile apud poetas reperitur, sed recte sic emendatum videtur a Baehrente Il. lat. 716.

669. *tot aequora vectae*; sic cum accusativo, qui locum indicat, per quem quis vehitur, coniungitur hoc verbum etiam Verg. Aen. I, 524; cfr. I, 67 *gens — navigat aequor* et quae ad IV, 336 dicta sunt.

670. *fas aliquae nequeat sic femina* Vat., *fessaque nunc cedam tibi femina* Schenkl sententia saltem probabili, quare eius coniecturas recepi, nisi quod *vae* pro *nunc* scripsi.

672. *excipit*, vid. ad IV, 755; excipit sermonem Iuppiter simul prohibens quominus Mars iram verbis effunderet.

673. *quid, vesane, fremis?* cfr. Luc. IV, 183.

675. *ista — impellite — quae coepistis* i. e. efficite impellendo, cum vi et violentia agendo.

676. De collocatione *quoniam* particulae vid. etiam VIII, 320.

678. *retentet* sc. a redeundo.

Digitized by Google

illum etenim talis rerum manet, accipite, ordo.
victa retro nunc castra dabit bellumque remittet
territus adventu ducis et virtute Pelasgi:
mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
tunc aderit victorque domos et sceptra tenebit,
donec et Aeeten inopis post longa senectae
exilia (heu magnis quantum luet impia fatis)
nata iuvet Graiusque nepos in regna reponat.
hic labor amborumque haec sunt discrimina fratrum.
vadite et adversis, ut quis volet, inruat armis'.
Dixerat. instaurat mensas pacemque reducit
et iam sideream noctem demittit Olympo.
tunc adsuetus adest Phlegraeas reddere pugnas
Musarum chorus et citharae pulsator Apollo,
fertque gravem Phrygius circum cratera minister.
surgitur in somnos seque ad sua limina flectunt.

680. *accipere ergo* Vat., *accipite ordo* cod. Carr.

681. *retro nunc castra dabit*; locutio similis est eis, quae allatae sunt ad IV, 659; castra *retro movere referre* dixit Livius.

685. *donec et Aeeten* e. q. s.; in animo habebat Valerius addere 'et Persen depellat' vel tale quid, sed mutata forma perrexit *Graiusque nepos in regna reponat.*

686. *licet inopia* Vat., *luet* Meyncke, *inpia* cod. Monac. a man. sec.

687. *Graius nepos* est Medus filius Medeae ex Aegeo rege Atheniensium; de rebus, quas hic poeta narrat, cfr. Hyg. fab. 27; Iustin. XLII, 2, 12; Tac. ann. VI, 34; Avien. orb. 1216 seqq.; Apollod. I, 9, 28, 4. seq.; Diod. IV, 56; Prelleri myth. graec. II³ 341 et annot. 1.

692. De sententia cfr. Hom. Il. I, 603 seqq., qui locus Valerio ante oculos videtur obversatus esse.

phlegyas qui Vat.; *phlegraeas* cod. Carr.; indicatur pugna contra Gigantes commissa in campis Macedoniae Phlegraeis.

694. *fertque — circum cratera*; cfr. Plaut. Most. 347 *da cito ab Delphio cantharum circum* et Valerii ipsius II, 348.

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER SEXTVS.

At vigil isdem ardet furiis Gradivus et acri
corde tumet, nec quas acies, quae castra sequatur,
invenit; ire placet tandem praesensque tueri,
sternere si Minyas magnoque rependere luctu
regis pacta queat Graiamque absumere pubem.
impulit hinc currus, monstrum irrevocabile belli
concutiens, Scythiaeque super tentoria sistit.
protinus e castris fugit sopor; excita tela,

1. *isdem ardet furiis* sc. atque ante orationem Iovis.

2. Dubitat Mars, utrum Persen iuvet, quia simul Aeetam impugnaret, si id faceret, an Aeetae faveat, nam ea conditione etiam Minyas in pugna iuvaret.

3. *videri* Vat., *tueri* cod. Carr., cfr. VII, 503; quamquam fortasse recte Vaticani scriptura defendit Summers coll. Ov. met. XIV, 727 *adero praesensque videbor*; nominativus *praesens* scribitur quasi praecesserit *ire constituit.*

5. *puppem* Vat., *pubem* ed. Bon. et Ald., vid. V, 621.

6. *monstrum irrevocabile belli* hasta recte explicatur ab interpretibus, cfr. Claud. in Eutrop. II, 166, ubi Mars dans signum pugnae describitur: *tunc adamante gravem nodisque rigentibus hastam Telum ingens nullique deo iaculabile torsit.*

Digitized by Google

turbati coiere duces: hos insuper ingens
fama movet, rate quae sacra vulgabat Achivos
advenisse sui repetentes vellera Phrixi,
quos malus hospitio iunctaque ad foedera dextra
luserit Aeetes atque in sua traxerit arma.
Ergo, consiliis dum nox vacat alta movendis,
legatos placet ire duces, mandataque Perses
edocet, adfari Minyas fraudemque tyranni
ut moneant, quinam hinc animos averterit error:
se primum Haemoniis hortatum ea vellera terris
reddere et exuvias pecudis dimittere sacrae:
hinc odium et tanti venisse exordia belli.
quin potius dextramque suam suaque arma sequantur,
aut remeent; neque enim Aeetae promissa fidemque
esse loco; abstineant alienae sanguine pugnae.
non illos ideo tanti venisse labores

---

12. *iuncta — dextra*: Verg. Aen. I, 408; III, 83.

14. *consiliis — movendis*; *consilia movere* dicitur ut *dolos m.* V, 291 et Stat. Theb. XII, 183; similiter *opus m.* Ov. fast. IV, 820; *colloquia* Stat. silv. I, 2, 49; *auxilia* Theb. IX, 660; *causam* Orest. trag. 913; Stat. Theb. X, 232 *vacuo sub corde movet, qui* (equi) *molle domandi ferre iugum, qui terga boni* (sint).

16. *affari Minyas fraudemque — ut moneant*: de variata constructione cfr. I, 478 *sors tibi, nequa parte trahat — puppis mare fissaque — conducere vulnera*; III, 512 *concurrere monstris — virum et — reserantem Pergama — vidimus*; 540 *vidisti — Bacchus — cum domitas acies — duceret ac rursus thiasos et sacra moventem.* Monendi verbum cum accusativo rei coniunctum legitur etiam Hor. c. III, 7, 20; Ovid. artis III, 651.

17. *quinam hinc animos averterit error*: pendet hoc enuntiatum a verbo rogandi, quod audiendum est ex *moneant*, ut in proximis auditur *dicant* vel tale quid; non recte interpungunt editores recentiores.

21. *dextramque suam — sequantur* i. e. amicitiam, societatem; cfr. Tac. ann. II, 58 *cupere* (Artabanum) *novari dextras.*

22. *promissa fidemque esse loco; stare loco* scripsit Luc. I, 145.

24. *venisse labores per maris*; de collocatione *per* praepositionis vid. exempla ad I, 537 allata.

Digitized by Google

per maris. ignotis quid opus concurrere nec quos
oderis? haec medio Perses dum tempore mandat,
aureus effulsit campis rubor, armaque et acres
sponte sua strepuere tubae. Mars saevus ab altis
'hostis io', conclamat equis 'agite, ite, propinquat',
ac simul hinc Colchos, hinc fundit in aequora Persen.
tunc gens quaeque suis commisit proelia telis,
voxque dei pariter pugnas audita per omnes.
Hinc age Rhipaeo quos videris orbe furores,
Musa mone, quanto Scythiam molimine Perses
concierit, quis fretus equis per bella virisque.
verum ego nec numero memorem nec nomine cunctos
mille vel ora movens; neque enim plaga gentibus ulla

---

25. *nec quos oderis*: cum confusione aliqua hoc dictum est pro eo quod dici debebat *et quos non oderis: et* coniunctio pertinet ad aliud verbum, ad aliud *non* particula; eadem confusio invenitur VIII, 225 *incipit Idaliae numen nec spernere divae* i. e. et incipit non spernere; tolerabilius est quod legitur I, 133 *nec Iove maiorem nasci suspirat Achillem*; cfr. etiam ad III, 5.

26. *medio — tempore* i. e. nocte, quae est media inter pugnas per diem fieri solitas; deferendorum autem mandatorum copia non datur, cum Mars furore actus omnia misceat.

27. *aureus — rubor* hoc loco non potest esse, qui secundum naturam per Auroram efficitur, sed videtur ortus esse ex clipeo Martis; recte confert Dureau Claud. Gigant. 77 *splendentior igni aureus ardescit clipeus* (Martis).

armaque et acres sponte sua strepuere tubae; cfr. quae precatus est Aeetes V, 252 seqq.

28. *Mars — ab altis — conclamat equis*; equi dicti sunt pro curru, ut saepe apud Homerum ἵπποι.

30. *in aequora*, in campum apertum, cfr. ad III, 107.

31. *et* Vat., *gens* Meyncke; *terris* Vat., *telis* ed. Ald.; cfr. Luc. VII, 510.

Hunc versum et qui sequitur Schenkl stud. p. 291 putat poetam deleturum fuisse, si ei licuisset carmen emendare.

34. De sententia cfr. Hom. Il. II, 484; Verg. Aen. VII, 40; 641.

37. *mille vel ora movens*; non sine fructu comparari puto rationem, qua poetae in simili condicione utuntur, cum sibi optant plures linguas vel plura ora ad res ingentes canendas. Homerus

Digitized by Google

ditior: aeterno quamquam Maeotia pubes
Marte cadat, pingui numquam tamen ubere desit,
quod geminas arctos, magnumque quod impleat anguem.
ergo duces solasque, deae, mihi promite gentes.
Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos

---

simplicitate idemque elegantia insignis decem sibi linguas optat Il. II, 489; rhetorica superlatione, sed ea tamen elegantia temperata Vergilius georg. II, 43; Aen. VI, 625 et Ov. met. VIII, 532 centum atque iam ante hos Hostius frg. 5 B.; eos fere sequuntur posteriores poetae latini: Sil. IV, 526; Claud. de laud. Stil. II, 185; in Olybr. cons. 55; de VI cons. Hon. 436; Sedul. pasch. c. I, 83; Alcim. Avit. III, 334; Paul. vit. Mart. VI, 337; Pers. sat. V, 1 *vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces, Centum ora et linguas optare in carmina centum*; iam longius progressus Valerius nimio augendi studio mille sibi optat et sic Prisc. de laud. Anast. 13, multo etiam magis rem auget Paul. Nol. c. 32, 9 *oraque mille forent centenis persona linguis* e. q. s.; omnem modum autem excedit Dracontius de deo III, 354 seqq.: *non si mihi ferrea vox sit, Ora tot exsurgant quot dentes ossibus albent Aut mihi sint linguae quantos caput omne capillos Pectinet, explebo numerum sine fraude fidelem.*

39. *aeterno quamquam Maeotia pubes Marte cadat*: coniunctivus *cadat* non pendet a coniunctione *quamquam*, cum Valerius nolit narrare quod re vera fiat, sed, ut ex tota sententia apparet, aliquid, quod fieri possit, sumat: itaque *desit* scripsi pro eo quod est in Vat. *defit*.

40. *geminis arctis* et *angue* regio septentrionalis indicatur; cfr. Verg. georg. I, 244; Ov. met. II, 173; III, 45. De magno gentium illarum numero cfr. Strab. XI, 2, 16; Plin. nat. hist. VI, 15.

41. *solas — gentes* i. e. sola nomina gentium, non numerum militum, cfr. v. 36.

42. Iam sequitur enumeratio sociorum Persae, qua affert Valerius ordine certo non diligenter observato nomina sibi nota gentium Scythicarum inde ab Europae regionibus usque ad mare Caspium habitantium mixtis nonnullis nationibus a mari Caspio ad Indiam versus incolentibus.

Alani, haud procul ab ostiis Istri apud Plin. IV, 80; Amm. contra XXXI, 2, 13 eos trans Tanaim habitasse dicit, cfr. Lucan. VIII, 223; Suet. Domit. c. 2; Amm. XXIII, 5, 16, ubi Parthorum et Persarum

Digitized by Google

Heniochosque truces iam pridem infensus Anausis,
pacta quod Albano coniunx Medea tyranno,
nescius heu, quanti thalamos ascendere monstri
arserit atque urbes maneat qui terror Achaeas,
gratior ipse deis orbaque beatior aula.
proxima Bisaltae legio ductorque Colaxes,
sanguis et ipse deum, Scythicis quem Iuppiter oris

---

hostes nominantur, eosque Maeotida bibere Claudianus dicit in Ruf. I, 312; in hac autem regione eos sine dubio etiam Valerius habitare cogitavit, cum eos nominaret coniunctos cum Heniochis, qui orientalem oram Pontus Euxini incolebant, vid. Plin. VI, 14; 16; 30; Strab. XI, 2, 14, qui § 12 (Plin. § 16, Amm. XXII, 8, 24) eos nomen accepisse dicit ab aurigis Castorum. Neque vero satis causae est, cur Burmannum secuti propterea Valerium vituperemus, quod 'ipsis Dioscuris praesentibus' gentem commemoraverit, quae post expeditionem demum Argonautarum condita esset.

47. *gratior ipse deis*, sc. quam Iason, qui 'monstrum' in matrimonium duxerit; *orba aula* ablativus non pendet a comparativo *beatior*, ad quem rursus audiendum 'quam Iason', sed beatior est, cum ipsius aula orba manserit. Mentem poetae non intellexit Wagner.

48. *proxima Bisaltae regio* Vat. (nisi quod *hisaltae* habet); neque sententia constat neque constructio verborum apta est, nam Bisaltas ipsos regionem nominare non licet neque regio Bisaltarum in Macedonia habitantium (cfr. Verg. georg. III, 461; Gratt. cyneg. 523; Claud. de laud. Stil. I, 134; Plin. nat. hist. IV, 38; Herod. VII, 115; Conon. c. XX ed. Westerm. al.) proxima est Heniochis, sed longissime remota; recte Pius *legio*, i. e. exercitus, manus armata; hoc vel ex Plauto notum, cfr. v. 508; VII, 573; Verg. Aen. IX, 368; proxima igitur in acie Heniochis armata manus erant Bisaltae, tertii Cimmerii v. 60.

ductorque Colaxes; Colaxis nomen fabulamque de eius origine ex duabus narrationibus, quae inveniuntur apud Herodotum, inter se commixtis paullumque mutatis sumpsit Valerius: libri IV c. 5 Herodotus Colaxain nepotem Iovis ex nympha, filia Borysthenis, nominat, capite autem nono tradit Herculem in Scythia concubuisse cum virgine monstruosa, quae superne humana figura praedita corpore extremo in anguem exiret: inde natos tres filios Agathyrsum Gelonum Scytham. Cfr. Hesiod. theog. 295 seqq.; Diod. IX, 43.

Digitized by Google

progenuit viridem Myracen Tibisenaque iuxta
ostia, semifero (dignum si credere) captus
corpore, nec nymphae geminos exhorruit angues.
cuncta phalanx insigne Iovis caelataque gestat
tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes;
nec primus radios, miles Romane, corusci
fulminis et rutilas scutis diffuderis alas.
insuper auratos collegerat ipse dracones,
matris Horae specimen, linguisque adversus utrimque
congruit et tereti serpens dat vulnera gemmae.
tertius unanimis veniens cum milibus Auchus
Cimmerias ostentat opes, cui candidus olim

---

50. Quae flumina hoc loco dixerit Valerius, incertum est; Herodotus IV, 49 Marin (qui est Marisus apud Strab. VII, 3, 13) et Tibisin nominat in Istrum influentes, illum ex Agathyrsis, hunc ex Haemo.

51. *dignum si credere;* Verg. georg. III, 391; Aen. VI, 173.

53. *caelataque gestat tegmina dispersos — ignes*; de hac constructione vide praef. c. III, de *trifidis ardoribus* ad I, 662; *tegmina* scuta esse apparet ex eis quae sequuntur, cfr. Verg. Aen. IX, 577; X, 887.

55. Cogitat Valerius de duodecima legione Romana, quae fulminata vocabatur, κεραυνοφόρον στρατόπεδον apud Cass. Dion. LV, 23; cfr. Peterseni in 'Mittheil. des archaeol. Instit. Roem. Abth.' IX, p. 80 annot.

56. *diffunderis* Vat., *diffuderis* ed. Bon. et Ald.; de *alis* fulminis cfr. ad II, 97.

57. *auratos collegerat ipse dracones*: verba obscure dicta, quae illustrantur loco Verg. georg. II, 154 *squameus in spiram — se colligit anguis*: ex auro igitur fecerat Colaxes dracones spiris se colligentes ita, ut linguis adversis (v. 58) congruerent i. e. inter se tangerent.

58. *matris Horae specimen*, cfr. Verg. Aen. XII, 164 *Solis avi specimen*; nomen nymphae ipse Valerius finxit.

61. De Cimmeriorum ad paludem Maeotidem habitantium fatis cfr. Herod. IV, 11 seq.; longe diversi ab his sunt Cimmerii Homeri, quos invenis apud Val. III, 399. Nomen ducis eorum *Auchi* fortasse finxit Valerius ex nomine gentis Auchatarum.

61. *cui candidus olim crinis inest,* i. e. iam diu, inde ab eo tempore, quo natus erat; sic Plinius nat. hist. VII, 12 in Albania quosdam gigni narrat a pueritia statim canos; cfr. Gell. IX, 4, 6;

Digitized by Google

crinis inest, natale decus; dat longior aetas
iam spatium; triplici percurrens tempora nodo
demittit sacro geminas a vertice vittas.
Datin Achaemeniae gravior de vulnere pugnae
misit in arma Daraps, acies quem Martia circum
Gangaridum, potaque Gerus quos efferat unda,
quique lacum cinxere Bycen. non defuit Anxur,
non Rhadalo cum fratre Sidon, Acesinaque laevo
omine fatidicae Phrixus movet agmina cervae.

---

hi sunt qui hodie Leucaethiopes dicuntur maximeque apud gentes nigri coloris reperiuntur.

62. *dat longior aetas iam spatium:* ei quippe seniori iam pars crinium, ut fit, excidit atque hac calvitie exorta spatium datur ad caput triplici nodo vittae circumligandum; non recte Burm. et Wagner *spatium* intellegunt crines provectiore aetate longiores factos; de locutione spatium dandi cfr. Verg. Aen. XII, 696.

64. Hoc versu Auchum sacerdotem fuisse indicatur.

66. *Daraps* ipse secundum hunc locum pugnae non interfuit, at commemoratur v. 572, ubi Latagus socius Aeetae ab eo interficitur, vide annot. ad eum versum. De collocatione *circum* praepositionis vid. ad I, 151.

67. *Gangaridae* nota gens est Indiae, quam Valerius certe dicere noluit, praesertim cum coniungantur ei, quos *Gerus efferat* et *qui Bycen lacum* cingunt. *Gerus* enim in paludem Maeotidem influit itemque *Byzes* per lacum Byzen; Γέρρος nominatur a Graecis Her. IV, 19, al., Ptol. III. 5, 12; Gerrus a Plinio IV, 84 et eodem loco lacus Buges. In hac igitur regione Gangaridae Valerii habitasse putandi sunt, fortasse eidem, quos Γαργαρεῖς nominat Strabo XI, 5, 1; an Dandaridas significavit poeta? cfr. Tac. ann. XII, 15; Strab. XI, 2, 11.

67. *potaque Gerus quos efferat unda*: de simili aquae fluvialis vi narrant Ov. met. XV, 330 seq.; fast. IV, 363 seqq.; Plin. nat. hist. XXXI, 9; Tertull. de anima c. 50.

69. *sidonya caesinaque* Vat., *Sydon Acesinaque* ed. Bon.; *Acesina agmina* dicta ab Acesino flumine, quod in Pontum Euxinum influit: Plin. nat. hist. IV, 83; in Chersoneso Taurica hanc gentem habitasse apparet ex versu 73.

70. *Phrixum* sic simpliciter cum nominat Valerius, non potest non cogitasse de filio Nepheles, genero Aeetae; sed ideo non necesse est

Digitized by Google

ipsa comes, saetis fulgens et cornibus aureis,
ante aciem celsi vehitur gestamine conti
maesta nec in saevae lucos reditura Dianae.
movit et Hylaea supplex cum gente Syenen
impia germani praetentans volnera Perses.
densior haut usquam nec celsior extulit ullas
silva trabes, fessaeque prius rediere sagittae
. . . . . .
quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris

---

nomen traditum mutare, quod Heinsius fecit: non enim Valerius Phrixum ducem esse horum agminum dixit, sed eum *laevo omine* movisse gentem, ut bellum susciperet; laevum autem omen infaustum esse apparet ex eis, quae sequuntur; datum est omen auctore Phrixo per *cervam fatidicam*. Hanc de cerva narrationem finxisse poeta videtur imitatus ea, quae de Sertorio tradebantur, qui cervam secum habebat, quam Dianae sacram seque divino consilio iuvare simulabat, vid. Gell. XV, 22; Frontin. strat. I, 11, 13; Plut. vit. Sert. c. 11 et 20. Cfr. etiam Iustin. VII, 1, 9.

71. *ipsa comes* i. e. ipsius cervae effigies tanquam signum militare ante aciem portatur. Offensioni nonnullis fuit cerva cornibus praedita, sed talia non curant poetae, qui non confundi debent cum physicis: etiam ei cervae, quae Dianae sacra ab Hercule capta est, cornua aurea tribuuntur; vid. Boeckh. explic. ad Pind. Ol. III, 26.

73. Ipsi signo poetica cum audacia maestitia tribuitur; *necis* Vat., *nec in* ed. Ald., *luco* Vat., *lucos* Heins.

74. *Hylaei* habitant in sinistra ripa Borysthenis: Herod. IV, 18; etiam in dextra teste Plin. nat. hist. IV, 84.

75. *praetentans vulnera* i. e. iterum iterumque praetendens; quamquam praetentandi verbum hac notione alio loco non reperitur, tamen nihil mutandum videtur.

77. Post hunc excidisse versum apparet, cuius sententia ea fere fuit, quae continetur versu in ed. Bon. et Ald. addito *arboris ad summum quam pervenere cacumen*; cfr. Verg. georg. II, 123 (Indiae luci) *ubi aera vincere summum Arboris haud ullae iactu potuere sagittae.*

79. *Hyrcani* nullo indicio addito etiam v. 114 nominantur, ex quo apparet altero utro loco corruptelam esse, sed utro loco nomen gentis corruptum sit et quid restituendum, non facile quis dicere poterit. Hyrcani saepe a scriptoribus commemorati habitabant a

Digitized by Google

Cyris in arma viros, plaustrisque ad proelia cunctas
Coelaletae traxere manus; ibi sutilis illis
et domus et crudo residens sub vellere coniunx
et puer e primo torquens temone cateias.
linquitur abruptus pelago Tyra, linquitur et mons
Ambenus et gelidis pollens Ophiusa venenis.
degeneresque ruunt Sindi glomerantque paterno
crimine nunc etiam metuentes verbera turmas.

---

mari Caspio ad meridiem versus. Ducem gentis *Cyrim* Valerius fortasse filium Solis finxit, cum nominaret eum Titanium.

81. *Coeia laetae* Vat., *Coelaletae* Thilo: quae coniectura si vera est, gentem Thraciae dixit Valerius, cfr. Tac. ann. III, 38; Plin. nat. hist. IV, 41. De *plaustris* gentium Thraciarum vid. II, 177; cfr. Her. IV, 46; Iust. II, 2; Stat. silv. V, 2, 135.

83. *cateia* genus teli gentium barbararum. Teutonis tribuitur a Verg. Aen. VII, 741; genti Libycae Sil. III, 277; describitur a Servio ad Verg. l. l. et Isid. orig. XVIII, 7.

84. *abruptus pelago Tyra* i. e. rapido cursu ad pelagus tendens; similiter *abrupti torrentes* Flor. II, 23, 6 (IV, 12, 6); *flumen* Germ. phaen. 48; de celeritate Tyrae cfr. Ov. ex Pont. IV, 10, 50 *nullo tardior amne Tyras.*

mons Ambenus qui fuerit et ubi situs, ignoratur; ex sententia Valerii haud procul a Tyra flumine fuisse videtur, cum statim nominet *Ophiusam* oppidum ad Tyram situm, vid. Plin. IV, 82; Ptolem. III, 10, 16; Steph. B. s. v. Τύρας; Pomp. Mel. II, 1.

85. *gelidis venenis* i. e. frigus (mortem) efficientibus; ita *mors* ipsa dicitur Hor. c. II, 8, 11; Ov. am. II, 9, 41; Sedul. pasch. c. III, 138; *metus* Ov. her. XI, 82; *cicuta* am. III, 7, 13; *formido* met. II, 200; *terror* III, 100; *pallor* trist. I, 4, 11; *tremor* Verg. Aen. II, 120; *sopor* Prud. cath. X, 60.

86. *Sindi* habitabant prope Bosporum Cimmerium: Strab. XI, 2, 10. *degeneres* dicit eos poeta et *paterno crimine verbera metuentes* memor eius rei, quae narratur inter alios a Iustino II, 5: Scythis longa expeditione a domo absentibus mulieres servis nupsisse; servos, qui redeuntes dominos finibus prohiberent, cum ancipiti Marte pugnatum esset, tandem verberibus in fugam coniectos esse; cfr. Herod. IV, 3; Claud. in Eutrop. I, 508 seqq.

87. *paterno crimine*: 'in Folge der Verschuldung der Väter', cfr. ad I, 53.

Digitized by Google

hos super aeratam Phalces agit aequore nubem
cum fremitu, densique levant vexilla Coralli,
barbaricae quis signa rotae ferrataque dorso
forma suum truncaeque, Iovis simulacra, columnae;
proelia nec rauco curant incendere cornu,
indigenas sed rite duces et prisca suorum
facta canunt veterumque viris hortamina laudes.
ast ubi Sidonicas pernix pedes aequat habenas,

88. *hos super* i. e. iuxta hos, translatum, ut videtur, ex ordine, quo convivae ad mensam accumbebant. De collocatione praepositionis vid. ad I, 151.

88. *aeratam Phalces agit aequore nubem* i. e. in campo densam multitudinem armatam; simillimus est locus Sil. XII, 167 seq. *isque ubi Agenoream procul adventare per aequor Et ferri ad muros nubem videt, arma — clamatque capitque*; sane aptius dicitur et saepius *nubes volucrum apium*, quae per aera volant. De *aequoris* notione cfr. ad III, 107.

89. *Coralli* in Thracia prope Haemum usque ad Pontum habitabant: Strab. VII, 5, 12; App. Mithrid. 69; Ov. ex Pont. IV, 2, 37; IV, 8, 83. Quos quo iure Schenkl ad Caucasum posuerit, nescio.

90. *ferrataque dorso forma suum*; sues nonnulli, ut Maserius Wagner Huguet, intellexerunt hystrices, quia Scythae sues aversarentur teste Herod. IV, 63. Horum interpretationi accedo, non quod ego quoque putem Valerium huius Scytharum aversationis rationem habere debuisse. sed quia singularem quendam morem Corallorum poeta narrare voluit. aper autem, quem Valerii loco intellegit Caussin, erat etiam inter signa Romanorum militaria, vid. Plin. nat. hist. X, 16. Hystrices autem quamquam obscure tamen non praeter suam consuetudinem indicavit poeta verbis *ferrata dorso forma suum*.

91. *truncaeque Iovis simulacra columnae* i. e. quae Iovis simulacra essent.

92. *proelia — incendere* eadem ratione dicitur, ut studia incendere, inflammare; cfr. Verg. Aen. VI, 165.

93. Notissimus erat hic mos Germanorum: Tac. Germ. 3; cfr. Sil. III, 346; VIII, 420; Verg. Aen. VII, 698; Liv. XXI, 28, 1.

95. *Sidonicas inter pedes aequat habenas* Vat. Sine dubio poeta eum hoc loco tangit morem, quo pedites equitibus intermixti aequant celeritatem equorum, sed deest obiectum aequandi verbi, quare scripsi *pernix*, ut *habenas* fiat obiectum. De hoc pugnandi

Digitized by Google

illinc iuratos in se trahit Aea Batarnas,
quos, duce Teutagono, crudi mora corticis armat
aequaque nec ferro brevior nec rumpia ligno.
nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
hiberni qui terga Novae gelidumque securi

---

more vid. Caes. de bell. gall. I, 48; Tac. Germ. 6; Liv. XLIV, 26; Plut. Aemil. Paul. 12 de Bastarnis ipsis. *Sidones* autem inter gentes Bastarnarum enumerantur a Strabone VII, 3, 17; *Bastarnae* per longum spatium a finibus Germaniae usque ad Istrum et Borysthenem porriguntur, quos metri causa *Batarnas* Valerius nominavit. Diversi ab his Sidonibus sunt Sidoni Plinii nat. hist. VI, 11.

97. Audaci translatione *moram* Valerius dixit pro scuto, quod tela moratur: multo planius scripserunt Verg. Aen. X, 485 *loricaeque moras — perforat*; XII, 541 *nec misero clipei mora profuit*; Sil. V. 319 *per — aeris — moras — laevo stetit hasta lacerto.*

98. Ferrum et lignum *rumpiae* eiusdem sunt longitudinis; de rumpia Thracum hasta cfr. Liv. XXXI, 39; Gell. X, 25, 2; Claud. epgr. 27, 9.

99. *albentes gemina ferit aclyde parmas*: albas parmas Cimbros habuisse narrat Plut. vit. Mar. 25; alba parma apud Verg. Aen. IX, 548 solet explicari parma insigni carens, quam explicationem num etiam ad Valerii verba adhibere liceat, ut fecerunt Burm. et Wagner, valde dubito, praesertim cum verba Plutarchi ἱππεῖς θυρεοῖς λευκοῖς στίλβοντες splendorem parmarum indicent, non vilitatem. De *aclyde* genere iaculorum cfr. Verg. Aen. VII, 730 et Serv. ad hunc locum; Sil. III, 362; VIII, 550.

100. Hoc versu et qui sequitur, unam eandemque gentem designari apparet; *Alazon* autem ex Caucaso ortus influit in confinio Albanorum et Iberum in Cyrum: Plin. nat. hist. VI, 29; Alazonium eum nominat Strab. XI, 3, 2; prior fluvius *Novas* est secundum scripturam Vat., in quo legitur *novae*. Mirum quod fere omnes editores coniecturam, quae est in edit. Iunt., probantes *Noae* receperunt: at Noas est flumen Thraciae, quod in Istrum influit teste Herod. IV, 49; qui autem fieri potuit, ut Valerius duo flumina longe diversissimis in regionibus fluentia sic coniungeret? Malui igitur servare traditam scripturam, quam recipere coniecturam, qua prorsus nihil proficiamus.

terga Novae — securi eruit: ex flumine frigore plane congelato segmenta glaciei exsecant, quibus, ut putat Wagner, liquefactis

Digitized by Google

eruit et tota non audit Alazona ripa
[quosque Taras niveumque ferax Evarchus olorum].
te quoque venturis, ingens Ariasmene, saeclis
tradiderim, molem belli lateque ferentem
undique falcatos deserta per aequora currus.
insequitur Drancaea phalanx claustrisque profusi
Caspiadae, quis turba canum non segnius acres
exsilit ad lituos pugnasque capessit eriles.

---

potum sibi parent; Alazonem autem per totum cursum congelatum fingit poeta, ita ut murmur aquarum audiri non possit.

102. Versus aperte ab hoc loco alienus, turbat enim constructionem verborum neque ellipsi verbi alicuius accusativus *quosque* explicari potest. Thilo post 101 aliquid excidisse putat, Caussin v. 102 post 67 collocandum, non sine probabilitate, si constructionem verborum spectamus; at sententiam ipsam investigantibus maximae oboriuntur difficultates: Evarchum enim haud procul a Sinope urbe in Pontum influentem nullo modo in hac Scythicarum gentium enumeratione neque hic neque post 67 Valerio nominare licebat, *Taras* prorsus est ignotus; verba autem interpolata esse credi non potest: quid versu faciam, nescio.

102. *te quoque — tradiderim*, cfr. Verg. georg. II, 101 et Aen. X, 185 *non ego te — transierim.*

104. *molem belli* ipsum Ariasmenum nominat poeta ad ingentem corporis magnitudinem indicandam.

ferentem i. e. secum rapientem, cfr. Hor. sat. I, 1, 58; I, 10, 50; Sil. I, 361; Val. ipsius III, 392.

105. *deserta per aequora*: deseruntur campi ab hostibus, ne curruum falcibus laedantur, vid. 388; neutro loco nomen gentis, cuius dux sit Ariasmenus, affertur.

106. *Drangae* gens regionis Arianae Strab. XV, 2, 8; Plin. nat. hist. VI, 94.

107. *Caspiadae*, quos Caspios Plin. VI, 39 nominat, ubi habitaverint, nomen ipsum indicat, atque *claustra* apparet esse notas illas portas Caspias. Eos canibus usos esse in bello ipse poeta videtur finxisse: de Colophoniis et Castabalensibus idem narrat Plin. nat. hist. VIII, 143; Lucret. V, 1306 tauros apros leones antiquissimo tempore in hostes missos esse narrat et Prudent. apoth. 216 semiferum Scotum peiorem nominat cane milite.

Digitized by Google

inde etiam par mortis honos tumulisque recepti
inter avos positusque virum; iam pectora ferro
terribilesque innexa iubas ruit agmine nigro
latratuque cohors, quanto sonat horrida Ditis
ianua vel superas Hecates comitatus in auras.
ducit ab Hyrcanis vates sacer agmina lucis
Vanus; eum Scythiae iam tertia viderat aetas
magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
illius et dites monitis spondentibus Indi
et centumgeminae Lagea novalia Thebes
totaque Rhipaeo Panchaia rapta triumpho.

---

non segnius sc. quam ipsi viri. *litui acres* nominantur propter acutum sonum, ut *tibia* Hor. c. I, 12. 1: *tuba* Val. VI, 28; Sil. IX, 6; Stat. silv. V, 3, 193; cfr. Senec. Agam. 332 seqq. *nil acre velim magnumque modis Intonet altis Sed quale soles leviore lyra Flectere carmen Simplex.*

110. *positus* idem quod situs: ubi viri mortui siti sunt, ibidem etiam canes.

nam pectora Vat., *iam pectora* scripsi.

112. *cohors* dicta de canum turba etiam apud Plin. l. l.; cfr. Hor. *febrium cohors* c. I. 3, 31; Sil. X, 97 *natorum* c.; Stat. Theb. IX, 190 *pastorum c.*

quanto sonat sc. latratu Cerberi.

113. *aulas* Vat., *auras* cod. Burm. De canibus Hecates comitatu vid. Hor. sat. I, 8, 35; Verg. Aen. VI, 257; Tib. I, 2, 54; Ov. fast. I, 389; Luc. VI, 733; χθόνιοι κύνες Apollon. III, 1216; cfr. etiam Rhode Psych. p. 375 annot. 1.

114. De *Hyrcanis* cfr. ad. v. 79.

115. Verg. Aen. I, 265.

117 seqq. indicat poeta gentes Asiae ab India usque ad Aegyptum ab Hyrcanis domitas esse vaticiniis Vari inflammatis; cfr. Iustin. II, 3.

118. Thebe *centumgemina* dicitur propter centum portas, satis audacter, sed simili audacia iam dixerat Verg. Aen. VI, 287 Briareum centumgeminum propter centum manus.

Lagea novalia: vid. ad V, 422.

119. *Panchaia* propria notione dicitur fuisse regio vel insula Arabiae, Plin. X, 5; Strab. II, 4, 2; VII, 3, 6; Melae III, 8, 8;

Digitized by Google

discolor hastatas effudit Hiberia turmas,
quas Otaces, quas Latris agunt et raptor amorum
. . . . . .
Neurus, et expertes canentis Iazyges aevi.

---

poetis ponitur pro ipsa Arabia, ut Verg. georg. II, 139; Tib. III, 2, 23; Or. met. X, 309 al.

tota — Panchaia rapta triumpho i. e. brevissimo temporis spatio devicta, vid. ad III, 341; V, 271.

120. *Hiberia* inter Colchidem et Caucasum sita cur *discolor* nominetur, non satis liquet; fortasse spectat ad varietatem vestimentorum et armorum, ut *plebes discolor* nominatur a Paul. Nol. XIII, 24 et apertius *discolor cultus* Sil. III, 23; sed ne id quidem certum, utrum varia ipsorum Hiberum vestimenta et arma indicentur an diversa a ceterorum sociorum armis.

121 seq. Miror neminem editorum sensisse hunc locum sic, ut in libris traditur, a Valerio scribi non potuisse. Non dubium est, quin *Otaces* et *Latris* duces putandi sint turmarum Hiberiae, at res est valde incerta de *Neuro*, quod gentis potius nomen intellegendum, de qua vide infra; id vero certissimum, Iazyges nullo modo dici potuisse agere turmas Hiberum. Quare ad sententiam sanam restituendam necessarium videtur statuere, nonnulla post versum 121 excidisse, in quibus et nomen illius raptoris amorum scriptum erat et praedicatum, quod pariter pertineret et ad Neurorum et ad Iazygum gentem.

amores saepius praesertim in sermone cotidiano dicuntur puellae amatae, velut apud Plautum Poen. 207; 1165; Curc. 357; al.; Catull. 6, 16; 10, 1; 15; 21, 4; 40, 7; 45, 1; 64, 27; sed etiam apud Verg. georg. III, 227; Val. II, 549; ep. Sapph. 155.

122. *Neurum* singularem pro plurali scriptum puto atque intellego gentem Neurorum inter superiorem cursum Hypanis et Borysthenis habitantium, quorum saepius Herodotus mentionem fecit: IV, 17; 100; 102 al., Plin. nat. hist. IV, 88; Pomp. Mel. II, 1, 13; Amm. XXXI, 2, 4.

Iazyges, quorum dux fortissimus Gesander commemoratur infra 280 seqq., nota gens Sarmatiae inter Danubium et Borysthenem: Strab. VII, 3, 17; Plin. IV, 80; Ov. trist. II, 191; Tac. ann. XII, 30. Immanem parentum occidendorum morem videtur tangere Claud. in Ruf. I, 328, ubi genti cuidam trans Tanaim habitanti pulchrum esse dicit iurare occisos parentes; de alio genere mortis dicit Prud. contra

Digitized by Google

namque ubi iam viresque aliae notusque recusat
arcus et inceptus iam lancea temnit erilis,
magnanimis mos ductus avis, haut segnia mortis
iura pati, dextra sed carae occumbere prolis
ense dato; rumpuntque moras natusque parensque,
unanimes, ambo miserandi fortibus actis.

Symm. II, 294 *Praecipitet Scythica iuvenis pietate vietum Votivo de ponte patrem.* De Hispanis haec habet Silius I, 226 seqq. *namque ubi transcendit florentis viribus annos Impatiens aevi spernit novisse senectam Et fati modus in dextra est*; cfr. III, 328. Herod. III, 99 fere idem narrat de gente Indorum; cfr. Tibull. IV, 1, 145.

123. *vires aliae* non contra rationem, sed contra usum dicuntur hoc loco vires imminutae, quare multi offenderunt; ad consuetudinem accommodati sunt loci IV, 126; 575; Verg. Aen. V, 466.

notusque refutat arcus Vat.; refutandi verbum sic simpliciter positum non videtur ferendum: Heinsius proposuit *motusque*, quod receperunt Schenkl et Baehrens. Si Valerium sic scripsisse putabimus, motus erit accusativus pluralis intellegendus, ut in versu qui sequitur *inceptus*; sed cum et ambigue *motus* dicatur, quoniam etiam participium explicari potest, et *movere arcum* non satis bene defendatur exemplis, qualia sunt *movere sagittam hastam*, praestat scribere *recusat* 'er sträubt sich, versagt'; sic recusandi verbum nonnunquam sine obiecto scriptum reperitur, ut Ov. fast. II, 387 *iussa recusantes peragunt lacrimosa magistri; notus* autem adiectivum aptissimum est ad sententiam, cum dicatur de arcu, quem antea ille senex saepissime tetenderat.

125. *dictus* Vat., *ductus* ed. Iunt. et Ald., quod quamquam dubitanter recentiores editores secutus recepi; vix enim latine dici posse videtur *ducere morem avis* pro eo quod est *ab avis*; si poeta sic scripsit, ita potius videtur explicandum, ut dicamus *ductus* positum esse pro *inductus*.

128. *ambo animis ambo miseri tam fortibus actis* Vat., *animis* valde languet, miseri autem non sunt, qui ea faciunt, quae narrat Valerius, sed ex eius sententia miserandi; mutavi igitur duobus locis traditam scripturam; corruptelae ansam videtur dedisse Verg. Aen. XI, 291. De ablativo *actis* cfr. inter alia I, 329 *saeva insomnia curis*; VI, 87 *paterno crimine — metuentes verbera*.

Digitized by Google

hic et odorato spirantes crine Mycaei
Cossaeaeque manus, et qui tua iugera nondum
eruis, ignotis insons Arimaspe metallis,
doctus et Auchates patulo vaga vincula gyro
spargere et extremas laqueis adducere turmas.
non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten cinctumque vagis post terga silebo
pellibus et nexas viridantem floribus hastas.
fama, ducem Iovis et Cadmi de sanguine Bacchum
hac quoque turiferos, felicia regna, Sabaeos,

---

129. *mycael* Vat., *Mycaei* scripsi, ut latina saltem forma restitueretur: Mycos nominat Herodotus III, 93 et VII, 68.

130. *Cesseeaeque* Vat., *Cossaeaeque* scripsi: Cossaei gens erat Susianae Strab. XVI, 1, 17; Plin. VI, 134; insignis ferocia et fortitudine Diod. XVII, 111; Strab. XI, 13, 6.

131. De *Arimaspis* fabulosa Scytharum gente cfr. Herod. VI, 27; III, 116; IV, 13; Plin. VII, 10; eos auro comas ligasse dicit Luc. III, 281; cfr. VII, 756 et quod de Arone eiusque sociis supra narravit Valer. V, 588 seqq.; fortissimos esse tradunt Prisc. perieg. 40 et Avien. orb. 55. Valerius ipse videtur finxisse, eis Argonautarum tempore usum auri nondum notum fuisse.

132. *Auchetae* gens Scytharum prope Tanaim habitans commemoratur a Plin. nat. hist. IV, 88 et VI, 22; Auchatas nominat Herod. IV, 6.

133. Cum superlatione eos poeta extremas turmas i. e. vel remotissimos hostes laqueis irretitos ad se trahere dicit; idem tradit de Sagartiis Herod. VII, 85; de Sauromatis Paus. I, 21, 8.

135. *Thyrsagetae* vel Thyssagetae gens saepius commemorata Sarmatiae Asiaticae: Herod. IV, 22; 123; Plin. nat. hist. VI, 19; Pomp. Mel. I, 19, 19. Quae Valerius de eis narrat, ex nomine ipso gentis finxit. *non-silebo*; cfr. Verg. Aen. X, 793; Hor. c. I, 12, 21.

136. *nexas viridantem floribus hastas* i. e. virides efficientem; cfr. Ov. hal. 90 — *num vada subnatis imo viridentur ab herbis*; *nexas* i. e. cinctas, circumligatas; sic saepius apud poetas: Val. V, 79; VI, 297; Verg. Aen. V, 309; Ov. her. II, 141; V, 48; amor. I, 2, 23; fast. I, 412; ex Pont. II, 2, 82; III, 1, 123; Stat. Ach. I, 10; Theb. VI, 921; VII, 170; Prud. perist. X, 1014.

138. *tura* Sabaeorum saepissime laudantur, velut Verg. georg.

Digitized by Google

hac Arabas fudisse manu; mox rumperet Hebri
cum vada, Thyrsagetas gelida liquisse sub arcto.
illis omnis adhuc veterum tenor et sacer aeris
pulsus et eoae memoratrix tibia pugnae.
iungit opes Emeda suas; sua signa secuti
Exomatae Torynique et flavi crine Satarchae;
mellis honos Torynis, ditant sua mulctra Satarchen,
Exomatas venatus alit, nec clarior ullis
arctos equis; abeunt Hypanin fragilemque per undam

I, 57; Plin. nat. hist. VI, 154; XII, 51 seqq. al. *Sabaei* ipsi *turiferi* dicuntur pro regione figura metonymiae illi notissimae contraria, cfr. *turiferos Arabes* Claud. de 3. cons. Hon. 71; Valerii loco excusatio aliqua parata est ex appositis verbis *felicia regna*.

139. Cum dubitari non possit, quin Valerius de Hebro noto illo Thraciae flumine cogitaverit, rem non plane expressit, cum Thyrsagetae ex eius sententia in Asia relicti sint multo ante, quam Bacchus ad Hebrum perveniret.

141. *adhuc veterum tenor*: adhuc servantur mores veteres; cum *tenor* dici soleat non de hominibus, sed de rebus, quarum ordo servatur, *veterum* explico neutrum, non masculinum.

142. *memoratrix* vocabulum a Valerio primo et solo ut videtur usurpatum: ad tibiam canebantur laudes maiorum.

143. *Emeda* Vat., scribitur nunc ex edit. Bon. *Emoda*; sed prorsus non probabile, Valerium de Emodo vel Emodis montibus Indiae mentionem hoc loco fecisse, quare traditam scripturam intactam relinquere malui; quam gentem significaverit poeta, obscurum est, neque magis noti sunt *Toryni* v. 144 et 145.

144. *Exomatas* non procul ab Hypani flumine habitare apparet ex v. 147; videntur eidem esse, quos *Iaxamatas* nominat Amm. Marc. XXII, 8, 31, Ἰξομάτας Polyaen. strateg. VIII, 55.

Satarchae prope Tanain sedes habebant; Plin. nat. hist. VI, 22.

146. *Exomatas venatus alit*; cfr. Sil. VIII, 571 *hos venatus alit*.

147. *Hypanis* hoc loco commemoratus non est fluvius Sarmatiae Europaeae, quem hodie *Bug* nominamus, sed ex Caucaso ortus in paludem Maeotidem influit, Strab. XI, 2, 9, qui hodie *Kuban* dicitur.

abeunt Hypanin; ex eis quae sequuntur, audienda est praepositio *per*, cfr. Verg. Aen. VI, 692 *quas ego te terras et quanta per aequora vectum Accipio*; VII, 296 *medias acies mediosque per ignes Invenere*

Digitized by Google

tigridis aut saevae profugi cum prole leaenae,
maestaque suspectae mater stupet aggere ripae.
impulit et dubios Phrixei velleris ardor
Centoras et diros magico terrore Choatras.
omnibus in superos saevus honor, omnibus artes
monstrificae: nunc vere novo compescere frondes,
nunc subitam trepidis Maeotin solvere plaustris.
maximus hos inter Stygia venit arte Coastes;

---

viam; vid. praeterea Val. I, 576; 716; VI, 615; VIII, 375; neque raro similia apud alios poetas reperiuntur; cfr. interpretes ad Verg. locos allatos.

fragilemque per undam: est unda ipsius Hypanis, quae fragilis dicitur, quia congelata est levi frigore ita ut, nisi celerrimo cursu iter conficiatur, glacies frangatur.

149. *suspectae mater stupet aggere ripae:* leaena non audet per glaciem raptores prolis sequi; quo iure autem ripam suspectam dixerit Valerius, non liquet; de *aggere ripae* cfr. Verg. Aen. VII, 106; Sil. VI, 281; *flumineum aggerem* dixit Sil. X, 92.

150. *impulit—dubios*: Stat. Theb. XI, 482.

151. *Centoras;* etiam haec gens prorsus ignota est. *Choatrae* prope paludem Maeotidem habitant, vid. V, 154; fortasse eiusdem gentis nomen latet in enumeratione, quam legimus Plin. VI, 19; Choatram montem commemorat V, 98, Choatrem fluvium Parthiae Amm. XXIII, 6, 43; gentem ipsam praeter Valerium Luc. III, 246.

152. *in superos saevus honor*: videntur indicari victimae humanae; aliam sententiam haec locutio habet apud Stat. Theb. IV, 53. De productione posterioris syllabae vocabuli *saevus* vid. ad II, 225.

153. Choatrae arte magica et prohibere possunt, quominus vere primo arbores frondescant, et contra efficere, ut hieme subito undae paludis Maeotidis congelatae liquefiant, cum homines plaustris super eas vehuntur; *plaustris* est dativus, qui a grammaticis dicitur incommodi, *trepida* autem ipsa plaustra dicuntur pro hominibus, de qua figura cfr. ad I, 109. Non recte locum intellegit Wagner, cum putat, ipsos Choatras agere plaustra super glaciem; denique *subitus* adiectivum ratione poetis non insolita ponitur pro adverbio ad solvendi verbum referendo. cfr. II, 51; vel in prosa oratione hic usus reperitur.

155. *Stygia—arte* i. e. magica, ut *carmen Stygium* Luc. VI, 766.

Digitized by Google

sollicitat nec Martis amor, sed fama Cytaeae
virginis et paribus spirans Medea venenis.
gaudet Averna palus, gaudet iam nocte quieta
portitor et tuto veniens Latonia caelo.
ibant et geminis aequantes cornibus alas
Balloniti comitumque celer mutator equorum
Moesus et ingentis frenator Sarmata conti.
nec tot ab extremo fluctus agit aequore, nec sic
fratribus adversa Boreas respondet ab unda,

156. *Cytaeae virginis*; vid. ad V, 466.

157. *spirans Medea venenis*: cfr. VII, 327 *spirantia tecta venenis*; Luc. IX, 679 *quanto spirare veneno Ora rear!* et ad V, 585.

158. Quod Coastes in bellum proficiscitur, non otium ei est artes magicas exercere: itaque ab inferis umbrae non evocantur, quietem servare licet Averno et Charonti nec de caelo luna devocatur.

160. *geminis aequantes cornibus alas* recte videtur Wagner explicasse his verbis 'ex utraque parte aciei eodem numero cornua tenentes'; sed in ea re ab illo viro dissentio, quod non Ballonitos in duas partes divisos cornua tenuisse statuo, sed comprehendendos puto Ballonitos Moesos Sarmatas harumque gentium duas in altero, tertiam in altero cornu stetisse, tertiae autem huius gentis tot alas fuisse, quot coniunctarum duarum. Koestlin Philol. 48, 665 'gemina cornua' inquit 'sind die Flügelspitzen des Bogens, also: die mit ihrem Bogen dem Vogelfluge gleich kommen': hanc explicationem quamquam improbo, tamen non silentio praetereundam putavi. Ceterum gens Ballonitorum prorsus ignota est, Moesi contra et Sarmatae notissimi.

161. *celer mutator equorum* i. e. desultor.

162. Satis magna audacia *frenatorem conti* Sarmatam dicit poeta, quem hasta ammentata utentem fingit, etiam hoc loco morem sui temporis transferens ad tempora antiquissima. Idem fecerunt Ov. met. VII, 788; XII, 321; Verg. Aen. XI, 284; Sil. IV, 540; Stat. Ach. II, 417; Theb. IV, 153; IX, 867; XI, 441; XII, 723; Sen. Phaedr. 812; Prud. psych. 324.

163. Sententia nimis cumulata est comparationibus: sonus tubarum comparatur cum strepitu fluctuum ventis agitatorum et cum clamore avium; tum multitudo hominum cum fluctibus atque foliis et floribus; denique terrae motus equorum et curruum cursu excitatus

Digitized by Google

aut is apud fluvios clamor volucrum, aethera quantus
tunc lituum concentus adit lymphataque miscet
milia, quot foliis, quot floribus incipit annus.
ipse rotis gemit ictus ager tremibundaque pulsu
nutat humus, quatit ut saevo cum fulmine Phlegram
Iuppiter atque imis Typhona reverberat arvis.
Prima tenent illinc patriis Absyrtus in armis
et gener ingentesque inter sua milia reges.
at circa Aesoniden Danaum manus ipsaque Pallas
aegide terrifica, quam nec dea lassat habendo

---

cum eo, qui erat in pugna Iovis contra Gigantes; de prima comparatione cfr. Hom. Il. II, 144 seqq., 459 seqq.; de altera Il. II, 468 seqq.; de tertia Il. II, 782; vid. etiam Pind. Pyth. 9, 82 seqq. Atque etiam vituperandus est Valerius, quod duas priores comparationes in unum confundit, neque v. 170 *atque* coniunctio sententiae prorsus accommodata videtur, cum alio tempore Iuppiter in pugna contra Gigantes fulmina iaculatus sit, alio Typhonem coercuerit.

165. *volucrum clamor* Vat., *clamor volucrum* Schenkl.

168. *intus* Vat., *ictus* Heinsius; imitatus haec verba videtur Stat. Theb. XII, 656 *icta gemit tellus*; cfr. Claud. rapt. Pros. III, 235 seq. *tremefactaque nutat Insula cornipedum pulsu*; Sil. IV, 294.

170. De *Typhone* vel Typhoeo cfr. ad II, 24 et IV, 236; *reverberat* i. e. verberando reprimit, coercet; sed cum in Vat. sit *typhea verberat*, fortasse praestat scribere *Typhoea verberat*.

171. Post longam exercitus Scythici descriptionem Valerius defessus quasi describendo paucissima addit de Aeetae exercitu neque ubi sedem habuerint milia illa v. 172 commemorata ullo modo indicat; cfr. quae dicta sunt ad V, 606.

172. *gener* est sponsus Medeae Styrus Albanus; sic Verg. Aen. II, 342 Coroebus sponsus Cassandrae *gener Priami* vocatur; aliud est quod Tib. III, 2, 14 se generum matris Neaerae amicae vocat; cfr. infra v. 274.

174. *quam nec dea lassat habendo*; locus mea sententia a nullo recte explicatus, quem sic interpretor: 'dea aegide gestanda non fatigatur'; lassandi vox insolitam verbi intransitivi habet notionem, cuius unum saltem exemplum in promptu est apud Senec. ep. 52, 5 *alterius* (aedificii) *fundamenta lassarunt*; non autem praeter rationem linguae Latinae hanc notionem statui docent multa verba primae coniugationis ab adiectivis derivata. Ut mittam ea, quae semper notionem in-

Digitized by Google

nec pater horrentem colubris vultuque tremendam
Gorgoneo. nec semineces ostendere crines
tempus adhuc primasque sinit concurrere pugnas.
impulit hos contra Mavors pater et mala leti
Gaudia Tisiphoneque caput per nubila tollens
ad sonitum litui mediaque altissima pugna
necdum clara quibus sese Fuga mentibus addat.

---

transitivam habent velut *aegrotare anhelare conterminare* al. atque etiam ea, in quibus notiones transitiva et intransitiva fere pariter in usu fuerunt, ut *durare festinare*, denique ea, quae saepius cum notione intransitiva scripta reperiuntur, ut *incommodare perdurare quadrare*, ea sola afferam, quorum significatio intransitiva rarior est: *adulterare aequare* (aequum facere, aequum esse) *alternare consociare* (Plaut. Rud. 551) *fuscare* (Stat. silv. III, 4, 66) *humectare* (Plin. nat. hist. X, 10; XI, 145) *maturare pandare* (Vitruv. II, 9) *quassare reciprocare siccare tardare.*

habendo i. e. gestando, tractando; cfr. Lucr. I, 312 *anulus in digito subter tenuatur habendo*; Ov. am. I, 8, 51 *vestis bona quaerit haberi* i. e. veste bona utendum est; Verg. Aen. XII, 88 seq. *simul aptat habendo Ensemque clipeumque et rubrae cornua cristae*; Tac. ann. I, 9 *quae* (arma) *neque parari possent neque haberi per bonas artes*; sic legitur *caerimonias habere* ann. XI, 15; *provinciam avare hab.* XIII, 30, al.

Aegide Minerva milites inflammat apud Hom. Il. II, 446 seqq.

176. Cur capitis Gorgonei crines *semineces* poeta dixerit, non satis liquet. Phil. Wagner ann. phil. 89, 393 putat esse languidos atque erigi dea irascente coll. Verg. Aen. VII, 450, qui locus non quadrat, quippe ubi poeta de vivis Furiae serpentibus dicat.

177. *concurrere pugnas*: cfr. Verg. georg. I, 318 *omnia ventorum concurrere proelia vidi*; Luc. I, 40 *ultima — concurrant proelia.*

178. De sententia cfr. Hom. Il. IV, 439, ubi ab altera parte Mars, ab altera Minerva milites instigat.

mala leti Gaudia mira fortasse videntur, quamvis notum sit studium poetarum Romanorum notiones quas nos vocamus abstractas tanquam personas fingendi, de quo cfr. ad II, 204, sed Verg. quoque Aen. VI, 278 commemoravit *mala mentis Gaudia*, quae sedeant in faucibus Orci.

179. *Tisiphone* pugnae interest etiam III, 214.

181. Ut hoc loco *Fuga*, sic Pavor est in comitatu Martis Stat.

Digitized by Google

Illi ubi consertis iunxere frementia telis
agmina virque virum galeis adflavit adactis,
continuo hinc obitus perfractaque caedibus arma
corporaque, alternus cruor alternaeque ruinae;
volvit ager galeas et thorax egerit imbres
sanguineos; hinc barbarici glomerantur ovatus,
hinc gemitus, mixtaeque virum cum pulvere vitae.
Caspius Aeaeum correpto crine Monesen
abstulit; hunc pariter Colchi Graique sequuntur

Theb. III, 425; cfr. omnino quae ad II, 204 dicta sunt. Ceterum *clara* pro eo quod est *clarum* simili attractione scribitur, ut permulta apud comicos imprimis poetas, veluti Plaut. Asin. 60 *meam uxorem — scis qualis sit*, vel apud Ciceronem, ut orat. 68 *seiunctus orator a philosophorum eloquentia — explicandus est nobis qualis futurus sit* al.

182. *consertis — telis*; dicitur *manus bellum pugnam proelium conserere*, sed Lucan. scripsit V, 708 *coit consertis puppibus agmen.*

183. Cfr. descriptionem pugnae orientis apud Hom. Il. IV, 446 seqq.; modum excedit in simili descriptione Stat. Theb. VIII, 410 seqq.

virque virum galeis adflavit adactis; Wagner: 'ita implicantur, ut levi ventulo motis galearum cristis faciem sibi invicem tangerent'; sed ita potius interpretandum videtur, tam prope inter se venisse viros, ut galea galeam et spiritus ex ore veniens os alterius contingeret; ne Burmann quidem locum recte intellexit. Paullo aliter rem expressit Verg. Aen. X, 361 *haeret pede pes densusque viro vir*; cfr. Hom. Il. XIII, 131 seqq.; de adigendi verbo vid. Stat. Theb. V, 213 *nec segnius illa tenentis pone adigit costas.*

186. *erigit* Vat.; *egerit* cod. Carr.; *imbres sanguinei* solita superlatione scripti sunt; cfr. Stat. Theb. I, 437 *putresque sanguineo videt imbre genas.*

187. *glomerantur ovatus:* glomerare dictum praeter consuetudinem de re, quae non sub oculos cadat, sed cfr. Sil. II, 221 *glomerant — murmur.*

188. *mixtaeque virum cum pulvere vitae*: etiam hoc praeter consuetudinem scriptum pro corporibus adhuc viventium, quae vulneribus confecta in pulverem labuntur. Minus recte Caussin intellegit *vitam* sanguinem coll. Verg. Aen. IX, 349 *purpuream vomit ille animam.*

Digitized by Google

missilibus; rapit ille necem praedamque relinquit,
nec sociis iam cura viri. Dipsanta Caresus
Strymonaque obscura spargentem vulnera funda
deicit; Albani cadit ipse Cremedonis hasta,
iamque latet currusque super turmaeque feruntur.
Processere Melas et Idasmenus; incipit hasta
ante Melas, levis ast abies elusit utrumque.

191. *rapit ille necem:* cum Caspius missilibus premeretur, celeriter obtruncato hoste cadaver relinquere cogitur; de rapiendi verbo cfr. ad V, 271.

192. Sociis non iam cura est, ut cadaver viri, cui opem ferre non potuerint, e pugna efferatur, sed id potius agunt, ut mortuum ulciscantur. At non recte *Caresum* editores Colchum putant, *Dipsantem* et *Strymonem* Scythas, cum poeta narret Caresum Cremedonis Albani hasta cecidisse; qui autem ex Albanis aderant, ab Colchorum partibus stetisse certissimum; Caresus igitur hostis eorum erat atque Scythes, Dipsas et Strymon Colchi. In errorem viri docti eo inducti videntur, quod putaverunt iam poetam enarrare, quomodo socii mortem Monesis ulti sint, sed hoc exponere praetermisit.

193. *obscura spargentem vulnera funda* i. e. ex insidiis funda vulnerantem; *vulnera* si quis volet, interpretetur per metonymiam dicta esse pro lapidibus, quibus vulnera fiunt, cfr. ad III, 197.

194. *deicit* sc. de statu, i. e. interficit, cfr. v. 218; 552; Verg. georg. III, 421; Aen. X, 319; 753; XI, 642; 665; 833; Phaedr. II, 1, 1; Coripp. Ioh. IV, 778; 971; 992; VII, 530; 549; 592; etiam in prosa oratione invenitur. Cfr. ad I, 191.

195. *latet* sc. protritus sub pedibus equorum et virorum.

196. *Melas*, unus ex Phrixi filiis: V, 461.

197. *incipit hasta*; cfr. 167 *floribus incipit annus;* omnino interdum incipiendi verbum, ut in nostra lingua 'anfangen', invenitur non addita notione actionis, cuius fit initium; vid. IV, 206 *incipite o iuvenes sc.* pugnare; cfr. praeterea inter alia Verg. ecl. V, 10, IX, 32, X, 6, Iuv. sat. IV, 34 *incipe* (canere); Aen. IX, 741 (pugnare); Hor. sat. II, 3, 6 et Mart. II, 64, 5 (dicere); Tib. IV, 1, 3 *incipiam* (canere); Prop. II, 20, 36 *incipio* (amare); Sen. Phaedr. 599 *incipe* (agere); (Plaut. Poen. 974 *incipere* (agere)). Solus Valerius ablativum addidit pendentem ab eo verbo, quod mente addendum est.

197. *abietem* dixit hastam poeta ex imitatione Vergilii Aen. XI, 667; cfr. etiam Sil. IV, 255 et Val. ipsum infra v. 236.

Digitized by Google

ensibus inde ruunt; prior occupat aere citato
cassidis ima Melas; infracta est vulnere cervix.
mixta perit virtus: nescit cui debeat Ocheus
aut cui fata Tyres. dum sibila respicit Iron
cuspidis Argivae, Pyliam latere accipit hastam.
Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres
Castor equis, pater armento quos dives ab omni
nutrierat fatisque viam monstrarat iniquis.
tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor, simul obvius hastam
pectus in adversum Gelae iacit alipedemque

198. *aere citato* i. e. gladio celeriter adacto: Sil. IV, 536 *citat — hastam*; IX, 592 *citato — ense*; Stat. Theb. VIII, 125 *arma citat*; non facile autem dictum invenietur *aes* pro ferro, gladio; Ovidius posuit met. VIII, 32 pro galea, Enn. trag. 16 R. pro clipeo.

prior occupat — cassidis ima; abundantia quadam *prior* additum est ad *occupat*, de quo idem dicendum, quod supra de *incipit* verbo, cfr. Verg. Aen. IX, 770; X, 699; Sil. V, 236; XVII, 470 al.

200. *perit virtus*: Ov. fast. II, 227; Luc. IV, 491; *mixta virtus* audaci brevitate dictum: viri sunt fortes aliis mixti, nos 'im Getümmel'.

202. *cuspis Argiva* Nauplii est, *Pylia* hasta Nestoris vel Periclymeni; de sententia cfr. Sil. IX, 367 seqq.

203. *Hyrcani fratres* sunt Gelas v. 208 et Medores v. 211.

discurrere i. e. modo huc modo illuc currere, sic Luc. X, 359 Cleopatram dicit inter maritos *discurrentem*; Paul. Nol. XVIII, 276 *quo modo discurram? quo deferar?* Suet. Calig. 19 *non magis Gaium imperaturum, quam per Baianum sinum equis discursurum.*

204. *pater armento quos dives ab omni nutrierat* i. e. separatos ab omni armento; aliquo modo similis est locus Ov. her. XVII, 69 *a Veneris facie non est prior ulla tuaque* i. e. Veneris tuaque facie excepta nulla pulchrior est; *separatim eos ab illis se consulturos* scripsit Liv. XL, 47, 4; *seorsus a ceteris* Curt. VII, 2, 37.

205. *fatisque viam monstrarat iniquis*; ex eis quae sequuntur apparet poetam verbis per se obscuris dicere voluisse eo, quod pater equos insigni pulchritudine aluisset, fatum eum paravisse filiis, qui his equis utebantur; etenim Tyndarides amore equorum captus impetum in fratres facit.

206. *tum magis atque magis*; Verg. georg. III, 185.

Digitized by Google

insilit excusso victor duce; risit ab alta
nube pater prensisque equitem cognovit habenis.
at pariter luctuque furens visuque Medores
Tyndariden petit et superos sic voce precatur:
'hunc age — vel caeso comitem me reddite fratri;
primus at hic nostra sonipes cadet impius hasta,
credita qui misero non rettulit arma parenti
meque venit contra captivaque terga ministrat'.
dixerat; Actaei sed eum prior hasta Phaleri
deicit; ad socias sonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales umquam metuisset Amyclas
Oebaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter

209. *constitit* Vat., *insilit* Heinsius. *risit ab alta nube pater*: Stat. Theb. VIII, 455 *hunc laudat ab alto Iuppiter*; Ach. I, 643 seq. *risit chorus omnis ab alto Astrorum et tenerae rubuerunt cornua Lunae.*

211. *luctuque furens visuque Medores*; non prorsus pari ratione grammatica ablativi *luctu* et *visu* cum participio coniuncti sunt: luctus plenus est Medores propter necem Gelae et praeterea furit propter visum, quod Castorem equo interfecti fratris vehentem videt.

213. *age — reddite*, cfr. ad III, 311; de sententia cfr. Ov. met. III, 58 seq.; locus non ab omni suspicione liber, cum inaudita brevitate (nam figurae aposiopesis nullus est hic locus) expressus, cum Valerius debuerit dicere *hunc sinite me interficere*; auget suspicionem *vel* particula, pro qua propter sententiam *aut* flagitatur. Baehrens edidit *nunc age* et in versu, qui sequitur, *primus vel nostra sonipes cadat.*

214. *et* Vat., *at* Schenkl. De collocatione *at* coniunctionis cfr. ad IV, 85.

217. *Actaei — Phaleri*, cfr. I, 398 seqq.

219. *fatales — Amyclas*: quippe ubi Castor sit natus.

220. De sententia cfr. Hom. Il. I, 156 seq. ἦ μάλα πολλὰ μεταξὺ οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα.

tot — montibus inter diviso; de adverbio *inter* cfr. ad V, 336; hoc autem loco est pro attributo 'durch so viele dazwischen liegende Berge getrennt'; sic III, 362 *inde dies* 'der darauf folgende Tag'; V, 337 *ingenti circum stupefacta profundo* 'stutzig durch die sie rings umgebende Tiefe'; Catull. IV, 10 *iste post phaselus*; vid. ad III, 362.

Digitized by Google

diviso totidemque fretis? cadit impiger una
inguine transfosso clari Taulantis alumnus
semidea genetrice Tages, cui plurima silvis
pervigilat materna soror cultusque laborat.
tenuia non illum candentis carbasa lini,
non auro depicta chlamys, non flava galeri
caesaries pictoque iuvant subtegmine bracae.
iamque novus mediae stupefacta per agmina pugnae
vadit eques densa spargens hastilia dextra,

---

221. *totidemque fretis* solita superlatione dictum.

223. *semidea genetrice* i. e. Nympha matre; sic *semideae* Dryades dicuntur Ov. her. IV, 49; Fauni Nymphae Satyri Silvani met. I, 192; Pan *semideum pecus* Stat. Theb. VI, 112; *semidei parentes* dei marini Theb. IX, 376.

cui plurima silvis pervigilat materna soror; de sententia horum verborum interpretes in diversas quasi abeunt partes; Heinsius pro *silvis* proposuit *telis*; Burmann putat latere nomen proprium maternae scilicet sororis, Schenkl *silvas* intellegit iugum textorium 'Webebaum'; at tam obscure poeta non potuisse scribere videtur. Equidem coniungendo *plurima materna soror* explico multas nymphas, sorores matris in silvis tenuissima et artificiosissima vestimenta filio sororis confecisse. *plurima soror* dictum ut *plurimus honos* I, 677, quo loco nonnulla alia exempla allata sunt. *cultus* substantivum ad ornatum corporis significandum raro in plurali adhibetur, sed invenitur vel apud Tac. ann. XVI, 31 *cultus dotales* 'Brautschmuck'; cfr. ann. XIII, 13.

225. *candentis lini* 'schneeiges Linnen'.

226. *auro depicta chlamys*; cfr. Man. V, 260 *veris depinget prata figuris*; Suet. Cal. 52 *depictas gemmatasque indutus paenulas.*

flava galeri caesaries: cum toto hoc loco Valerius de vestimentis loquatur, caesariem non licet interpretari capillum. Wagner intellegit cristam galeae; sed neque galerus potest dici pro galea neque caesaries pro crista; *caesaries* dici videtur a poeta de crinibus pellis ferinae, ex qua galerus factus erat, cfr. Verg. Aen. VII, 688 seq. *fulvosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti*; Gratt. cyn. 272 *discretaque collo caesaries* (sc. canum); discernitur galerus a casside Stat. Theb. IV, 302 seq.

229. Verg. Aen. XI, 650 *lenta manu spargens hastilia denset*, quod Valerius paullum immutavit; *densa* neutrum pluralis est atque positione quamquam rara vocalis *a* producitur.

Digitized by Google

fulmineumque viris profundens ingerit ensem
huc alternus et huc; cum saevior ecce iuventus
Sarmaticae coiere manus fremitusque virorum
semiferi; riget his molli lorica catena;
id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
et caput ingentem campis hostilibus umbram
fert abies obnixa genu vaditque virum vi,

---

230. *fulmineus ensis* 'blitzend' et de splendore dicitur et de celeritate ictus; sic Verg. Aen. IV, 580; IX, 441; Luc. VI, 239; Stat. Theb. X, 272; Coripp. Ioh. II, 155; IV, 1086; VI (V) 657; VIII (VII) 593; cfr. Ov. am. II, 2, 64 *non stricto fulminat ense manus*; Val. III, 119; Ser. Samm. 825 *fulmine gladii — affligier*; multo autem saepius de dente apri dicitur, ut Ov. met. I, 305; X, 550; fast. II, 232; artis II, 374; Stat. Theb. II, 470; VI, 868; XI, 530; Sil. I, 421 al.

profundis Vat., *profundens* cod. Monac., quod interpretor *sternens*, cfr. Lucr. IV, 757; VI, 744 *praecipitesque cadunt molli cervice profusae in terram*; Amm. XIX, 1, 7 *contortā ballistā filium eius primae pubis adulescentem — thorace cum pectore perforato profudit*.

231. *huc alternus et huc*: IV, 266; cfr. etiam Verg. Aen. IX, 57.

232. *fremitus virorum* dictum pro viris frementibus, vid. ad I, 159.

233. *molli lorica catena*; loricam hamis consertam poeta dicit, quae facile se ad corporis figuram applicet.

234. *quis age qui* Vat., *equis at equi* ed. Ald.; *id quoque tegmen equis*: de collocatione *quoque* coniunctionis cfr. ad I, 360. Ceterum Valerius Verg. Aen. XI, 770 seq. secutus transtulit usum equorum cataphractorum ex suis temporibus ad aetatem heroum; cfr. Serv. ad Vergilii locum; ipsis Sarmatis tales equi tribuuntur Tac. hist. I, 79.

porrecta per armos — abies i. e. praeter armos quasi exiens; sic Ov. met. VI, 237 de equite labente *per colla — iubasque volvitur*; VIII, 287 *per armos spuma fluit*; fast. VI, 514 *effusis per sua colla comis*.

235. Nimia superlatione magnitudinem hastae describit Valerius, cfr. Stat. Theb. XII, 730 seqq. et ad Val. V, 175.

236. *abies obnixa genu:* Sil. XV, 684 seq. *sustentata genu per campum pondera conti Sarmatici prona adversos urgebat in hostes.*

Digitized by Google

vadit equum, docilis relegi docilisque refingi
atque iterum medios non tardior ire per hostes.
orbibus hos rapidis mollique per aequora Castor
anfractu levioris equi deludit anhelos
immemoresque mori; sed non isdem artibus aeque
concurrunt ultroque ruunt in funera Colchi.
Campesus impacta latus inter et ilia quercu
tollitur ac mediam moriens descendit in hastam.
Oebasus infestum summisso poplite Phalcen
evasisse ratus laevum per luminis orbem
transigitur; tenerae liquuntur vulnere malae.
contra autem geminis fidens thoracibus ictum

237. *docilis relegi docilisque relinqui* Vat., at cur Sarmatarum potissimum hastae vocentur dociles relinqui, prorsus non intellegitur, cum nulla machinatione opus sit ad hastam relinquendam idque cuivis militi omnium facillimum sit; itaque scripsi *refingi* i. e. in pristinum statum restitui, quod infra 254 verbis *recollectam rursus locat* exprimitur; cfr. Verg. georg. IV, 202 (apes) *aulasque et cerea regna refingunt.*

238. *altior* Vat., *tardior* Heinsius.

240. *deludit anhelos immemoresque mori*; haec adiectiva per prolepsin dicta sunt: reddit Castor eos anhelos et incautos deludendo; de sententia cfr. Sil. VII, 643 seqq.

243. *Campesus*: V, 590.

latus inter; de collocatione vid. ad I, 151. *quercu*: hasta, ut *abies* 236.

244. Campesus tollitur de equo et pondere corporis usque ad mediam partem hastae delabitur; *descendere* pro delabendo legitur etiam VII, 592; eandem sententiam Lucanus III, 725 his verbis expressit *adiuvitque suo procumbens pondere ferrum.*

245. *Oebasus* Colchus interficitur a *Phalce* Scytha (v. 88), hunc autem interficit Argus v. 554.

246. *laevum per luminis orbem*; de hac enallage cfr. ad III, 4 et Luc. VI, 216.

247. *tenero linquuntur* Vat., *tenerae liquuntur* cod. Carr.; *liquuntur* i. e. manant, cfr. Sil. XIII, 487 *cadavera — putri liquentia tabo*; *vulnere* autem dicitur pro sanguine, quod vulnere efficitur, ut Verg. Aen. XI, 669 *moriensque suo se in vulnere versat*, quod imitatus est Sil. V, 577.

248. Opponitur Oebaso, qui genibus nixum se effugere posse putavit ictum hastae, *Sibotes*, qui temere loricae confidit.

Digitized by Google

sustinet et gladio Sibotes ferit ultima teli,
nequiquam; iam cuspis inest, nec fragmina curat
Ambenus et trunco medium subit Ocrea ligno.
seminecem Taxes Hypanin vehit atque remissum
pone trahit fugiens et cursibus exuit hastam;
dumque recollectam rursus locat, inruit ultro
turbatumque Lacon et adhuc invadit inermem.
impulit adverso praeceps equus Onchea conto

---

249. *sustulit* Vat., *sustinet* Heinsius. Sibotes cum in eo est, ut cuspidem teli gladio feriat, ipsa cuspis in corpus infigitur, sed tamen prope cuspidem telum gladii ictu fractum est, quod non curans Ambenus trunco ligno alios interficit. Ambenum et Taxem Scythas, Ocreum et Hypanim Colchos esse apparet.

251. *subit Ocrea*: aggreditur; cfr. infra 322; Verg. Aen. X, 877; Sil. IX, 382; Stat. Theb. II, 474; X, 274.

252. *Hypanin* transfixum parumper hasta portat et trahit *Taxes* donec vehementi cursu telum ex corpore extrahitur; cfr. Sil. XV, 686 *tum quoque transfixum telo per membra per arma — asportabat ovans*; parma sola sic portatur apud Stat. Theb. VIII, 497 (parmam) *summa fugiens in cuspide portat*.

remissum paullo obscurius dictum, sed videtur recte Burmann explicasse: primo portat Hypanin, 'deinde vulnere debilitatum et confectum in terramque pondere suo delapsum post se trahit'; membra morte remittuntur, languescunt, sic Ovidius her. XVIII, 197 digitos *sopore remissos* vocat et met. IV, 229 digitos *metu remissos*.

253. *cursibus exuit hastam* i. e. extraxit ex corpore, cfr. Stat. Theb. IX, 76 *exuerat vagina turbidus ensem*; 287 *magnoque e vulnere telum exuit*; X, 271 *exuit ensem fulmineum*.

256 seqq. Locus obscurissimus: longum est omnes explicandi conatus afferre atque de eis iudicium facere; mihi quidem haec videntur statuenda: *adverso — conto* dativus est intellegendus pendens ab *impulit* verbo, cum autem contus proprium sit telum Scytharum, Oncheum, qui invitus in tale telum ab equo, quem retinere non iam potest, impellitur, Colchum esse necesse est; tum ante 258, non post hunc versum, ut suspicatus est Thilo, videntur nonnulla excidisse, 'cum praesertim', inquit Thilo, 'comparatio, quae sequitur, cum eis, quae praecedunt, nullo vel tenuissimo filo cohaereat'; accedit quod, ut nunc se res habet, versus 258 et 259 nullo modo explicari possunt neque quidquam coniecturis *adsedit* vel *accepit* proficimus; pro

Digitized by Google

nequiquam totis revocantem viribus armos.
. . . . . .
in latus accedit sonipes; accedit et ipse
frigidus; arma cadunt, rorat procul ultima cuspis:
qualem populeae fidentem nexibus umbrae
siquis avem summi deducat ab aere rami,
ante manu tacita cui plurima crevit harundo;
illa dolis viscoque super correpta tenaci
implorat ramos atque irrita concitat alas.
Parte alia infestis (nam fors ita iunxit) in armis
Styrus adest, laetusque virum cognoscit Anausis,
et prior 'en cuius thalamis Aeetia virgo

priore *accedit* non improbabiliter Bury Hermathen. VIII, 412 *ecce cadit* coniecit. In praefationis p. XLVII Thilo sententia sua mutata locum refert inter eos, quos poeta non emendaverit.

259. *frigidus*: moribundus, cfr. Verg. Aen. IX, 415; XI, 818; Coripp. Ioh. IV 768; de mortuo dicitur Verg. georg. IV, 506; Stat. Theb. IX, 898; XII, 29.

260. *populeae — umbrae* i. e. densorum ramorum populi: *umbra* non raro ponitur pro arbore umbram efficiente; *populea umbra* legitur Verg. georg. IV, 511; id autem audacius, quod *nexus umbrae* dicuntur, qui sunt ipsorum ramorum, sed cfr. *caesa — umbra* VII, 55; *virides umbrae* Stat. Theb. XI, 592; *virentes* IV, 797; *frondentes* Sil. XII, 354; *viridis caligo* Auson. Mos. 15; *ignis — populatur — umbras* Sil. IV, 679; *radiatilis umbra* Venant. Fort. vitae Mart. II, 286. Sed illud audacissimum, quod dicitur avis deduci *ab aere summi rami*. Imitatus videtur poeta Verg. georg. II, 123 *aera vincere summum arboris*; sed Vergilius loquitur de sagitta, quae per aera super arborem volat, Valerius de ave, quae sedet in ramo.

262. *cui plurima crevit harundo*: harundo harundini inclusa subito in altum tendebatur: in summa autem harundine viscum erat, ad quod avis adhaeresceret; de hac aucupii ratione cfr. Plaut. Bacch. 51; Prop. IV, 2, 33; Mart. IX, 54, 3; XIV, 218; Petron. c. 109; Sil. VII, 674 seqq.; Oppian. cyn. III, 487 et accurate disputantem Zacherum Herm. XIX, 433 seqq.

263. *sequaci* Vat., *tenaci* Friesemann.

265. *inanis* Vat., *in armis* ed. Bon. et Ald.

266. *anausim* Vat., *Anausis* Caussin; de Anausi vide supra v. 43.

Digitized by Google

dicta manet nostrosque feret qui victor amores.
non' ait 'invitoque gener mutabere patri'.
tum simul adversas conlatis cursibus hastas
coniciunt; fugit adductis Albanus habenis
saucius atque datum leto non sperat Anausin,
nec videt. ille autem telo moribundus adacto
'ad soceros pactaeque sinus en coniugis', inquit
'Styre, fugis, vulnus referens, quod carmine nullo
sustineat nullisque levet Medea venenis'.
dixerat, extremus cum lumina corripit error,
voxque repressa gelu percussaque vertice tellus.
Hinc animos acies auget magnoque doloris
turbine Gesandrum Mavors rapit: ille morantes

---

269. *ait* ad alteram demum sententiam additum offensioni fuit nonnullis, sed cfr. IV, 79; de *non* particula sine verbo posita cfr. Verg. Aen. IX, 208.

272. *atque — non sperat*: cfr. IV, 154 *atque — ne temnite.*

274. *ad soceros* 'Schwiegereltern', cfr. I, 403; Verg. Aen. II 457; X, 79; Ov. met. III, 132.

276. *quod carmine nullo sustineat* i. e. cohibeat coerceat, ne longius progrediatur, eadem ratione hoc dictum est, ut impetum equum agmen currum flumina gradum sustinere. Ceterum Anausis votum non impletum esse apparet ex VIII, 298 seqq., ubi Argonautas fugientes a Styro acerrime impugnatos esse poeta narrat.

277. *lumina corripit error*; oculi morientium *errare* dicuntur apud Verg. Aen. IV, 691; substantivum ipsum legitur Stat. silv. V, 1, 170 *oculisque novissimus error* et Theb. XII, 777 *oculis extremo errore solutis.*

278. *voxque repressa gelu*; de torpore mortis *gelu* ut frigus dicitur etiam apud Luc. IV, 653; *gelida mors* Ov. am. II, 9, 41; met. XV, 153; *letum* Lucr. III, 528; *gelida ora* de moriente Stat. Theb. XI, 56.

279. *magnosque dolores* Vat.; *magnoque doloris* cod. Carr.

280. *doloris turbine* mens vehementissime agitatur, cfr. Ov. am. II, 9, 28 *nescio quo miserae turbine mentis agor*; saepius adiectivum *turbidus* indicat animum vehementer commotum et agitatum: infra v. 293; Verg. Aen. X, 648; 763; XI, 742; XII, 10; 671; Sil. I, 477; V, 380; XII, 417; Stat. silv. III, 1, 39.

Digitized by Google

increpat et stricto sic urguet Iazygas ense:
'nempe omnes cecidere senes, nempe omnis ademptus
ante pater. quae vos subito tam foeda senectus
corripuit fregitque animos atque abstulit iras?
aut mecum mediam, iuvenes, agite ite per urbis
Argolicamque manum, aut caris occumbite natis'.
inruit et patrias coeptis ferus advocat umbras:
'sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
suggere nunc animamque parem, si fata peroso
tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi
paruimus parvique etiam didicere nepotes'.
haec ait, auditusque Erebo. tunc corripit ensem
turbidus et furiis ardens quatit arma paternis.
indigenis sacratus aquis magnique sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis,
(populeus cui frondis honor conspectaque glauco

---

282 seqq. cum acerba obiurgatione dixit Gesander. Nempe, inquit, putabam omnes senes ex more a nobis interfectos esse (cfr. 122 seqq.), sed me errasse video, cum vos tam foeda senectute correptos conspiciam.

285. *urbem* Vat., *urbis* Madvig advers. crit. II, 147. Sententia haec est: aut mecum fortissime pugnantes gloriosa morte occidite, aut pugna detrectata turpem senectutem nacti a filiis interficiemini.

286. *occumbite natis*: de occumbendi verbo cum dativo personae iuncto cfr. Luc. IX, 129; Sil. V, 260; Claud. de bell. Poll. 75; multo saepius sic constructum legitur *succumbere*.

288. *sancte — pater*: Verg. Aen. XI, 158 *sanctissima coniux*; sic alloquitur Evander uxorem mortuam.

291. *eam* Vat., *etiam* ed. Bon., sc. patri parere.

295. *Arctois — errabat in armis* i. e. in exercitu Scythico; de *armis* pro viris armatis scriptis cfr. ad II, 312; de Scythis autem, qui auxilium ferebant Persae, in Arctoa regione habitantibus vid. V, 272.

296. *populeus — frondis honor*; populus aquae amantissima propria fluviorum arbor est ideoque ad ripas consita, cfr. V, 185; Verg. Aen. VIII, 32; georg. II, 13; itaque ut coma deorum fluviatilium arundine ornata saepius dicitur, sic interdum fronde populea,

Digitized by Google

tempora nectuntur ramo) te, Cyrne, parentis
immemorem durae cupiens abducere pugnae;
iamque omnes impune globos diversaque lustrans
agmina non usquam natum videt. utque iterum instat
vociferans, iterum belli diversa peragrat,
lancea caeruleas circum strepit incita vittas,
opprimit admissis ferus hinc Gesander habenis.
ille manum trepidans atque irrita sacra tetendit,
'teque per hanc, genitor', inquit 'tibi si manet, oro
canitiem, compesce minas et, si tibi natus,
parce meo'. dixit. contra sic victor adacto
ense refert: 'genitor, turpi durare senecta
quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dextra
maluit atque ultro segnes abrumpere telas.

---

ut apud Sil. IV, 726, eademque fronde ornatus est sacerdos fluvii; de figura enallages, cum dici deberet *populeae frondis honor*, vid. ad III, 4.

conspectaque glauco tempora nectuntur ramo; his verbis nihil novi continetur, sed quae antea dicta sunt accuratius describuntur; *conspecta tempora* sunt conspicua, insignia, cfr. Verg. georg. III, 17; Aen. VIII, 588; Ov. met. IV, 795; XIII, 794; *nectuntur* i. e. cinguntur, vid. ad v. 136.

300. *natum* om. Vat., add. Loehbach, stud. p. 11; *adque* Vat., *utque* Burmann; *intrat* Vat., *instat* Heinsius.

302. Primo lanceam in sacerdotem conicit Gesander, sed cum ea innoxia praetervolasset caput, equo admisso gladio eum interficit.

303. *hunc* Vat., *hinc* Burmann; *admissis habenis* scripsit Valerius pro equo admisso, sed multo audacius dixit Verg. Aen. XI, 765 *hac iuvenis furtim celeris detorquet habenas* et Claud. in Prob. cons. 1 *sol qui flammigeris mundum complexus habenis Volvis — saecula.*

304. *sacra tetendit*, quae manibus gestabat; ea accuratius indicare poeta nimiae brevitatis studiosus praetermisit: quanto melius rem gessit Hom. Il. I, 14 seq.!

305. *genitōr*; cfr. ad II, 225.

306. *sicubi nato* Vat., *si tibi natus* Koestlin Philol. 50, 736; 'si tibi pater est, meae senectuti, si tibi filius, meo nato parce'.

307. *victor* significanter is dicitur, qui sine dubio victurus est.

310. *metas* Vat., *telas* scripsi, i. e. Parcarum fila; meta abrumpi non potest, vita ipsa abrumpitur, antequam ad metas pervenit. At-

Digitized by Google

et tibi si pietas nati, si dextra fuisset,
haut medii precibus tereres nunc tempora belli,
praeda future canum. iuveni sors pulchrior omnis:
et certasse manu decet et caruisse sepulchro'.
dixerat; ille deos moriens caelumque precatur,
dextera ne misero talis foret obvia nato.
Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo
flevit ab invita rapientem tela carina.
iam Scythicos miserande sinus, iam Phasidis amnem
contigeras, nec longa dies, ut capta videres
vellera et Euboicis patrios de montibus ignes.
illum, ubi congressu subiit Gesander iniquo,
territat his: 'tu, qui faciles hominumque putasti

---

que ne mireris Scytham barbarum de filis vitae abruptis loqui, conferas velim, quae infra dicit de remis, velis, moenibus Argivorum, quae nunquam vidit. Talia poeta non anxie curavit.

312. *medii — tempora belli*; cfr. Verg. Aen. II, 533 *in media iam morte tenetur*; Sil. II, 665 *inter medios caedum furores*; V, 409 *reposcit Tempora promissae media iam morte senectae*; Verg. georg. III, 331 *aestus medii.*

313. *omni* Vat., *omnis* Lennep, vid. stud. Vindob. V, 141; recte contulit Koch coniect. p. 22 Hom. Il. XXII, 71 seqq. νέῳ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν Ἀρηικταμένῳ, δεδαϊγμένῳ ὀξέι χαλκῷ Κεῖσθαι· πάντα δὲ καλὰ θανόντι περ ὅ τι φανήῃ.

314. *caruisse* fere idem atque *in morte non adeptum esse.*

317. Canthum in Libya moriturum esse Apoll. indicat I, 80 (Orph. Arg. 141), mortem ipsam narrat IV, 1483 seqq.; at pugna eum casurum in campo Aeaeo significaverat Valerius I, 451.

non inscia funeris Argo sc. instructa trabe illa fatidica, de qua vid. ad I, 301.

318. *rapientem tela*, cfr. ad I, 255.

320. *nec longa dies*, sc. tibi data, cfr. ad I, 489.

322. *congressu — iniquo* i. e. hostili; non recte Wagner verba intellexit.

323. *faciles hominumque putasti has — domos* i. e. hospitales qualesque esse solent hominum; facili translatione de domibus dicitur, quod proprie ad homines pertinet.

Ceterum perquam infeliciter rem gessit Valerius, quod loco ali-

Digitized by Google

has, Argive, domos, alium hic miser aspicis annum
altricemque nivem festinaque taedia vitae.
non nos aut levibus componere bracchia remis
novimus aut ventos opus expectare ferentes;
imus equis, qua vel medio riget aequore pontus,
vel tumida fremit Hister aqua; nec moenia nobis
vestra placent, feror arctois nam liber in arvis
cuncta vehens mecum; omnis amor iacturaque plaustri

---

enissimo intrusit narrationem de Scytharum Nomadum vita, atque recte Wagner 'ira percitus' inquit 'et in ipso pugnandi actu tam longam sermocinationem Gesander habuisse vix est credendus'. Neque id solum vituperandum, sed etiam ratio, qua haec morum Scythicorum mentio infertur, perversa est, cum Gesandrum sermonem incohantem faciat poeta, quasi Argonautae ipsam Nomadum regionem petissent ibique pugna fieret, non ad Colchorum urbem. Ante oculos Valerio obversatus videtur locus Verg. Aen. IX, 595 seqq., sed hic tamen peritius rem instituit.

324. *alium — aspicis annum* i. e. anni tempora; sic dicitur annus formosissimus, hibernus, pomifer, vide exempla ad III, 401 allata.

325. *altrix* nix dicitur, in qua nascuntur, aluntur, educantur; rursus non feliciter adduntur *festina taedia vitae*, quia haec neque adspici neque facile omnino cognosci poterant a Cantho. Fortasse locum emendavisset Valerius, nisi morte eius opus abruptum esset.

326. *componere bracchia remis* i. e. applicare; cfr. Verg. Aen. VIII, 485 seq. *mortua quin etiam iungebat corpora vivis Componens manibusque manus atque oribus ora*; Prop. II, 2, 11 seq. *Mercurioque Sais fertur Boebeidos undis Virgineum Brimo composuisse latus.*

327. *venti ferentes* sunt secundi, cfr. ad I, 266.

329. *qua — fremit Hister*: Iazyges, de quorum moribus Gesander loquitur, non prope Histrum habitabant, vid. ad v. 122, sed aut poeta hoc loco veritatem non accurate curavit aut longinquas Scytharum Nomadum migrationes indicare voluit.

330. *nunc* Vat., *nam* Carr.; quomodo Gesander recte dicere potuerit n u n c se ferri liberum in arvis, non intellego; de collocatione *nam* particulae cfr. ad II, 278.

331. *tenens* Vat., *vehens* Friesemann.

omnis amor iacturaque plaustri sola i. e. omnis amor meus ad plaustrum spectat et hoc solum est, quod amittere possim. Quae

Digitized by Google

sola, [nec hac longum victor potiere rapina;
ast] epulae quodcumque pecus, quaecumque ferarum.
mitte Asiae, mitte Argolicis mandata colonis,
ne trepident; numquam has hiemes, haec saxa relinquam,
Martis agros, ubi tam saevo duravimus amne
progeniem natosque rudes, ubi copia leti
tanta viris. sic in patriis bellare pruinis
praedarique iuvat, talemque hanc accipe dextram'.
dixit, et Edonis nutritum missile ventis
concitat; it medium per pectus et horrida nexu
letifer aera chalybs. trepidus super advolat Idas
ac simul Oenides pariterque Menoetius et qui
Bebrycio sospes remeavit ab hospite victor.
at vero ingentem Telamon procul extulit orbem
exanimem te, Canthe, tegens; ceu saeptus in arto

---

sequuntur in Vaticano *nec hac longum victor potiere rapina*, hoc loco non aptam habent sententiam, quare Pium secutus versum uncis inclusi.

336. *saevi* Vat., *saevo* ed. Bon. et Ald. De more infantium frigido amne lavandorum cfr. Verg. Aen. IX, 603; Sil. IV, 226; Claud. in Ruf. II, 112; Sidon. II, 36 *excipit hic* (in Thracia) *natos glacies et matris ab alvo Artus infantum molles nix civica durat.*

340. *Edonis nutritum missile ventis*; Edonus, ut saepius scribitur pro Thracio, ita hoc loco pro Scythico; *nutritum ventis* est Homericum ἀνεμοτρεφὲς ἔγχος Il. XI, 256, i. e. ventorum flatu duratum.

341. *ad* Vat., *it* ed. Bon. et Ald.

horrida nexu aera: lorica catenata, qualem supra v. 233 Sarmatis poeta tribuit.

342. *chalybem* pro hasta vel quolibet telo dixerunt etiam Luc. VII, 518; Sil. II, 107; Ser. Samm. de med. 791.

343. *Oenides*, Meleager, ut III, 690 al.

344. *propius* Vat., *sospes* scripsi.

remeavit i. e. ex certamine.

345. *extulit orbem* i. e. clipeum, ut Verg. Aen. X, 783; Sil. IV, 326 al.; *clipeum — extulit* dixit Verg. Aen. X, 261. Obversatur Valerio locus Hom. Il. XVII, 128, ubi Telamonis huius filius describitur φέρων σάκος ἠύτε πύργον, et in comparatione, quae sequitur, Hom. l. l. 133.

Digitized by Google

dat catulos post terga leo, sic comminus hastam
Aeacides gressumque tenet contraque ruentem
septeno validam circumfert tegmine molem.
nec minus hinc urguet Scythiae manus armaque Canthi
quisque sibi et Graio poenam de corpore poscens.
arduus inde labos medioque in corpore pugna
conseritur. magno veluti cum turbine sese
ipsius Aeoliae frangunt in limine venti,
quem pelagi rabies, quem nubila, quemque sequatur
ille dies: obnixa virum sic comminus haeret

---

347. *dat catulos post terga leo*; cfr. V, 148; Phaedr. IV, 10, 2 (peram) *post tergum dedit*; Sen. Phoen. 577 *palmas vincta post tergum datas*; Troad. 152 *manus p. t. dabit*; Drac. Hyl. 73 *dantur p. t. pharetrae. hastam — gressumque tenet* i. e. cohibet, neque hastam manu emittit neque in hostes proruit, id solum curans, ut corpus socii interfecti tueatur.

348. *ruentem* sc. Gesandrum, quem suos secutos esse ultro apparet, ut non necesse sit *ruentes* scribere.

349. *septeno validam — tegmine molem*: septemplices solent esse clipei ingentes: auctor talis descriptionis fuit Homerus, qui clipeum Aiacis ἑπταβόειον nominat (cfr. Soph. Ai. 576), sed tamen addidit octavum orbem aeneum Il. VII, 222 seqq.; clipeum septemplicem Aiacis nominat Ov. met. XIII, 2; 346; am. I, 7, 7: artis III, 112; Turni Verg. Aen. XII, 925; septem clipei orbes enumerat Aen. X, 783; cfr. praeterea Stat. Theb. VII, 310; Ach. I, 470; Verg. Aen. VIII, 448; Il. Lat. 293; 612; Drac. Or. 712; Claud. in Eutrop. II, 387. *circumferendi* verbo utitur Valerius exemplum Verg. Aen. X, 887 secutus.

351. *poenam de corpore poscens*, sc. ut cadaver insepultum proiciatur.

352. Exoritur pugna acerrima de corpore Canthi interfecti, ut apud Homerum de corpore Patrocli sane multo fusius narrata; cfr. etiam Stat. Theb. IX, 133 seqq.

354. De *Aeolia* ventorum sede res nota, vid. ad I, 576; pugna virorum comparatur cum pugna ventorum inter se certantium de dominatu maris et nubium; secutus est poeta Hom. Il. XVI, 765 seqq.; Verg. Aen. II, 416; X, 356 seqq.; Burmann locum non recte intellexit.

355. *quemque sequatur ille dies* i. e. qui ventus illo die, quo cer-

Digitized by Google

pugna nec arrepto velli de corpore possunt.
ut bovis exuvias multo qui frangit olivo
dat famulis, tendunt illi tractuque vicissim
taurea terga domant, pingui fluit unguine tellus:
talis utrimque labos, raptataque limite in arto
membra viri miseranda meant. hi tendere contra,
hi contra, alternaeque virum non cedere dextrae.
hinc medium Telamon Canthum rapit, hinc tenet ardens
colla viri et molles galeae Gesander habenas,
insonuit quae lapsa solo dextramque fefellit.
ille iterum in clipei septemplicis improbus orbem
arietat et Canthum sequitur Canthumque reposcit,
quem manus a tergo socium rapit atque receptum
virginis Euryales curru locat. advolat ipsa
ac simul Haemonidae, Gesandrumque omnis in unum
it manus. ille novas acies et virginis arma
ut videt, 'has etiam contra bellabimus?' inquit;

---

tant, dominationem obtenturus sit; eandem sententiam legimus apud Luc. V, 602 seq.

356. *obnixa — haeret pugna*; cfr. Verg. Aen. X, 359 *stant obnixa omnia contra*; *haeret* 'ist zum Stehen gekommen', sic dixit Luc. VII, 547 *constitit hic bellum fortunaque Caesaris haesit*; II, 487 *hoc limite bellum haereat.*

358. Corpus Canthi socii huc, hostes illuc manibus trahunt, ut servi corium bovis eis emolliendum datum. Expressit Valerius locum Hom. Il. XVII, 389 seqq, ubi eadem comparatione poeta Graecus in descriptione certaminis de Patrocli corpore exorti utitur.

362. *membra — meant* dictum videtur pro eo quod est *trahuntur.* Quamquam non caret haec explicatio dubitatione, tamen etiam minus placet, quod coniecit Meyncke mus. Rhen. 22, 372 *madent* aut *ument* Bury Hermathen. VIII, 412.

366. Rupto loro cadit galea in terram; cfr. Hom. IIII, 375.

insonuit — solo, cfr. ad II, 91.

367. *in clipei — orbem arietat*; cfr. Verg. Aen. XI, 890 *arietat in portas.*

370. *Euryale*, regina Amazonum; vid. ad V, 612; currus reginae tribuitur, ut Penthesileae apud Verg. Aen. XI, 661.

Digitized by Google

'heu pudor!' inde Lycen ferit ad confine papillae,
inde Thoen, qua pelta vacat; iamque ibat in Harpen
vixdum prima levi ducentem cornua nervo,
et labentis equi tendentem frena Menippen:
cum regina gravem nodis auroque securem
congeminans partem capitis galeaeque ferinae
dissipat. hinc pariter telorum immanis in unum
it globus; ille diu coniectis sufficit hastis,
quin gravior motuque carens exterruit Idam.

---

374. Nomina Amazonum *Lyces Thoes Harpes* ipse Valerius finxit celeritatis notionem exprimens. Harpen Africae virginem bellicosam invenimus apud Sil. II, 117.

375. *qua pelta vacat* nove dixit Valerius nec feliciter; nam non pelta ipsa vacat, sed corpus tegmine peltae.

376. *ducentem cornua*. i. e. adducentem attrahentem, arcum tendentem; sic Verg. Aen. IX, 623 *diversaque bracchia* (arcus) *ducens* et XI, 859 *cornuque infensa tetendit et duxit longe* e. q. s.; *adducta cornua* dixit Ov. artis I, 231; cfr. omnino Hom. Il. IV, 122 seq.; Stat. Theb. IX, 865 seq.

377. *inlabentis* Vat., *et labentis* Heinsius; *enhippen* Vat., *Menippen* Balbus; hoc loco *tendentem* scriptum est pro *adducentem, attrahentem*, cfr. Ov. am. III, 2, 72 *tende precor valida lora sinistra manu*; met. XV, 520 *retro lentas tendo resupinus habenas*; Stat. Theb. XI, 452 *tendunt frena manu*; adducendis autem frenis Menippe equum iam iamque labentem retinere conatur.

378. *gravem nodis auroque securem*; cfr. Verg. Aen. VIII, 220 *nodisque gravatum robur*; *nodis* autem *auroque* nota figura dictum pro nodis aureis.

379. *securem congeminans* i. e. ictus securi illatos; cfr. Verg. Aen. XI, 696; Sil. XIII, 368; Iuv. VIII, 268; *galeam ferinam* accuratius descripsit Verg. Aen. XI, 680 seq.

380. *dissipat* i. e. disicit, frangit; cfr. Il. Lat. 452; Val. VII, 626; Luc. III, 473 *totos cum sanguine dissipat artus*; Sil. I, 402. *hic* Vat., *hinc* Thilo in annot., sed fortasse *hic* servandum; cfr. Verg. Aen. I, 728; II, 122; 199; 386; 533; 699; 735; al.

381. *sufficit hastis*, sustinet hastas; cfr. VII, 623; Verg. Aen. IX, 810; Ov. tr. III, 2, 13; ex Pont. II, 1, 64; Luc. VII, 368; Sil. IV, 536.

382. Huius versus sententia propter corruptelam obscura: leguntur

Digitized by Google

tunc ruit ut montis latus aut ut machina muri,
quae scopulis trabibusque diu confectaque flammis
procubuit tandem atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempusque ratus iamque et sua posci
proelia, falcatos infert Ariasmenus axes
saevaque diffundit socium iuga protinus omnes
Graiugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.

---

in Vat. haec: *quin et iam gravior nutuque carens* e. q. s. Secutus sum Schenkelii coniecturam, quae si vera est, poeta dixit, Gesandrum, quamquam telis iam esset gravatus, ut vix se movere posset, tamen mole sua ipsa exterruisse Idam, qui inter fortissimos Argonautarum numerabatur, vid. III, 471; IV, 224; VII, 574. Minime vero mirum, immo paene necessarium erat, unum saltem Argonautarum hoc loco commemorari, cum supra v. 371 poeta dixisset impetum fecisse Haemonidas, inter quos nominatim Idas v. 342 commemoratus erat.

384. *scopulis trabibusque — confecta* i. e. lapidibus telisque e tormentis missis; *scopulus* pro ingenti lapide legitur etiam Verg. Aen. XII, 531; Sil. V, 301; XIII, 233; Prud. perist. 7, 75; similiter *mons* Verg. georg. III, 254; *pars montis* Aen. X, 128.

385. *tamen* Vat., *tandem* cod. Monac. a man. sec.; *protulit* Vat., *propulit* cod. Monac., i. e. sternit, cfr. Sen. Herc. Oet. 162 *muros Oechaliae corpore propulit*; solita superlatione loquitur Valerius, cum propugnaculo, quam machinam muri dixit, ruente magna pars murorum, sed nondum tota urbs sternitur; res ipsa notissima, cfr. Sil. I, 362 seqq.; Stat. Theb. IX, 554 seqq.

386. *sua posci proelia*; cfr. I, 543.

387. *Ariasmenus*, vid. supra v. 103 seqq.

388. *diffundit* sc. per campum.

389. *omnes rapturus ab agmine Colchos*; verba obscure dicta: *agmen* hoc loco solam moventis notionem habere videtur, non indicare rem ipsam, quae moveatur, ut Ennius dixit *leni agmine* flumen fluere in libro quinto ann. (124 B.) et eum secuti Lucretius Vergiliusque; cfr. etiam Verg. Aen. II, 212 *illi agmine certo Laocoonta petunt*. Illud autem praeter consuetudinem est, quod Valerius ad celerem motum significandum hoc substantivum adhibet; *ab agmine* igitur nostrum est 'in Folge der (raschen) Bewegung'; cfr. III, 36.

Digitized by Google

qualiter exosus Pyrrhae genus aequora rursus
Iuppiter atque omnes fluvium si fundat habenas,
ardua Parnasi lateant iuga, cesserit Othrys
piniger et mersis decrescant rupibus Alpes:
diluvio tali paribusque Ariasmenus urguet
excidiis nullo rapiens discrimine currus.
aegida tum primum virgo spiramque Medusae
ter centum saevis squalentem sustulit hydris,
quam soli vidistis equi. pavor occupat ingens
excussis in terga viris, diramque retorquent
in socios non sponte luem. tunc ensibus uncis
implicat et trepidos lacerat discordia currus.

---

390. *Pyrrhae genus*; Pyrrha sola nominatur, ut ab Hor. c. I 2, 6; Stat. Theb. VIII, 305; Paul. Nol. XXII, 45; Coripp. Ioh., III, 346.

391. De collocatione *si* particulae cfr. ad II, 485; *fundat habenas*, ut Sil. IV, 137; XIII, 172; usitatius est *effundere h.*, cfr. etiam Verg. Aen. X, 838 *fusus — barbam*; Sil. XIV, 570 et Val. III, 315 *fusa — comas*. De translatione, quae inest in substantivo *habenas*, cfr. Verg. Aen. V, 662; XII, 499; sententiam Valerii paullo aliis verbis expresserat Ov. met. I, 280.

393. *mersis decrescant rupibus Alpes*; quo maior fit fluctus, eo minores montes videntur esse, cfr. Auson. Mos. 146 seq. *magnaque surgunt Aequora vicinique timent decrescere montes*; Stat. Theb. IX, 458 (Hippomedon) *miratur crevisse vadum seseque minorem*; contrarium describitur Ov. met. I, 345; Stat. Theb. V, 709.

394. Fortasse non iniuria poeta vituperatur, quod etiam in re comparata usus est voce diluvii; sed tamen diluvium pro magna calamitate dicitur etiam apud Verg. Aen. VII, 228.

396. *spira* est crinis in spiram formatus.

397. *ter centum — hydris* spira squalere nimia superlatione dicitur.

398. Scite poeta solos equos visu aegidis exterritos narrat, non hostes ipsos, qui si deam terribilem pugnae interesse vidissent, statim fuga salutem petissent atque gloria victorum prorsus evanuisset, quae vel sic satis levis est; ceterum de equis aegide turbatis cfr. etiam Luc. VII, 570; Stat. Theb. VI, 501 seqq.

399. *retorquet* Vat., *retorquent* Columbus, sc. equi.

Digitized by Google

Romanas veluti saevissima cum legiones
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
quorum aquilis utrimque micant, eademque parentis
rura colunt, idem lectos ex omnibus agris
miserat infelix non haec ad proelia Thybris:
sic modo concordes externaque fata petentes
Palladii rapuere metus, sic in sua versi
funera concurrunt dominis revocantibus axes.
non tam foeda virum Laurentibus agmina terris
eiecere noti, Libyco nec talis imago
litore, cum fractas involvunt aequora puppes.
hinc biiuges, illinc artus tenduntur eriles,
quos radii, quos temo secat; trahiturque trahitque

---

402 seqq. de bello aliquo civili Valerium cogitare apparet; cum autem bellum inter Caesarem et Pompeium ortum, quod intellexit Burmann, tempore longius remotum sit, bella contra civilia post Neronis mortem orta ipse poeta viderit, equidem Casauboni sententiae accedo, qui teste Burmanno haec bella indicare voluisse Valerium putavit.

403. *pila* nominantur quasi propria Romanorum tela, ut *aquilae* quasi 'propria legionum numina', *reges* autem hoc loco imperatores dicuntur, ut Stat. silv. II, 4, 29; IV, 1, 46; Mart. spect. 2, 3; Claud. de cons. Stil. 115 similiterque *regnum* Claud. de cons. Theod. 164.

404. *quorum* sc. agmina.

409. *revocantibus*, convertere conantibus; sic VII, 260 *fugientem* i. e. fugam parantem et 399 *dextrae tenenti* i. e. retinere conanti.

411. *imago* i. e. facies, adspectus, ut infra 659; Verg. Aen. II, 369; Ov. her. VII, 181; XI, 5; trist. I. 11, 23; Sil. XIV, 617; XVI, 70.

413. *biiuges*: bini equi iuncti, ut Verg. Aen. X, 587; 595; Sen. Phaedr. 1101; sic etiam *iugales* dicuntur Verg. Aen. VII, 280.

arcus Vat., *artus* cod. Monac. a man. sec.

tenduntur i. e. sternuntur, cfr. ad IV, 320 et Ov. her. XIV, 10 *tendat in ora faces*; non recte verbum interpretatus est Wagner 'vires intendunt' neque opus est mutatione.

414. *frena secant* Vat.; *frena* Caussin putat secantibus laminis instructa fuisse, quod vix probari poterit, cum antea radii nominati sint; etiam hoc loco exspectamus partem aliquam currus commemorari,

Digitized by Google

currus caede madens atroque in pulvere regum
viscera nunc aliis, aliis nunc curribus haerent.
† haut usquam Colchorum animi: neque in peste revinctos †
tela, set implicitos miseraque in peste revinctos
confodiunt ac forma necis non altera surgit,
quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
non pinna petit, haerentes sed cornibus altis
invenit et caeca constrictos excipit ira.
ipse recollectis audax Ariasmenus armis

---

quare ne *ferra* quidem, quod scripsit Baehrens, verum esse potest. Dum melius quid repertum erit, interim maxime probanda videtur Heinsii coniectura *temo secat*, quam recepi.

trahiturque trahitque; vid. VII, 594; similes formae saepius leguntur, velut Verg. Aen. IV, 438; V, 709; XII, 753; 866; Ov. met. II, 409; VIII. 163; 836; Tib. II, 6, 46 al.

415. *reges* sunt sociorum Persae duces.

417. Versus non solum in fine, sed etiam in initio tam foede corruptus, ut sanari non possit.

419. *forma necis — surgit*, i. e. exsistit, oritur; vide ad V, 39.

420. *Umbro — edaci*, cani venatico ex Umbria, ut Verg. Aen. XII, 753; Umbri maxime sagaces erant in feris investigandis: Gratt. cyneg. 171; Sil. III, 295; Sen. Thyest. 497.

421. *pinnam* recte intellegit Wagner dolum illum, quam formidinem dictam esse tradidit Sen. de ira II, 12: — *cum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat et in insidias agat: ab ipso effectu dicta formido*; cfr. praeterea Nemes. cyneg. 303 seqq.; tum Verg. georg. III, 372; Aen. XII, 750; Ov. rem. 203; met. XV, 475; fast. V, 173; Luc. IV, 437; Sen. Phaedr. 46 seqq.; Gratt. cyneg. 75.

haerentes cornibus altis cervos non dici implicatos ramis arborum, ut putavit Burmann, ostendunt verba quae sequuntur *caeca constrictos ira*, sed cogitavit poeta, ut vidit Wagner, de cervis libidine aestuantibus, qui cum de feminis decertarent, se cornibus implicarunt; caeca autem ira incitati ipsi in perniciem ruunt.

accipit Vat., *excipit* Pius; est artis venatoriae vocabulum, velut Quintil. instit. orat. IV, 2, 17.

423. Sententia haec videtur esse: arma, quae in curru reposita inexspectato tumultu exorto non iam sede sua iacebant, Ariasmenus ad pugnandum recolligit, sed de curru desiliens secatur falcibus, quae in rotis erant sui aliorumque curruum, partesque dissecti corporis in

Digitized by Google

desilit: illum acies curvae secat undique falcis
partiturque rotis, atque inde furentia raptus
in iuga Circaeos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyae sparsique Cytaei
funera miscebant campis Scythiamque premebant,
cum Iuno Aesonidae, non hanc ad vellera cernens
esse viam nec sic reditus regina parandos,
extremam molitur opem, funesta prius quam
consilia ac saevas aperit rex perfidus iras.
increpat et seris Vulcanum maesta querellis,
cuius flammiferos videt inter regia tauros
pascua Tartaream proflantes pectore noctem.

---

rotis diversis haerebant, inde autem celeri rotarum cursu in iuga vel currum ipsum eiciebantur, denique equi ex campo excesserunt. Non eleganter neque satis clare omnia esse expressa negari non potest, sed tamen nihil mutandum videtur.

426. De *Circaeis agris* vid. ad V, 328.

427. *Cytaei*, cfr. ad V, 466.

429. *Iuno — regina*; cfr. ad I, 503.

430. *reginam* eandem esse, quae antea nominata est Iuno apparet; quod quamquam nonnullis offensioni fuit, tamen videtur recte defendi posse loco, qui est III, 10 *primas coniunx Percosia vestes Quas dabat et picto Clite variaverat auro*; aliquomodo similis est etiam II, 175 *flet Venus et saevis ardens dea planctibus instat.*

433. *increpat et seris Vulcanum — querellis*; *seris*, quia tum proferendae fuerunt, cum Vulcanus hos tauros fabricaretur; de his tauris cfr. schol. Pind. Pyth. 4, 398 τοὺς πυρίπνους ταύρους Ἀντίμαχος ἐν Λύδῃ Ἡφαιστοτεύκτους λέγει; Apoll. III, 229 seqq. — τεχνήεις Ἥφαιστος ἐμήσατο δέσκελα ἔργα καί οἱ χαλκόποδας ταύρους κάμε, χάλκεα δέ σφεων ἦν στόματ', ἐκ δὲ πυρὸς δεινὸν σέλας ἀμπνείεσκον; vid. etiam Ov. her. XII, 41 seqq.; Val. VII, 545; 571 seqq.

434. *inter regia — pascua*; *pascua* hoc loco videntur posita esse pro armentis pascentibus. Haec explicatio mihi magis audaciae poetae accommodata videtur quam ea, qua statuere possimus *inter* dictum esse pro praepositione *in*.

435. *Tartaream proflantes — noctem* i. e. ignem cum atro fumo, cfr. VII, 73; 566; *Tartarea* nox fortasse propterea a poeta dicitur,

Digitized by Google

haec etenim Minyas ne iungere Marte peracto
monstra . . . . . .
. . . . . satis iubeat Cadmei dentibus hydri
Aeetes, timet et varias circumspicit artes.
sola animo Medea subit, mens omnis in una
virgine, nocturnis qua nulla potentior aris.
illius ad fremitus sparsosque per avia sucos
sidera fixa pavent et avi stupet orbita Solis.
mutat agros fluviumque vias, suus alligat ingens
cuncta sopor, recoquit fessos aetate parentes,

---

quia homines hoc fumo vel spiritu afflati occidebantur et ad inferos descendebant.

437. *satis dentibus* tauros iungere Aeetes neque iussit neque omnino iubere poterat. quodque Baehrens scripsit *datis — dentibus*, nimium languet; mihi inter *monstra* et *satis* versus videtur excidisse huius fere sententiae: *monstra* [atque pugnare cum viris nascentibus ex] *satis* e. q. s.

439 — 476 desunt in Vaticano.

441. *fremitus* idem quod *murmur* dicit Ov. met. VII, 251; est sonus vocis humanae non distinctus, ita ut, quamquam audiatur, intellegi tamen nequeat; itaque plerumque de multitudine dicitur, sed diversus est a clamore, cfr. Liv. XLV, 1: *murmur repente populi tota spectacula pervasit — dein fremitus increbruit, postremo clamor plaususque — est exortus.*

442. Carminibus magicis motus siderum tardatur: cfr. Ov. am. II, 1, 24; Verg. Aen. IV, 489; Luc. VI, 461 seqq.

avi stupet orbita Solis, cfr. Ov. met. VII, 208 *currus quoque carmine nostro pallet avi*; her. VI, 85 seq. *illa reluctantem cursu deducere lunam Nititur et tenebris abdere Solis equos.*

443. *mutat agros fluviumque vias*: Tib. I, 2, 43 seq. *hanc ego de caelo ducentem sidera vidi. Fluminis haec rapidi carmine vertit iter*; Ov. met. VII, 199; her. VI, 87 seq.; amor. I, 8, 6; II, 1, 26; med. fac. 40; met. VII, 200; Sen. Med. 762 seqq.; Claud. in Ruf. I, 159 seq.: fluviorum viis mutatis etiam forma agrorum mutatur.

igni vel *ignis* codd., *ingens* ed. Bon.

444. *recolit* cdd., *recoquit* Gronovius; de Aesone recocto Valerium cogitare apertum est sane non sibi constantem, cum in extremo libro primo Aesonem a Pelia ad mortem adactum esse narraverit, cfr. ad I, 814.

Digitized by Google

datque alias sine lege colus. hanc maxima Circe
terrificis mirata modis, hanc advena Phrixus,
quamvis Atracio lunam spumare veneno
sciret et Haemoniis agitari cantibus umbras.
ergo opibus magicis et virginitate tremendam
Iuno duci sociam coniungere quaerit Achivo.
non aliam tauris videt et nascentibus armis
quippe parem, nec quae medio stet in agmine flammae.
[nullum mente nefas, nullos horrescere visus.]
quid si caecus amor saevusque accesserit ignis?
hinc Veneris thalamos semperque recentia sertis

446. *terrificis — modis;* ablativi pendent ab adiectivo *maxima*; *modus* autem dictus videtur pro specie, qua quid apparet, cfr. Curt. VIII, 33 *qui spatium eorum* (sc. mensium) *ad hunc lunae modum dirigunt.*

447. *Atracio — veneno*; Atrax oppidum erat Thessaliae, inde poetarum more Atracius dicitur pro Thessalico. ut *ars Atracia* est magica apud Stat. Theb. I, 105; imprimis luna laborabat arte magica incantata tantopere, ut spumaret veneno spumamque ad terram demitteret, cfr. Val. VII, 330; Ov. am. I, 8, 12; II, 1, 23; Luc. VI, 506; 669; Stat. Theb. I, 106; II, 284; Sil. VIII, 500; Apul. met. I, 3.

448. Etiam umbras saepe legimus cantibus agitari et sollicitari, ut Ov. met. VII. 206; Verg. Aen. IV, 490; Tib. I. 2, 45 seq.; Claud. in Ruf. I, 154.

449. *virginitate tremendam* recte se habet: grande enim opus molitur Iuno, cum virginem non minus pudore virginali quam magica arte gravem et horrendam conetur conciliare viro peregrino.

452. De *quippe* particulae collocatione vid. ad l. 699.

453. Versus valde suspectus, cum non solum constructionem verborum turbet, sed etiam ad sententiam non accommodatus sit. Non enim ferri potest, quod virgo virginitate tremenda paucis versibus post nullum nefas horrescere dicitur, sed etiam tum erat Medea virgo prorsus pudica, casta, ab omni scelere remotissima, cfr. ad V, 330.

455. Narrationem, quae iam sequitur, de Iunone cingulum Veneris magicum petente Valerius expressit ex Hom. Il. XIV, 188; etiam apud Homerum Iuno mendacio usa veram cinguli petendi causam celat. Prorsus aliter Apollonius narrationem instituit, apud

Digitized by Google

tecta petit. visa iamdudum prosilit altis
diva toris volucrumque exercitus omnis Amorum.
ac prior hanc placidis supplex Saturnia dictis
adgreditur veros metuens aperire timores.
'in manibus spes nostra tuis omnisque potestas
nunc' ait; 'hoc etiam magis adnue vera fatenti.
durus ut Argolicis Tirynthius exsulat oris,
mens mihi non eadem Iovis atque adversa voluntas,
nullus honor thalamis flammaeve in nocte priores.
da, precor, artificis blanda adspiramina formae
ornatusque tuos terra caeloque potentes'.
sensit diva dolos iam pridem sponte requirens

---

quem et Iuno et Minerva Venerem adeunt atque veram rationem Iuno aperit, simul petens, ut Venus filium suum iuberet sagittae vulnere Medeam ad amorem Iasonis inflammare III, 1 seqq.; cfr. Ov. ex Ponto III, 3, 80. Neque silentio praetereundum, quod Apollonius hac occasione usus est ad lepidissimam narrationem de Cupidine et Ganymede tesseris ludentibus inserendam.

recentia sertis tecta eleganti brevitate dictum pro tectis ornatis recentibus sertis: cfr. Verg. Aen. IX, 454 seq. *ingens concursus ad ipsa corpora — tepidaque recentem caede locum.*

456. *iamdudum* i. e. statim, ut infra 604; cfr. ad III, 235.

457. Noti sunt Graecorum Ἔρωτες, Cupidines Latinorum poetarum, ut Cat. III, 1; XIII, 12; Hor. c. I, 19, 1; IV, 1, 5; (Sil. XI, 388;) Mart. IX, 11, 9; XI, 13, 6. Apud Valerium totus est exercitus et apud Stat. silv. I, 2, 54 agmen; cfr. Claud. epithal. Hon. 72 seqq., qui discrimen facit inter Cupidinem, filium Veneris, et Amores, filios Nympharum.

462. *Argolicis — exulat oris*; cfr. Verg. georg. III, 225.

463. *adversa voluntas* codd., quod non mutandum videtur coll. Verg. Aen. XII, 647.

465. *artificis blanda adspiramina formae* i. e. formae artificiose confectae, qua adspiratur aliquid blandi, sc. amor; est notus ille κεστὸς ἱμάς Homeri Il. XIV, 214.

467. *sensit diva dolos*: in hac re discessit Valerius ab Homero, apud quem Venus mendacium Iunonis perspicere non videtur. Atque licebat Valerio discedere (fortasse secutus est Verg. Aen. IV, 105 et 128), quoniam Venus etiam perspecto dolo obsecutura est Iunoni, odio

Digitized by Google

Colchida et invisi genus omne exscindere Phoebi.
tum vero optatis potitur; nec passa precari
ulterius dedit acre decus fecundaque monstris
cingula, non pietas quibus aut custodia famae,

---

ducta, quod concepit in Solem eiusque progeniem. Furtivum enim Martis et Veneris amorem Sol Vulcano aperuerat, qui adulterium uxoris cum irrisione et ludibrio ultus est, de quo lepida illa exstat narratio Hom. Od. VIII, 266 seqq.; cfr. Ov. artis II, 573 seqq.; met. IV, 171 seqq.; Anthol. lat. 420 B. Odium Veneris in Solem saepius a poetis et rerum mythologicarum scriptoribus commemoratur, ut Ov. met. XIV, 27; Sen. Phaedr. 124; Hyg. fab. 148; Serv. ad Aen. VI, 14; myth. Vat. 1, 43; II, 121; schol. Stat. Ach. I, 192.

469. *optatis potitur* 'ihr Wunsch geht in Erfüllung': Ov. met. XIV, 136 *optatis potiere tuis*; dicitur ut *voti compotem esse* vel *fieri*.

470. *acre decus* est, quod vim acrem habeat; sic arcus *acres* nominantur apud Verg. Aen. VII, 164; IX, 665.

471. Non satis recte Valerius, cum loqui vellet de vi, quae cingulis inesset, res ipsas cingulis fuisse dicit, quae eis efficiebantur; tum malas tantum artes cingulo tribuit, bonas inesse negat, cum Homerus rectius de vi universa narret, quae cingulo continetur; etiam illud melius, quod Homerus θελκτήρια nominat, quae Valerius *monstra*. Verum ea re deductus est poeta Romanus ad suam descriptionem, quod Medeam fingit virginem castissimam et pudoris plenissimam, quae postea omnem pietatem et pudorem amiserit, quod fieri non potuisset, nisi vi quadam inexsuperabili ad prave agendum detrusa esset; hoc autem ipsum vi cinguli fieri videmus eamque vim ad malam rem deducentem solam menti poetae obversatam esse consentaneum est. Inde etiam explicare licet v. 474, quo aliquid continetur, quod a vi cinguli alienum sit, sed optime ad Iasonem eiusque pericula et metum Medeae et auxilium ab ea latum quadret. Ceterum poetae Romani cingulum Veneris eam formam habuisse animis informarunt, ut collo portaretur atque usque ad pectus decideret, vid. Mart. VI, 13, 5 seq. *ludit* (Iulia) *Acidalio, sed non manus aspera, nodo Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo*; XIV, 206 *collo necte puer meros amores, ceston de Veneris sinu calentem*; tum vid. Christodori ecphr. anthol. Pal. II, 99 seqq. ed. D. ἄλλην δ' εὐπατέρειαν ἴδον χρυσῆν Ἀφροδίτην Γυμνὴν παμφανόωσαν· ἐπὶ στέρνων δὲ θεαίνης Αὐχένος ἐξ ὑπάτοιο χυθεὶς ἐλελίζετο κεστός et v. 288 seqq. καὶ

Digitized by Google

non pudor, at contra levis et festina cupido
adfatusque mali dulcisque labantibus error
et metus et demens alieni cura pericli.
'omne' ait 'imperium natorumque arma meorum
cuncta dedi; quascumque libet nunc concute mentes'.
Cingitur arcanis Saturnia laeta venenis,
atque hinc virgineae venit ad penetralia sedis
Chalciopen imitata sono formaque sororem.
fulsit ab invita lumen procul, et pavor artus
protinus atque ingens Aeetida perculit horror.
'ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus' inquit
'advenisse, soror, nec nostro sola parenti
scis socias iunxisse manus? at cetera muros
turba tenet fruiturque virum caelestibus armis,

τριτάτην θάμβησε πάλιν χρυσῆν Ἀφροδίτην Φάρεϊ κόλπον ἔχουσαν ἐπίσκιον · ἀμφὶ δὲ μαζοῖς Κεστὸν ἕλιξ κεχάλαστο, χάρις δ' ἐνενήχετο κεστῷ; atque cum hac descriptione compara Veneris imaginem simili ornatu insignem apud Mueller - Wies. monum. II, 26, 289. Iam intellegitur, qua ratione Valerio hoc cingulum etiam *monile* nominare licuerit infra v. 668: etenim monile quoque ab collo ad pectus interdum dependebat, cfr. Paul. Nol. XXI, 74 seqq.: *quae* (sorores) *simul adstrictae divinis dotibus ambae Virtutum varias ut viva monilia gemmas Mentibus excultis specioso pectore gestant.* Christodorus igitur non primus fuit, qui κεστόν confudit cum monili, quod putare videtur Klein ann. instit. arch. 1894, 250.

472. *cupido*; ἵμερος apud Hom.

473. *adfatus*; πάρφασις.

475. *natorum arma meorum cuncta dedi*: tanta igitur vis unius illius cinguli est, quanta omnium arcuum Cupidinum.

477. *cingitur — venenis*; venena licet dicere omnes res acri vi praeditas, ut Ov. remed. 351; Verg. georg. II, 465; Aen. I, 688: VII, 354; Hor. ep. II, 1, 207; Sil. III, 580; VII, 453.

480. *numen* Vat., *lumen* Pius; quamquam deam se esse Iuno dissimulabat, tamen lumen divinum ab ea sane invita fulsit, quo Medea pavore afficitur.

485. Saepe hic mos mulierum et senum a poetis commemoratur, ut Hom. Il. III, 150; Hor. c. III, 2, 6 seqq.; Ov. met. VIII, 19; Luc. VII, 370 seqq. al.

Digitized by Google

tu thalamis ignava sedes, tu sola paterna
fixa domo? tales quando tibi cernere reges?'
illa nihil contra; nec enim dea passa manumque
implicat et rapidis mirantem passibus aufert.
ducitur infelix ad moenia summa futuri
nescia virgo mali et falsae commissa sorori,
lilia per vernos lucent velut alba colores
praecipue, quis vita brevis totusque parumper
floret honor fuscis et iam Notus imminet alis.
hanc residens altis Hecate Perseia lucis

---

fruitur — armis i. e. laetatur conspiciendo: Sil. XII, 566; Val. IV, 38; VII, 121; Ov. trist. IV, 8, 28; Claud. in Ruf. I, 235; Auson. Mos. 233; 239.

487. *tales quando tibi cernere reges?* sc. erit, cfr. ad II, 51. Infinitivus saepe pendet a verbo *sum*, cum significat idem quod *licet*, imprimis apud Silium, qua de re cfr. Schmidt de usu infinitivi apud Luc., Val. Flacc., Silium p. 12.

491. *falsae — sorori*, quae re vera soror non est; sic *taurus f.* VIII, 266; *cervus* Ov. met. III, 250 et VII, 360. De participio *commissa* cfr. ad III, 594.

492. *velut* quarto vocabulo postponitur; cfr. ad V, 163.

verni colores nota figura dicuntur pro coloribus verno tempore; *per vernos lucent — colores*: hoc scribitur similiter ut *per auctoritatem decipere, per insidias comprehendere, urbem per tyrannidem occupare* al.

493. *quis vita brevis*: *breve lilium* apud Hor. c. I, 36, 16.

494. *fuscis et iam Notus imminet alis*: nonnulli haec explicant de nimio calore austri, quo cito flores pereunt; cfr. Stat. silv. III, 3, 129 *pubentesque rosae primos moriuntur ad austros*; Verg. ecl. II, 58; Plaut. Pseud. 36. Sed *fuscus* adiectivum videtur eam vim Noti significare, qua tempestates excitat floresque frangit; Africo fuscas alas tribuit Sil. XII, 617.

495. *Hecate Perseia*; *Perseis* nominatur Ov. met. VII, 74; Sen. Med. 814; Stat. Theb. IV, 481; Apoll. III, 467; 478; 1034; IV, 1020; falso autem nonnulli ideo eam ita nominatam putant, quia esset filia Perses, soror Circes et Aeetae ex eadem matre natorum; verum est filia Asteriae, pater est *Persaeus* hymn. homer. V, 24, vel, ut plerumque nominatur, *Perses*, unus ex Titanibus; vid. Cic., de nat.

Digitized by Google

flebat et has imo referebat pectore voces:
'deseris heu nostrum nemus aequalesque catervas,
a misera, ut Graias haut sponte vageris ad urbes!
non invisa tamen; neque te, mea cura, relinquam.
magna fugae monumenta dabis, spernere nec usquam
mendaci captiva viro, meque ille magistram
sentiet et raptu famulae doluisse pudendo'.
dixerat. ast illae murorum extrema capessunt
defixaeque virum lituumque fragoribus horrent,
quales instanti nimborum frigore maestae
succedunt ramis haerentque pavore volucres.
Iamque Getae, iamque omnis Hiber Drancaeaque densa
strage cadit legio et latis prosternitur arvis.
semineces duplicesque inter sua tela suosque

---

deor. III, 46; Hesiod. Theog. 409; Apollod. I, 2, 4; schol. Apoll. III, 1034. Sane alia alii tradiderant, cfr. Diod. IV, 45; schol. Apoll. III, 200; 242; Latona mater vocatur poet. lat. min. I, 12, 32 B., sed a nullo Perse mater nominatur.

496. *referebat pectore voces*: Verg. Aen. V, 409.

497. *aequalesque catervas*: VII, 181; Verg. Aen. X, 194.

498. *haud sponte*, sc. coacta coniuncta trium dearum opera.

499. *iniussa* Vat., *invisa* cod. Monac.

mea cura: cfr. Verg. ecl. I, 57 *raucae, tua cura, palumbes*; Hor. c. II, 8, 8 *iuvenumque prodis publica cura* et sic saepe pro homine, qui curae est vel re, imprimis apud poetas lyricos.

505. *nimborum frigore* non videtur mutandum: sunt tempestates cum frigore coniunctae.

507. *Getas* antea Valerius inter socios Persae non nominavit, sed Iaxartes socius Aeetae huius gentis hostis apparet V, 600; *Hiberiae* turmas commemoravit poeta VI, 120 et *Drancaeam* phalangem VI, 106.

509. *duplices* Burm. explicat vulneribus incurvatos, cuius notionis nonnulla duplicandi verbi exempla reperiuntur, velut Verg. Aen. XI, 645; Ov. met. VI, 293.

509 seq respicitur ad ea, quae supra narrata sunt inde a versu 398 seqq.

Digitized by Google

inter equos saevam misero luctamine versant
congeriem et longis campos singultibus implent.
victores patrium contra paeana Geloni
congeminant; eadem redeunt mox gaudia victis,
qua deus et melior belli respexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta,
dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.
Absyrtus clipei radiis curruque coruscus
Solis avi (cuius vibrantem comminus hastam

---

510. Qui in saeva congerie corporum nondum animam efflarunt, semineces frustra luctantur se ex illa congerie expedire.

512. *victores — contra — Geloni*; hoc loco rem satis obscure Valerius expressit; nam primo aspectu Geloni hostes Getarum, socii Colchorum videntur esse neque supra in exercitu Persae recensentur; at tamen rem contra se habere, apparet ex eis quae sequuntur, quibus Absyrtum superiorem evasisse narratur pugnantem nempe contra eos, qui modo victores erant, Gelonos. Quare coniunctio *contra* non significat 'in contraria parte pugnantium', sed, ut in hac parte campi socii Persae vincuntur, contra alii in alia campi parte vincunt.

paeana congeminant: iterum iterumque canunt, sic II, 200 *vocem c.*, ubi vide quae dicta sunt.

514. Versus, qui videtur expressus esse ex Ov. met. I, 21, valde suspectus; non exspectatur *qua deus — respexit*, sed *simulatque* neque facile *imago belli* explicari poterit, ubi de vero bello agatur neque imago species vel adspectus intellegi potest, ut supra 411; paullo aliter se habet *belli civilis imago* apud Claud. in Ruf. II, 236.

515. *quis tales obitus dederit*, i. e. effecerit, significatione non admodum rara etiam dativo non addito, ut Verg. georg. III, 246; Aen. II, 482; VIII, 570; XII, 383; 575; Luc. I, 531; Sil. IV, 216; Lucr. I, 288; V, 347; Anthol. lat. 176, 99 B.; Man. V, 494; Coripp. Ioh. II, 332. Cfr. praeterea symb. mea Plaut. p. 215 et Thielmann 'das Verbum dare' p. 62 seqq.

516. *veri* Vat., *feri* cod. Carr.

518. *vibrantem — hastam*: cfr. II, 67 *quo sidere vibret Ensis*.
hastam cernere nec galeam — potuere i. e. et galeam non potuere, cfr. ad III, 5.

Digitized by Google

cernere nec galeam gentes potuere minantem,
sed trepidae redeunt et verso vulnera tergo
accipiunt magnisque fugam clamoribus augent),
proterit impulsu gravis agmina corporaque actis
sternit equis gemitusque premit spirantis acervi.
nec levior comitatur Aron, horrentia cuius
discolor arma super squalentesque aere lacertos
barbarica chlamys ardet acu tremefactaque vento
implet equum, qualis roseis it Lucifer alis,
quem Venus illustri gaudet producere caelo.
at non inde procul Rambelus et acer Otaxes
dispulerant Colchos pariterque inglorius Armes,
fraude nova stabula et furtis adsuetus inultis
depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
hispidus inque dei latuit terrore Lycaei.
hac tunc attonitos facie defixerat hostes.

---

519. *galeam minantem:* cfr. Hom. Il. III, 337 δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν et similem locum VI, 470; Val. VII, 577; Stat. Theb. IV, 204.

520. *redeunt*: in fugam se vertunt; cfr. Stat. Theb. X, 199 *pulsique in terga redimus*; Coripp. Ioh. IV, 855.

522. *proterit agmina*: Verg. Aen. XII, 329; *atris* Vat., *actis* Heinsius; nam atros equos dici pulvere sordidos, ut Verg. Aen. XII, 450 *agmen*, hoc quidem loco non probabile videtur.

524. *Aron:* V, 587 seqq.

526. *ardet acu* i. e. acu splendide picta est; de ardendi verbo cfr. ad I, 346; 400; 427.

tremefactaque vento: Ov. met. II, 875; Lucr. IV, 75.

527. *implet equum* i. e. totum tegit, ut Ov. met. I, 723; X, 419; Luc. IX, 60.

Luciferum, stellam Veneris, ipsa dea in caelo *producere* dicitur; *roseae alae* ei tribuuntur, quod sub splendore aurorae oritur; de comparatione cfr. Verg. Aen. VIII, 589 seq.

531. *fraude nova* sc. Panis specie indutus cornibus et villosa pelle adsumptis.

532. *depopulare greges* i. e. praedam capere ex gregibus, cfr. Sid. c. IX, 122 *hospitales raptor* (Paris) *depopulatus est Amyclas.*

533. Non insolitum est *terrorem* dicere pro re terroris efficiente.

Digitized by Google

quem simul ignota formidine bella moventem
vidit Aron, 'pavidos te' inquit 'nunc rere magistros
et stolidum petiisse pecus. non pascua nec bos
hic tibi nocturnus, mitte haec simulacraque Panis,
neve deum mihi finge; deus quoque consere dextram'.
sic ait intentaque adiutum missile planta
dirigit et lapsis patuerunt vulnera villis.
nec minus Aeolii proles Aeetia Phrixi
fertur et ipsa furens ac se modo laeta Cytaeis
agminibus, modo cognatis ostentat Achivis.
atque hos in medio duri discrimine belli
laudibus inque ipsis gaudens ubi vidit Iason,
'macte' ait, 'o nostrum genus et iam certa propago

sed tamen audacius scripsit Valerius latere in terrore Armem i. e. in figura terroris plena.

535. *agnota* Vat., *ignota* ed. Iunt., i. e. inusitata, sic Quint. instit. orat. VII, 3, 13 verba minus usitata nominat *ignotiora*.

536. *magistros* sc. pecorum, ut VII, 400; Verg. georg. III, 445; Stat. Ach. II, 34; Theb. IX, 190; Gratt. cyneg. 328; 436; Coripp. Ioh. V, 528 al.

537. *nexos* Vat. *nec bos* ed. Bon. et Ald.

538. *nocturnis* Vat., *nocturnus* ed. Ald.; *simulacra* Vat., *simulacraque* ed. Bon. et Ald.; de *que* particulae, quae *mitte* imperativo adnectenda fuit, traiectione cfr. ad I, 49.

539. *dextra* Vat., *dextram* ed. Bon., cfr. Verg. Aen. IX, 741; *conseruntque dextras* scripsit Statius silv. I, 6, 60.

540. *intenta — planta* idem quod obnixo pede.

542. *proles Aeetia Phrixi*; ex tribus Phrixi filiis duo commemorantur, qui pugnae interfuerint: Argus v. 553 et Melas v. 196 seqq.

545. *duri discrimine belli*; cfr. Luc. V, 723.

546. *laudibus in ipsis* i. e. in rebus laudabilibus gerendis; sic *laus* saepius invenitur dictum, ut Verg. Aen. I, 461; VIII, 273; IX, 252; X, 282; Ov. ex Pont. IV, 8, 45; 87; consol. ad Liv. 44; Stat. Ach. I, 202; Sil. I, 245.

547. *et iam certa propago Aeoliae necopina domus:* iam video vos certam Aeoliae domus propaginem quamquam minime expectatam; *necopinus* singulari notione hoc loco scriptum est, quasi sit et non opinus; aliquomodo simile est quod legitur bell. Alex. c. 63 *neque opinantibus omnibus — impetum fecerunt.*

Digitized by Google

Aeoliae necopina domus; sat magna laborum
dona fero, satis hoc visu quaecumque rependo'.
dixit et in Sueten magnique in fata Ceramni
emicuit clipeumque rotans hunc poplite caeso
deicit, illum aperit lato per pectus hiatu.
Argus utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
et Zacorum et Phalcen, peditem pedes haurit Amastrin.
sanguinis ille globos effusaque viscera gestat

549. *satis hoc visu quaecumque rependo* i. e. consolor quaecumque hoc visu ea rependens, quod accuratius expressit Verg. Aen. I, 238 seq.; *quaecumque* sc. facta sunt vel fient, cfr. V, 490; VII, 480.

550. *in fata Ceramni emicuit* Valerius, dum studet inusitate loqui, prorsus ineleganter dixit pro eo quod est *impetum fecit in Ceramnum*.

551. *clipeum rotans* Iason dicitur, qui cum duobus adversariis pugnans modo huc modo illuc clipeum obiciebat ad corpus tegendum.

552. *deicit*; vide supra ad v. 194; *illum aperit — per pectus*: et hoc quoque inusitate dictum, cum plerumque obiectum addatur ea pars corporis, quae vulnere aperitur: Verg. Aen. X, 314; XI, 666; Ov. her. VIII, 51; Luc. VI, 555; 722; Iuv. IX, 98; *recludere pectus* eadem sententia scripserunt Hor. epod. XVII, 71; Verg. Aen. X, 601; Stat. Theb. V, 252; *reserare* trag. Oct. 367.

Ceterum miro errore interpretes subiectum verborum *emicuit deicit aperit* Argum fecerunt pro Iasone; recte recentiores editores Philippum Wagnerum secuti post ablativum *hiatu* punctum posuerunt.

553. *auro* Vat., *arvo* ed. Iunt.; *ingenti arvo* nota consuetudine poetarum epicorum dictum, qui magnitudinem corporum heroum metiuntur spatio, quod mortui tegant: sic iam Homerus, sed tamen moderatius Il. XVI, 776 et XVIII, 26; nam XXI, 407, ubi Mars cadendo ἑπτὰ πέλεθρα ἐπισχεῖν dicitur, dei ingentem corporis magnitudinem indicare voluit. Cfr. praeterea Verg. Aen. IX, 589; Ov. met. VIII, 422; Sil. IV, 293; et Val. ipsius IV, 320.

554. De *Phalce* vid. ad v. 245.

haurit Amastrim; de hauriendi verbo idem valet, quod supra de aperiendi dictum est; vid. Verg. Aen. X, 314; Lucr. V, 1322; Ov. met. V, 126; VIII, 371; 439; IX, 411; Sil. I, 392; V, 525; Sen. Agam. 890.

555. *sanguinis ille globos*; cfr. Verg. Aen. XI, 668 *sanguinis ille vomens rivos*; Ov. met. XII, 238 *sanguinis ille globos — vomens*; hac

Digitized by Google

barbarus et cassa frendens sublabitur ira.
dat Calais Barisanta neci semperque propinquas
Rhipea venali comitantem sanguine pugnas.
centum lecta boum bellator corpora, centum
pactus equos; his ille animam lucemque rependit
crudelis; tandem dulces iam cassus in auras
respicit ac nulla caelum reparabile gaza.
labitur intortos per tempora caerula crines
tunc quoque materna velatus harundine Peucon.
at genetrix imis pariter Maeotis ab antris
implevit plangore lacus natumque vocavit,
iam non per ripas, iam non per curva volantem

---

vomendi verbi notione aegre caremus neque satis intellegitur, cur *barbarum* hunc potissimum hostem poeta nominaverit.

effusaque viscera gestat: Hom. Il. XX, 418.

558. *Rhipeus* mercennarius miles solebat proficisci in bella, quae propinquis suae patriae locis gerebantur.

comitantem — pugnas praeter consuetudinem scripsit Valerius pro eo quod est *sequi pugnas*; imitatus est Statius Theb. VIII, 591.

561. *crudelis* cur Rhipeus nominetur, non satis liquet: stultus potius nominandus erat aut miser aut vesanus.

cassus fere idem hoc loco est ac moribundus; non sic simpliciter scribi solet, sed addita notione, qua quis sit cassus: *lumine c.* Verg. Aen. II, 85; Stat. Theb. II, 15; *aethere* Aen. XI, 104; *luminis* Cic. Arat. 369; *luce* poet. lat. min. L, 25, 5 B.

564. *materna* velavit *harundine* (cfr. Verg. Aen. V, 72) *Peucon crines* ut pote filius nymphae marinae; Peuce nympha commemoratur VIII, 256, sed ea vix mater huius viri recte intellegitur, etiamsi statuimus *Maeotis* genetivum esse et indicari antra paludis Maeotidis; de hoc genetivo vid. Krueg. gramm. lat. I, § 64 annot. 1. Ipsius potius nymphae nomen *Maeotis* putandum est, ductum a palude Maeotide.

565. *pariter* obscure dictum; Burm. 'pariter implevit lacus et vocavit gnatum', sed hoc unum est, cum vocando nato lacus plangore impleverit; fortasse dicere voluit poeta matrem pariter omnes lacuum regiones plangore implevisse aut eodem tempore eam plorasse, quo filius occiderit.

Digitized by Google

stagna nec in medio truncantem marmore cervos.
Eurytus Exomatas agit aequore. Nestoris hastae
immoritur primaevus Helix, nec reddita caro
nutrimenta patri; brevibus ereptus in annis.
at Latagum Zetemque Daraps, illum exigit hasta,
hic fugit, ingentem subiti cum sanguinis undam
vidit et extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris residens Medea paternis
singula dum magni lustrat certamina belli
atque hos ipsa procul densa in caligine reges

---

568. *in medio — marmore* i. e. in mari congelato, cfr. ad I, 313; mare autem gelatum esse intellegitur ex commemoratione cervorum; sic etiam verba quae praecedunt explicari posse videntur.

570. De sententia cfr. Hom. Il. IV, 477 seqq. et XVII, 301 seqq.

571. *brevibūs*, vid. ad II, 225.

572. *Darapem* vulnere aegrum non ipsum in bellum profectum esse, sed pro se Datim misisse cum poeta v. 66 narraverit, Wagner huius nomen reponere vult, quod metro non admittitur. Nisi omnino Valerius rem oblitus est, inter eos locos habendus hic erit, quos immatura morte prohibitus non perpolivit.

Latagus est inter socios Colchorum V, 602 (584); *Zetes* dummodo nomen recte tradatur in Vaticano, non potest esse Argonauta, frater Calais, nam eum tam ignavum non descripturum fuisse poetam certum, sed est Colchus quidam. Ceterum accusativi non habent, unde satis bene pendeant, neque multum proficimus, si Loehbachium secuti versus 572—74 post 554 ponimus.

exigit sc. e vita, vide ad III, 461.

574. *extremo lucentia pectora ferro.* Ne hoc quidem felici audacia dictum: notio enim lucendi minus apte a ferro ad pectora transfertur, videtur autem poeta exprimere voluisse, cuspidem hastae per corpus Zetis a tergo penitus adactae adverso pectore rursus extitisse una cum sanguinis unda ex vulnere prorumpente.

575. Sine dubio in eis, quae sequuntur, Valerio obversata est nota illa τειχοσκοπία Homerica Il. III, 161 seqq.

576. *certamina belli*: Lucr. I, 475; Verg. Aen. X, 146.

577. *densa in caligine*, pulveris sine dubio, vid. Aen. XII, 466 coll. 463.

Digitized by Google

agnoscit quaeritque alios Iunone magistra,
conspicit Aesonium longe caput, ac simul acres
huc oculos sensusque refert animumque faventem,
nunc quo se raperet, nunc quo diversus abiret,
ante videns, quotque unus equos, quot funderet arma,
errantesque viros quam densis sisteret hastis.
quaque iterum tacito sparsit vaga lumina vultu
aut fratris quaerens aut pacti coniugis arma,
saevus ibi miserae solusque occurrit Iason.
tunc his germanam adgreditur, ceu nescia, dictis:
'quis, precor, hic, toto iamdudum fervere campo
quem tueor quemque ipsa vides? nam te quoque tali
attonitam virtute reor'. contra aspera Iuno
reddit agens stimulis ac diris fraudibus urguet.
'ipsum' ait 'Aesoniden cernis, soror, aequore tanto
debita cognati repetit qui vellera Phrixi,
nec nunc laude prior generis, nec sanguine quisquam.

---

581. *quo diversus abiret*: IV, 387.

582. *ante videns* i. e. ante animo augurans, quam ipse Iason id faceret.

quot funderet arma, i. e. viros armatos, vid. ad II, 312.

583. *orantesque* Vat., *errantesque* Sabellicus; *densis hastis* i. e. crebris hastae ictibus; similiter usurpatum substantivum *securis* legitur, de qua re cfr. ad VI, 379.

584. *sparsit — lumina* i. e. in varias partes conicit; cfr. Stat. Theb. V, 546 *sparsoque per omnia visu lustrat humum quaerens*; vid. etiam ad III, 603.

586. *saevus — Iason* sc. pugnando fortiter; *misera* autem Medea nominatur propter miserias, quae ei Iasonis amore captae imminent.

590. *asperam* Iunonem vereor ne Valerius non satis apte transtulerit a Verg. Aen. I, 279: nam dea et favet Iasoni neque irata aut iniqua est Medeae.

contra — reddit i. e. respondet; legitur etiam apud Verg., ut Aen. X, 530, sed obiecto addito, quod Valerius praeter consuetudinem omisit.

594. Neminem nobiliore loco ortum neque cognatione propius Medeae ipsique iunctum esse quam Iasonem Chalciope falsa dicit.

Digitized by Google

aspicis, ut Minyas inter proceresque Cytaeos
emicet effulgens quantisque insultet acervis;
et iam vela dabit, iam litora nostra relinquet,
Thessaliae felicis opes dilectaque Phrixo
rura petens. eat atque utinam superetque labores!'
tantum effata magis campis intendere suadet,
dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas.
At simul hanc dictis, illum dea Marte secundo
impulit atque novas egit sub pectora vires.
ora sub excelso iamdudum vertice coni
saeva micant cursuque ardescit nec tibi, Perse,
nec tibi, virgo, iubae laetabile sidus Achivae,
acer ut autumni canis iratoque vocati
ab Iove fatales ad regna iniusta cometae.
nec sua Crethiden latuit dea vimque recentem
sentit agi membris ac se super agmina tollit,
quantus ubi ipse gelu magnoque incanuit imbre

599. *eat atque utinam* positum pro eo quod est *atque utinam eat*, cfr. Haupt. obs. critic. p. 47.

600. *intendere* sc. animum; cfr. Prud. cathem. II, 57 *intende nostris sensibus*; Plin. min. ep. VIII, 19 *nunc intende libro, quem cum hac epistola accipies.*

601. *percurrere* sc. oculis, vide ad III, 461.

604. *iamdudum* idem quod statim, vid. ad III, 235.

606. *iubae sidus* neque usitate neque plane dictum; Burmann putat sidus esse cristam sive conum galeae, quod nullo modo credi potest, Wagner explicat *sidus iubae non laetabile* significare cristam tristia portendere. Equidem ardescendi verbo commoveor, ut sidus putem translata notione ut saepius splendidam pulchritudinem significare: in currendo longe splendet iuba nutans. Sic dicit vellus aureum poeta pellem s i d e r e i s villis comantem VIII, 122 et Claud. in Ruf. I, 351 *stat cassis utrique s i d e r e i s hirsuta iubis.*

607. De comparatione cfr. Hom. Il. V, 5; XXII, 26 seqq. imprimisque Verg. Aen. X, 270 seqq.; vide etiam Apollon. III, 957 seq.

608. Cfr. Luc. I, 529 *viderunt — terris mutantem regna cometen*; Tac. ann. XIV, 22; Suet. Ner. 36.

609. *nec sua Crethiden latuit dea* i. e. quasi eius propria ideoque ei favens; cfr. Ov. trist. III, 5, 4 *nave mea vento forsan eunte suo.*

Digitized by Google

Caucasus et summas abiit hibernus in arctos.
tunc vero, stabulis qualis leo saevit opimis,
luxurians spargitque fames mutatque cruores,
sic neque parte ferox nec caede moratur in una
turbidus inque omnes pariter furit ac modo saevo
ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnae.
tunc et terrificis undantem crinibus Hebrum
et Geticum Priona ferit; caput eripit Auchi
bracchiaque et vastis volvendum mittit harenis.
At genitus Iove complerat sua fata Colaxes;
iamque pater maesto contristat sidera vultu

611. Cum altitudine Caucasi comparatur Iasonis ingens corporis moles, ut apud Verg. Aen. XII, 701 seqq. Aeneas cum Athone Eryce Apennino; paullo simplicius dicitur Hector apud Homerum Il. XIII, 754 ὥρμήθη ὄρει νιφόεντι ἐοικώς.

imbrem hoc loco de nivibus dici apparet, alter locus, qui sit prorsus certus, non videtur exstare, sed cfr. Pseudo-Claud. laud. Herc. 67. De grandine dixerunt Lucr. VI, 107; Drac. de deo I, 510.

612. *summas abiit hibernus in arctos*, quasi crescit mons nivibus contectus, cfr. Flor. I, 38, 11 (III, 3, 11) — *per hiemem, quae altius Alpes levat.*

613. Auctore Homero haec comparatio viri fortis cum leone poetis epicis usitata est, velut Il. III, 23; XII, 41; 299; Od. XXII, 402; Verg. Aen. IX, 339; 792; X, 454; 723 seqq.; XII, 4; Stat. Theb. II, 675 seqq.

stabula opima sine dubio sunt stabula opimis bovibus referta.

614. *luxurians fames*; cfr. Stat. l. l. *ubi sanguine multo Luxuriata fames. famem* Vat., *fames* scripsi coll. loco Statii; fame incitatur leo, ut longe lateque stabulum populetur; *spargere cruores* similiter dictum ut *spargere voces* III, 603; *lumina* VI, 584; de *mutandi* verbo cfr. Stat. Theb. IX, 850 *mutabat turmas*; Sil. V, 286 *mutat successu saevior hostem*; VI, 238 *mutat hians hostem.*

617. *rarescunt pugnae*; num pugna dicta pro pugnatore? an pugnae rarescunt, quod hostium numerus minuitur?

619. *Auchi*; vid. v. 60.

620. *volvendum mittit harenis*; cfr. Verg. Aen. X, 555 seq.

621. De *Colaxe* vid. supra V, 48 seqq.; de querelis Iovis exitum filii miserantis cfr. Hom. Il. XVI, 431 seqq.

622. *contristat sidera*; Verg. Aen. X, 275; Stat. Theb. VII, 46;

Digitized by Google

talibus aegra movens nequiquam pectora curis:
'ei mihi, si durae natum subducere sorti
moliar atque meis ausim confidere regnis!
frater adhuc Amyci maeret nece cunctaque divum
turba frement, quorum nati cecidere cadentque.
quin habeat sua quemque dies cunctisque negabo,
quae mihi'. supremos misero sic fatus honores
congerit atque animis moriturum ingentibus implet.
ille volat campis immensaque funera miscet
per cuneos, velut hiberno proruptus ab arcu
imber agens scopulos nemorumque operumque ruinas,
donec ab ingenti bacchatus vertice montis
frangitur inque novum paulatim deficit amnem.
talis in extremo proles Iovis emicat aevo,
et nunc magnanimos Hypetaona Gessithoumque,
nunc Arinen Olbumque necat; iam saucius Aprem
et desertus equo Thydrum pedes excipit hasta
Phasiaden, pecoris custos de more paterni

---

de sententia cfr. Ov. met. III, 298 seqq. *maestissimus altum Aethera conscendit vultuque sequentia traxit Nubila*; Claud. de bell. Poll. 378 seq. *qualis in atram Sollicitus nubem maesto Iove cogitur aether.*

625. *melior* Vat., *moliar* Heinsius.

627. *fremunt* Vat., *frement* Peerlkamp.

628. *quin habeat sua quemque dies*; cfr. ad V, 12.

631. *funera miscet*, cfr. ad III, 381.

632. *hiberno proruptus ab arcu imber*: arcus caelestis in se recipit aquam eaque repletus imbres effundit: Verg. georg. I, 380 *bibit ingens arcus*; Ov. met. I, 271 *Concipit Iris aquas alimentaque nubibus affert*; Plaut. Curcul. 129 *ecce autem bibit arcus: pluet, credo, hercle hodie*; Luc. IV, 81 seq. *Oceanumque bibit* (arcus) *raptosque ad nubila fluctus Pertulit et caelo defusum reddidit aequor*; Stat. Theb. VI, 834; Prop. III, 5, 32; itaque arcus *imbrifer* dicitur Stat. Theb. VII, 427 et IX, 405.

Ad sententiam non recte comparantur loci Hom. Il. XIII, 137 seqq. et Verg. Aen. XII, 684 seqq., ubi non a torrente, sed a lapide comparatio sumitur, quamquam similis est imago; paullo propius accedit Valerius ad Verg. Aen. II, 497, sed prorsus novum est, quod dicit v. 635.

638. *notat* Vat., *necat* cod. Carr.

Digitized by Google

Caucasus ad primas genuit quem Phasidis undas;
hinc puero cognomen erat famulumque ferebant
Phasidis intonso nequiquam crine parentes.
iamque aliis instabat atrox, cum diva supremas
rumpit iniqua colus victorque advenit Iason.
excipit hunc saeva sic fatus voce Colaxes:
'vos Scythiae saturare canes Scythiaeque volucres
huc miseri venistis?' ait saxumque prehensum,
illius et dextrae gestamen et illius aevi,
concussa molitur humo, quod regia Iuno
flexit ad ignotum caput infletumque Monesi.
praeceps ille ruit; nato non depulit ictus
Iuppiter, Aesoniae vulnus fatale sed hastae
per clipeum, per pectus abit, lapsoque cruentus
advolat Aesonides mortemque cadentis acerbat.

642. *famulum — ferebant,* i. e. dicebant, praedicabant; miro errore Wagner 'auferebant cadaver'. *Phasis* deus invenitur etiam V, 426 et VI, 294.

649. Expressit Valerius eandem sententiam, quam et simplicius et clarius protulit Hom. Il. V, 304 seqq.; XII, 445 seqq.; cfr. praeterea Verg. Aen. XII, 896 seqq.; Iuv. sat. XV, 65 seqq.; Stat. Theb. II, 559 seqq.

651. *caput — infletum*: Verg. Aen. XI, 372 *infleta — turba.*

652. *nato non depulit ictus*; Ov. her. XIV, 130 *mortem fratri depulit.*

653. *Aesoniae — hastae*; cfr. ad III, 284.

654. *per pectus abit*, quasi evanescit in pectore; cfr. Verg. Aen. IX, 700 *Itala cornus — stomacho — infixa sub altum pectus abit*; infra v. 705.

cruentus interdum is dicitur, qui hostem interficit, ut sit aut *sanguine conspersus* aut *sanguinis cupidus*, ut Hor. c. I, 2, 39; Verg. Aen. I, 471; Luc. II, 111; sanguinis cupidum aperte significat pluribus locis, ut Val. II, 156; Hor. c. II, 14, 13; Ov. met. XII, 592; Luc. IV, 789; 822; V, 758; Mart. XI, 5, 9; Stat. Theb. VIII, 531; IX, 1; 677; XII, 184 al.

655. *mortemque — acerbat*; de re cfr. IV, 313; Verg. Aen. II, 547 seqq.; Hom. Il. XIII, 374 seqq. A Valerio habet Stat. Theb. IX, 302 *acerbat vulnera dictis.*

Digitized by Google

spargitur hinc miserisque venit iam notus Alanis.
At regina virum (neque enim deus amovet ignem)
persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret;
et iam laeta minus praesentis imagine pugnae
castigatque metus et quas alit inscia curas,
respiciens, an vera soror; nec credere falsos
audet atrox vultus eademque in gaudia rursus
labitur et saevae trahitur dulcedine flammae.
ac velut ante comas ac summa cacumina silvae
lenibus adludit flabris levis auster, at illum
protinus immanem miserae sensere carinae:
talis ad extremos agitur Medea furores.
interdum blandae derepta monilia divae
contrectat miseroque aptat flagrantia collo,
quaque dedit teneros aurum furiale per artus,

656. *spargitur hinc*; cfr. ad II, 595; hoc loco simplicem discedendi notionem habet passivum spargendi verbi.

657. *neque enim deus amovet ignem*; interpretes intellegunt Cupidinem, imprimis propter versum 673, at cum in hac quidem parte carminis apud Valerium Cupidinis nullae sint partes, sed omnia aut per Iunonem aut Venerem ipsam agantur, haec explicatio mihi non probatur, verum deus est Iuno: non solum enim apud Graecos interdum ἡ θεός dicitur, sed etiam apud Romanos: Verg. Aen. II, 632 *ducente deo* i. e. Venere; VII, 498 *nec dextrae erranti deus afuit* i. e. Allecto; Catuli frg. 2, 4 B. *mortalis visust pulcrior esse deo* i. e. Aurora; Calvi frg. II, 7 B. *pollentemque deum Venerem*; Val. ipsius IV, 667 *advertere dei* i. e. Iuno et Minerva.

658. *oculisque ardentibus haeret*; Verg. Aen. I, 717 seq.

665. *lenibus flabris*; Verg. georg. III, 199.

666. *sensere carinae*; de perfecto cfr. ad III, 738 dicta.

668. *monilia divae*; ex eis, quae sequuntur, apparet poetam cogitare de cingulo Veneris, cfr. supra ad v. 471; *derepta* autem significat non vi erepta, sed celeriter capta; eadem verba leguntur Sil. XII, 309; cfr. praeterea Hor. c. III, 28, 1 *deripere horreo amphoram*; Lucr. IV, 31 *membranae summo de corpore dereptae*; Verg. Aen. X, 475 et Ov. met. X, 475 *vagina deripit ensem*; Stat. Theb. III, 412; Luc. I. 240; Sil. X, 599.

670. *aurum furiale* i. e. in furorem coniciens; sic nominantur

Digitized by Google

deficit; ac sua virgo deae gestamina reddit,
non gemmis, non illa levi turbata metallo,
sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto
iam tenet; extremus roseo pudor errat in ore.
ac prior his: 'credisne patrem promissa daturum,
o soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
contigit? aut belli quantum iam restat acerbi?
heu quibus ignota sese pro gente periclis
obicit!' haec fantem medio in sermone reliquit
incepti iam Iuno potens securaqne fraudis.
Imminet e celsis audentius improba muris
virgo nec ablatam sequitur quaeritve sororem.
at quotiens vis dura ducum densique repente
Aesoniden pressere viri cumque omnis in unum
imber iit, totiens saxis pulsatur et hastis.
primaque ad infesti Lexanoris horruit arcus,

Veneris *oscula furialia* VII, 254; *furiale venenum* Ov. met. IV, 506; *arma* VI, 591; *vestis* Cic. Tusc. II, 20; *sagittae* Ov. rem. 699; *stimuli* Prud. c. Symm. I, 133.

671. *deficit* i. e. non par est ferendae divinae impressioni.

673. *pectore toto iam tenet*: Verg. Aen. VII, 356 *toto percepit pectore flammam.*

674. Postremo quasi per vultum pudor ex virgine exit.

676. *dis melioribus* i. e. magis benignis quam exspectari poterat; cfr. ad I, 327.

680. *potens* idem quod potita; potens est quasi participium aoristi verbi potiendi, cfr. IV, 366; Ov. met. IV, 509; fast. III, 269.

681. *audientibus* Vat., *audentius* Pius; *improba — virgo* i. e. impotens, quae sibi moderari non possit; cfr. Verg. Aen. IX, 62 *improbus irā*; XI, 512 *Aeneas — equitum levia improbus arma praemisit;* XI, 767; Ov. fast. II, 331 *quid non amor improbus audet?*; Sil. I, 58 *improba virtus* (Hannibalis); Hor. c. III, 9, 22 *Hadria*; ep. I, 10, 40; Stat. Ach. I, 40 *Lapitharum proelia ludit improbus* (Achilles) i. e qui cupidini pugnandi moderari non possit; Theb. II, 292; III, 675; IX, 836.

685. *imber* de densa telorum multitudine saepius apud poetas scriptum reperitur, vide ad V, 608.

Digitized by Google

alta sed Aesonium supra caput exit harundo,
teque, Caice, petit; coniunx miseranda Caico
linquitur et primo domus imperfecta cubili.
Regius eois Myraces interpres ab oris
venerat, ut Colchos procul atque Aeetia Parthis
foedera donato non irrita iungeret auro.
tum iuvenem terris Parcae tenuere Cytaeis
ac subiti Mavortis amor; simul armiger ibat
semivir impubemque gerens sterilemque iuventam.
ipse pharetratis residens ad frena tapetis
nunc levis infesto procurrit in agmina curru,
nunc fuga conversas spargit mentita sagittas.
at viridem gemmis et eoae stamine silvae

---

689. *domus imperfecta* est Homeri δόμος ἡμιτελής Il. II, 701.

690. *interpres* i. e. internuntius, legatus, ut Verg. Aen. IV, 378 Mercurius *interpres divum* nominatur, quippe qui voluntatem eius, a quo missus est, explicet.

695. *semivir* i. e. eunuchus, ut Iuv. VI, 513; Verg. Aen. XII, 99; Sil. XVII, 20; Mart. III, 91, 2; IX, 20, 8; Paul. Nol. 35, 87.

696. *residens ad frena* i. e. in curru iuxta armigerum frena tenentem; praeter consuetudinem autem tapetia, in quibus pharetra reposita est, *pharetrata* dicuntur, cum ceteris locis ei homines vel dei pharetrati nominentur, qui pharetra instructi sunt, quare *phas retratus* probarem, quod proposuit Wagner, nisi adiectivo ad *tapeti-* apposito vix carere possemus.

698. *fuga — spargit mentita sagittas*: notum Parthorum morem poeta expressit; quod autem *fugam* scripsit pro hominibus fugientibus, ad poetarum genus dicendi satis est accommodatum, cfr. Stat. Theb. VI, 596 seq. *credas e plebe Cydonum Parthorumque fuga totidem exsiluisse sagittas*; Luc. II, 152 *busta repleta fuga*; sed hoc audacius, quod Valerius scripsit *fugam mentitam* pro hominibus fugam simulantibus.

699. *viridem gemmis* i. e. smaragdis; cfr. Lucr. II, 805; IV, 1118 al.; *stamen eoae silvae* est filum lanae arboreae; cfr. Sen. Herc. Oet. 667; Claud. in Prob. cons. 180; Orient. common. I, 128; Plin. nat. hist. XII, 38; Marquardti antiq. Rom. VII, 470. Ex adiectivo *viridem* alia generalis notio ad ablativum *stamine* audienda est, velut *ornatum*.

Digitized by Google

subligat extrema patrium cervice tiaran
insignis manicis, insignis acinace dextro;
improba barbaricae procurrunt tegmina plantae.
nec latuere diu saevum spolia illa Syenen,
perque levem et multo maculatam murice tigrin
concita cuspis abit; subitos ex ore cruores
saucia tigris agit vitamque effundit erilem;
ipse puer fracto pronum caput implicat arcu.
sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine vultus
et gravidae maduere comae, quas flore Sabaeo
nutrierat liquidoque parens signaverat auro.

---

701. *manicis* uti non decorum erat viris Romanis; cum autem Myracen poeta dicat etiam insignem *acinace dextro*, acinacis notio est efferenda, non dextri; nam dextro latere etiam Romani gladium gestabant.

702. *improba — tegmina* 'Schnabelschuhe'; de *improbi* adiectivi notione vid. ad I. 510.

703. *Syenen:* v. 74.

704. *tigrin* metonymiae figura scriptum pro pelle tigridis; sic *taurus* dicitur pro pelle tauri IV, 250; Sil. I, 25; *tigris* Stat. Theb. VI, 722; *sus* VI, 836; *aper* VIII, 706; *leo* Val. VIII, 126; contra *vellus* pro agna ipsa Iuv. XII, 4.

705. *cuspis abit*; vid. v. 654.

706. *ait* Vat., *agit* cod. Carr.

707. *puer*, qui supra 693 *iuvenis*.

708. *chlamys ignea*; vid. ad I, 427.

709. *flore Sabaeo* i. e. myrrha; cfr. Verg. Aen. XII, 100 *crinis — myrrha — madentis*; Ov. met. III. 555 *madidi myrrha crines*; Sen. Herc. Oet. 376 *Sabaea marcidus myrrha comam.* Saba regio Arabiae ture insignis et myrrha, vid. Plin. nat. hist. XII, 51 et 52.

710. *liquidoque parens signaverat auro*; indicat poeta spiras aureas, quibus capillus continebatur; cfr. Hom. Il. XVII, 52 πλοχμοί θ' οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο; vid. etiam Apollon. II, 678; Verg. Aen. IV, 148.

liquidum aurum videtur esse splendidum vel purum: audacter eam notionem, quae solet tribui aeri fonti aquae tempestati luci lumini al., poeta ad metallum transtulit; proxime accedunt *liquidi colores* II, 467.

Digitized by Google

qualem siquis aquis et fertilis ubere terrae
educat ac ventis oleam felicibus implet,
nec labor adsiduus, nec spes sua fallit alentem,
iamque videt primam tenero de vertice frondem;
cum subito immissis praeceps aquilonia nimbis
venit hiemps nigraque evulsam tendit harena:
haud secus ante urbem Myraces atque ipsius ante
virginis ora cadit; sed non magis illa movetur
unius aegra metu, quam te, Meleagre, furentem,
quam Talaum videt aut pugnas miratur Acasti;
at satis hos ipsae gentes campique videbant
tempestate pari versis incumbere turmis.
ante oculos fuga foeda ducum largusque cadentum
it cruor et currus dominis ingentibus orbi.
Non tulit hos Perses gemitus clademque suorum
tergaque versa tuens his caelum questibus implet:
'quid me iam patriis eiectum sedibus, istas
ut struerem pugnas Scythiamque in bella moverem,
vos superi, vos augurio iussistis inani?

---

712. *ventis oleam felicibus implet*; de re cfr. supra v. 340, sed *oleam ventis implere* mire dictum est; comparatio ipsa expressa est ex Hom. Il. XVII, 53 seqq.

716. *tendit* i. e. prosternit, vid. ad IV, 320; *fulva* (*multa*) *extendit harena* scripsit Verg. Aen. V, 374 et IX, 589.

Tota haec narratio inde a v. 699 accommodata est ad describendum fortem quidem, at tamen mollem et tenerum iuvenem gentis barbarae.

721. *campi — videbant*: Verg. Aen. XII, 542.

722. Aeque vehementer pugnabant Meleager Talaus Acastus atque ipse dux Iason; *tempestate pari*, de belli impetu, ut Verg. Aen. VII, 222 seq.

723. *fera* Vat., *foeda* ed. Bon.

726. *caelum questibus implet*: Verg. Aen. IX, 480.

729. *ut struerem — iussistis*; sic legimus Ov. her. I, 101 *di — hoc iubeant ut — ille meos oculos comprimat*; Dracont. VIII, 241 B. *omnes ut veniant rex ipse iubet*; Iuvenc. II, 145 *hinc iubet ut summo tradant gustanda ministro*; Prud. perist. VI, 41 *iussum est —*

Digitized by Google

quid fratris meritas tua, Iuppiter, omnia poenas
promisere mihi? nobis Argoa parabas
scilicet auxilia et tantas coniungere vires.
saeva quidem lucis miseris mora; dent tamen, oro,
unum illum mihi fata diem, qui fallat Achivos
sic meritos, quoque hunc videam virtute superbum
Aesoniden tantos flentem sine honore labores'.
dixerat haec pectusque suis everberat armis
et galeam fletu, galeam singultibus implet;
ibat et in medii praeceps incendia belli,
ni prior adversis Pallas vidisset ab armis
et secum: 'ruit ecce ferox in funera Perses,
quem genitor Colchis solioque imponere fratris
iam statuit. nostra vereor ne fraude peremptum
increpet et culpam hanc magno terrore rependat'.
haec dicens atro nebulam diffundit amictu

---

quod princeps colit, ut colamus omnes; Sidon. ep. IX, 13. 5 v. 1 seqq. *convocata pubes — iubet ut volumen istud — studiis in astra tollas.*

734. *quo fellet* Vat. *qui fallat* Wagner; Baehrens scripsit *quo falli et*, quod propter synaloepham longae vocalis Valerio in ea sede inauditam probari non potest; vide Koesters quaest. metr. p. 46 seq.

736. *sine honore labores*: Ov. met. II, 387; cfr. ad III, 362.

737. *pectusque suis everberat armis*: ut solent pectus plangere manibus homines vehementi dolore vel luctu concitati, sic Perses armis i. e. manu armata, pectus ferit; de verbis cfr. Verg. Aen. XII, 866 *clipeumque everberat alis.*

738. Perses galeam tenet ante oculos, ne ab aliis lacrimans conspiciatur.

742. De sententia cfr. V, 680 seqq.

743. Cfr. Hom. Il. XX, 301, ubi similem sententiam exprimit Neptunus sollicitus de Aenea, cui exitium imminet ab Achille.

745. *atro nebulam diffundit amictu* obscure dictum: Wagner Palladem atro amictu indutam nebulam removisse a se putat; sed omnino non credibile poetam ei amictum atrum tribuisse; contra Perses ab ea nebula tegitur ita, ut amictus eius ater fiat; *atro amictu* non est ablativus qui dicitur separationis, sed loci, cfr. III, 560 *tale iubar diffundit aquis* et VI, 56 *rutilas scutis diffuderis alas*: per amictum diffundit nebulam nebulaque tectus Perses

Digitized by Google

stridentesque viri circum caput amovet hastas.
ille super socias clementi turbine gentes
erigitur paulumque levi raptatus in aethra
iam tandem extremas pugnae defertur in oras,
forte ubi serus Hiber Issedoniaeque phalanges
marte carent solisque iuvant clamoribus agmen.
Nox simul astriferas profert optabilis umbras;
et cadit extemplo belli fragor aegraque muris
digreditur longum virgo perpessa timorem.
ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt,
mox rapuere deum iam iam in quodcumque paratae
Thyiades, haut alio remeat Medea tumultu,
atque inter Graiumque acies patriasque phalangas

---

per aera a Minerva periculo eximitur, cfr. Hom. l. l. v. 325; Il. III, 380, ubi hac ratione Paris a Venere servatur; vide etiam Hor. c. II, 7, 13 seq.; Ov. met. XV, 804 seqq.; Sil. IX, 484. Planius scripsit Verg. Aen. I, 411 seq. *at Venus obscuro gradientis aere saepsit Et multo nebulae circum dea fudit amictu.*

749. *pugnae defertur in oras*: Verg. Aen. IX, 528.

750. Quod hoc loco poeta de Hiberibus dicit, non convenit cum ea re, quae supra v. 507 commemorata est. Neque *Issedones* vel *Essedones* (sic Plin., Lucan. et Alcman teste Steph. Byz.) antea nominati sunt inter socios Persae; erat gens Armeniae prope Araxem habitans teste Herod. I, 201; alio loco, non procul a palude Maeotide. Essedones sedes habere narrat Plin. nat. hist. IV, 88; VI, 20; de more eorum barbaro cfr. Herod. IV, 26.

751. *calent* Vat., *carent* ed. Bon.; de sententia cfr. Luc. VII, 367.

755. *Nyctelii*, Bacchi, νυκτέλιος Graecum eius est cognomen, cfr. Prell. mythol. gr. I⁴, 690 annot. 3; 694 annot. 1. Solo hoc cognomine indicatur etiam ab Ovid. artis I, 567; tum culicis 111; cfr. Sen. Oed. 492; nomen ei hoc inditum propter 'nocturna orgia' (Verg. georg. IV, 521).

resistunt i. e. quiescunt, ductum ab eis, qui via vel cursu confecto consistunt, ut paullisper respirent; vid. Cic. pro Mur. 84 *nihil est iam, unde nos reficiamus aut ubi lapsi resistamus.*

756. *rapuere deum* i. e. simulacrum dei, ut putant interpretes. *in* om. Vat., add. ed. Bon. et Ald.

Digitized by Google

semper inexpletis adgnoscit Iasona curis
armaque quique cava superest de casside vultus. 760

760. *vultus* recte traditur in Vat., neque debebant recentiores editores Wagnerum secuti *vultum* scribere: cfr. locum, quem attulit Schmitz de Val. dicendi genere p. 22, Horatii epod. VI, 7 seq. *agam per altas aure sublata nives quaecunque praecedet fera;* vid. praeterea Ov. met. XIV, 350 *cecidere manu, quas legerat herbas*; Plaut. Curcul. 433 *ut ei detur quam istic emi virginem*; Luc. VII, 374; al.

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER SEPTIMVS.

Te quoque Thessalico iam serus ab hospite vesper
dividit et iam te tua gaudia, virgo, relinquunt,
noxque ruit soli veniens non mitis amanti.
ergo ubi cunctatis extremo in limine plantis
contigit aegra toros et mens incensa tenebris,
vertere tunc varios per longa insomnia questus
nec pereat quo scire malo; tandemque fateri
ausa sibi paulum, medio sic fata dolore est:
'nunc ego quo casu vel quo sic pervigil usque
ipsa volens errore trahor? non haec mihi certe

6. *vertere — questus* simili ratione dictum videtur, ut *volvere carmina*, de qua locutione cfr. ad III, 408; alterum huius usus exemplum non reperitur, sed cfr. etiam VIII, 409.

7. De sententia cfr. Ov. met. VII, 12, ubi Medea *mirumque* inquit *nisi hoc est aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur* et Sen. Herc. Oet. 1259 *concede saltem scire quo peream modo*, de collocatione verborum ad I, 284.

9 sqq. admodum feliciter Valerius virginalem adhuc pudorem Medeae quamquam divino numine inflammatae atque corruptae describit; celerius rem confecit Apollonius IV, 11 seqq.

Digitized by Google

nox erat ante tuos, iuvenis fortissime, vultus.
quos ego cur iterum demens iterumque recordor
tam magno discreta mari? quid in hospite solo
mens mihi? cognati potius iam vellera Phrixi
accipiat, quae sola petit quaeque una laborum
causa viro. nam quando domos has ille reviset?
aut meus Aesonias quando pater ibit ad urbes?
felices, mediis qui se dare fluctibus ausi
nec tantas timuere vias talemque secuti
huc qui deinde virum: sed sic quoque talis abito.
tum iactata toro serumque experta cubile,
ecce videt tenui candescere limen Eoo;
nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
quam cum languentes levis erigit imber aristas,
grataque iam fessis descendunt flamina remis.

At sua longarum Minyas iam cura viarum
admonet; inque ipso nequiquam tempore regem
laetitiae meritique petunt; quem passus Iason

---

11. *ante tuos — vultus*: cfr. ad I, 139.

13. *tam magno discreta mari*; Ov. met. VII, 21 seq. *quid in hospite, regia virgo, Ureris et thalamos alieni concipis orbis?*

17. *Aesonias ad urbes* i. e. Thessalicas. vid. ad III, 284.

20. *hunc* Vat., *huc* Schenkl.

sic quoque talis abito: quamquam talis est, ut propter eum socii felices praedicandi sint, tamen cum abierit, mente mea excidat.

21. *tumque* Vat., *serumque* scripsi.

22. *Eous* est Lucifer etiam apud alios poetas; cum autem per tenuem Luciferum vix dici possit limen candescere, *tenui Eoo* videtur esse ablativus absolutus atque ita explicandum, ut dicamus, cum iam Lucifer sub ortum solis evanescere inciperet, limen aurora illustratum esse.

25. *grataque* recte in Vat. traditur, cfr. VI, 607; Catull. 45, 6; Ov. ex Pont. I, 2, 119; vid. etiam quae ad Val. I, 117 dicta sunt.

descendunt flamina; cfr. I, 686; III, 652; Sen. Agam. 467.

26. *longarum — cura viarum admonet*: i. e. admonet, cur tam longam viam emensi sint.

Digitized by Google

vota prius captasque deis accendere praedas
prominet atque oculos longe tenet, aurea si iam
pellis et oblatis clarescant atria villis.
Ille autem iam iam vultus vocesque parantem
antevenit rumpitque moras inque ipsa morantis
prosilit ora viri talique effunditur ira:
'orbe satos alio, sua litora regnaque habentes,
quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
quisve mei vos tantus amor? tu prima malorum
causa mihi, tu, Phrixe gener. non te aequore mersum
quo soror! ut felix nullos nunc nomine Graios
nossem ego. quis regum Pelias, quis Thessalus, aut quae
Graecia? quodnam hominum cerno genus? aut ubi cautes
Cyaneae? venit Scythicas en hospes in oras.
quinquaginta Asiam (pudet heu!) penetrarit Iason

---

29. Praeda ex hostibus capta crematur, ut Verg. Aen. VIII, 562, ubi Servius haec habet: *hoc traxit de historia*; *Tarquinius enim Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani eorum arma succendit;* vid. Liv. I, 37, 5.

30. *oculos longe tenet*: prospicit, num pellis apportetur, oculis in unum locum defixis; sic legitur *vultus tenens* infra v. 191 et *oculos tenet* 214; simile est quod dicit Vergilius *iter tenere* Aen. I, 370; *immotos oculos tenere* scripsit Ov. met. II, 502; *intentique ora tenebant* Verg. Aen. II, 1; *defixa — tenet ora* VII, 250; *defixique ora tenebant* VIII, 520; *oculos inter se atque ora tenebant* XI, 121.

33. *ante aperit* Vat., *ante venit* Reuss observ. Val. p. 37: ex vultu Iasonis rex eum iam aliquid dicturum esse conicit, quid autem dicere vellet, de eo dubitare rex non poterat.

in ipsa — prosilit ora viri; haec verba mire dicta sunt: Wagner explicat 'cum impetu in eum invehitur'; mihi praestare videtur ita intellegere verba, ut significent prosiluisse Aeetam in conspectum Iasonis et proxime ante eum constitisse.

34. *talique effunditur ira*: vid. ad 1, 701.

40. Nil moror, inquit Aeetes, Pelian, Thessaliam, totam Graeciam; nolo scire qui vos sitis, qui in conspectum meum venistis; cur non cautes Cyaneae hos homines a Scythia prohibuerunt?

43. *quinquaginta — exulibus*: ablativus scriptus est ea ratione,

Digitized by Google

exulibus? meque ante alios sic spreverit una,
una ratis, spolium ut vivo de rege reportet?
ipsum offerre meos, ipsum me pandere lucos
imperet et nullo dignetur vincere bello?
cur age non templis sacrata avellere dona
omnibus atque ipsas gremiis abducere natas,
praedo, libet? vobisne domos, vobisne parentes
esse putem, ratis infandis quos sola rapinis
saevaque pascit hiemps et quos, credamus ut ipsis,
rex suus inlisit pelago vetuitque reverti?
scilicet Aeoliae pecudis poteretur ut auro?
[ante meus caesa descendet Caucasus umbra

---

qua etiam historici scriptores dicunt *ingenti exercitu proficisci, decem navibus venire* al.

47. Furore abreptus Aeetes plane obliviscitur auxilii, quod modo in bello gravissimo ei Iason tulit.

et nullo: cfr. ad II, 5.

49. *gremiis abducere natas*; Verg. Aen. X, 79.

50. *penates* scripserunt Burmannum secuti Schenkl et Baehrens pro eo quod in Vat. legitur *parentes*; sed languent *penates* sic simpliciter post *domos* commemorati. Atque optime se habet, quod Aeetes de parentibus Argonautarum dubitat: mihi quidem certissimum est Valerio obversatum esse locum Hom. Il. XVI, 33 seqq. νηλεές οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἵππότα Πηλεὺς Οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα πέτραι τ' ἠλίβατοι; cfr. imitationem Verg. Aen. IV, 365 seqq.

52. *saevaque pascit hiemps*; Pius et Wagner recte putant his verbis dici de naufragis hieme in terram eiectis et exspoliatis; Burmann cogitat de piratis etiam hiberno tempore per maria vagantibus coll. Plin. nat. hist. II, 125, quem locum prorsus non intellexit.

53. *quos — rex suus inlisit pelago*: de industria inlidendi gravi verbo poeta Aeetam utentem inducit, sed cfr. etiam Sil. XVII, 642 (Hiberus) *cum simul inlidit ponto quos attulit amnes.*

55 seqq. Ad v. 57 haec adnotat Schenkl: 'qui hoc loco omnino ineptus est, a poeta hunc locum uberius tractaturo in mg. adiectus fuisse videtur'; idem de duobus versibus dicendum puto, qui praecedunt. Sententiam recte videtur Wagner explicasse his verbis: 'naves prius, ex Caucasi mei silvis densis fabricatae, in mare demittentur,

Digitized by Google

ac prior Haemonias repetet super aequora praedas.
haut ego cum vittis statui feralibus Hellen.]
si tamen his aliter perstas non cedere terris
teque pudor cassi reditus movet ac latet una
nescio quid plus puppe viris, haud ipse morabor
quae petitis; modo nostra prior tu perfice iussa.
Martius ante urbem longis iacet horridus annis
campus, et ardentes ac me quoque vomere presso,
me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.
his magis atque magis rabiem nunc nostra senectus
luxuriemque dedit, solitoque superbior ignis

---

quibus ego praedas abigam e Thessalia, quam velleris aurei copiam tibi faciam'. At quomodo satis recte *Caucasus caesa umbra* descendere dici possit non video; aut enim Caucasus, sc. arbores ibi consitae, aut caesa umbra Caucasi descendet, non simul et Caucasus et caesa umbra nec apte praedas repetere dicitur is, qui prior praedam petit. Neque Koestlini explicatione Philol. 38, p. 422 et 39, p. 444 prolata hae difficultates tolluntur. Ad versum 54 prorsus apte adiungitur 58. Quodsi v. 55 et 56 servamus, Aeetam nullo modo se vellus redditurum indicat, id quod pugnat cum v. 58. Tolerabilior sine dubio fit sententia, si signum interrogationis post *Hellen* posito Vossium secuti legimus *descendit — rapuit* (pro eo quod est *repetet) aut ego cum vittis* e. q. s.

62. Hoc demum loco Valerius redit in viam ab Apollonio initam, quam deseruerat V, 217, quamquam etiam ea, quae de Medea iam dicturus est, valde aliena sunt a narratione Apollonii.

horridus — campus i. e. incultus; sic *campum horrentem* dixit Verg. georg. III, 161; *humum horridam* Sil. I, 230.

63. *vomere presso;* intellegenda est stiva, quae manu arantis premitur, cfr. Ov. fast. IV, 825 *inde premens stivam designat moenia sulco*; met. VIII, 218 *stiva innixus arator*; tamen saepe dicitur *vomerem premere*, velut Verg. georg. II, 203; 356.

64. Etiam *tauri* Martis sunt, cfr. Ov. her. XII, 41; ad subiectum *tauri* figura zeugmatis ex iacendi verbo praedicatum auditur, veluti *stant*.

66. *luxuriemque dedit* i. e. petulantiam; sic *luxus* substantivo utitur Stat. Theb. II, 85 et luxuriandi verbo Verg. Aen. XI, 497; Ov. met. IX, 267; fast. I, 156; Claud. fesc. 2, 35.

ore fremit. succede meae, fortissime, laudi,
et nostros recole, hospes, agros. nec semina derunt,
quae prius ipse dabam, et messes, quas solus obibam.
consiliis nox una satis, tecumque retracta
cumque tuis haec iussa deis; ac siquid in isto est
robore, praedicti venies in rura laboris.
ipse incertus adhuc, tenebris te protinus illis
involvi flammisque velim, durare parumper
an magis, everso iacias dum semina campo,
ac tibi Cadmei dum dentibus exeat hydri
miles et armata florescant pube novales'.
Filia prima trucis vocem mirata tyranni
haesit et ad iuvenem pallentia rettulit ora
contremuitque metu, ne nescius audeat hospes
seque miser ne posse putet. perstrinxerat horror
ipsum etiam et maesta stabat defixus in ira.
non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
qui iam te, Tiberine, tuens clarumque serena

---

71. *si quid in isto est robore* obscure dicta; coll. v. 59 videtur hoc poeta dicere voluisse: 'si quid divini auxilii est in ista navi'; contemptim dixit *robur* Aeetes pro navi ex ligno facta.

75. *everso — campo* i. e. eruto ab aratore similiter ut *mare* everti dicitur Verg. Aen. I, 43 et *eversae aquae* Ov. her. VI, 40.

76. *seminis* Vat., *dentibus* Heinsius.

Haec est vulgata fabula, qua narrabatur dentes hydri Cadmei Iasonem sevisse, sed initio aliter tradebatur, Iasonem draconem, qui vellus custodiebat, interfecisse, deinde eius dentes sevisse, vide Serv. ad Verg. georg. II, 140, ubi addita est etiam altera narratio; myth. Vat. I, 23; 25; II, 136; Sidon. IX, 70; Muell. Orchom. p. 261; Iessen proleg. in catal. Argon. p. 36. Quae ratio postquam mutata est, additum fabulae Minervam aut Phrixum partem dentium Cadmeae serpentis Aeetae dedisse: Pherec. frg. 44; Apoll. III, 1177 seqq.; Apollod. I, 9, 23, 4, schol. Pind. Isthm. VII, 13; Philarg. ad Verg. georg. II, 142. Valerius neglexit indicare, quomodo factum sit, ut Aeetes dentes serpentis Cadmeae possideret.

Ad orationem Aeetae cfr. Apoll. III, 401 seqq.

82. Paullo minus fortiter se gerit Iason apud Apollon. III, 422 seqq.

Digitized by Google

arce pharon, prensus subito nusquam Ostia, nusquam
Ausoniam videt, at saevas accedere Syrtes.
tum tamen, infando quae det responsa tyranno,
colligit et tandem obtutu consurgit ab alto.
'non' ait 'hos reditus, non hanc, Aeeta, dedisti
spem Minyis, cum prima tuis pro moenibus arma
induimus. quo versa fides? quos vestra volutant
iussa dolos? alium hic Pelian, alia aequora cerno.
quin agite hoc omnes odiisque urguete tyranni
imperiisque caput; nunquam mihi dextera nec spes
defuerit; mos iussa pati nec cedere duris.
unum oro, seu me illa suis seges obruet hastis,
hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu,

---

85. *serena arce* i. e. caelo sereno; quamquam recte dicit Baehrens, arcem nulla addita notione apud alios non poni pro caelo, tamen apud Valerium etiam alibi talia et singulariter et obscure et breviter dicta reperimus, ut nihil sit mutandum.

praeceps Vat., *prensus* Baehrens coll. Hor. c. II, 16, 2; saepius *deprensus* dicitur, de quo disputantes Baehrens affert Bentl. et Peerlkamp. ad Hor. c. I, 14, 10.

pharus, de qua cogitat Valerius, erat prope portum Ostiensem; cfr. Iuv. sat. XII, 76; Suet. Claud. 20; Cass. Dion. LX, 11.

86. *et* Vat., *at* Maserius.

88. *colligit* i. e. deliberat, ut Hor. sat. II, 1, 51; ep. II, 1, 119.

obtutu consurgit ab alto fere idem valet atque *altum rumpit silentium*. *obtutus* hoc loco valet deliberationem, considerationem, ut Ov. trist. IV, 1, 39 *semper in obtutu mentem vetat esse malorum*; *altus* autem *obtutus* dicitur ut *altus somnus silentium quies otium tranquillitas;* hoc obtutu factum est, ut Iason aliquantum temporis taceret, cfr. Verg. Aen. VII, 249 seq.; XII, 666 *obtutu tacito stetit*; denique *consurgendi* verbum non raro adhibetur ad significandum initium actionis maioris momenti, ut I, 499; 673; Ov. ex Pont. III, 3, 31; trist. IV. 3, 71.

90. Ov. am. II, 18, 2.

91. *vestra — iussa* i. e. Peliae et Aeetae, ut apparet ex eis, quae sequuntur.

94. *quamquam* Vat., *nunquam* Columbus.

spes defuerit, cfr. ad V, 207.

Digitized by Google

nuntius hinc saevas Peliae mittatur ad aures,
hic periisse viros et me, si vestra fuisset
ulla fides, reducem patriae potuisse referri'.
Talibus attonitos dictis natamque patremque
linquit et infida praeceps prorumpit ab aula.
at trepida et medios inter deserta parentes
virgo silet, nec fixa solo servare parumper
lumina nec potuit maestos non flectere vultus;
respexitque fores et adhuc invenit euntem;
visus et heu miserae tunc pulchrior hospes amanti
discedens; tales umeros, ea terga relinquit.
illa domum atque ipsos paulum procedere postes

---

99. Permirum esset, si serio Iason a rege peteret, ut nuntios perfidiae suae ipse ad Peliam mitteret, quare irrisio potius acerba putanda est.

101. *attonitus* est Aeetes et propter perfidiae crimen aperte in se coniectum et propter audaciam, qua Iason se ad omnia pericula subeunda paratum ostendit.

103. *deserta* Medea sibi videtur, quia ei Iason iam est instar omnium.

104. Cfr. Apoll. III, 444 seqq.

Medea, quae ante sollicita oculos in Iasonem coniecerat, postea solo eos defixit, sed cum heros ab aula prorumperet, pudore virginali abiecto facere non poterat, quin oculos flecteret eisque abeuntem quasi prosequeretur; de industria autem dixit poeta virginem oculos solo defixos non *servasse*, pro eo quod est tenuisse: re vera enim oculos non servavit amori cedens.

108. *umeri validi* sunt inter signa roboris et pulchritudinis virorum; cfr. II, 492; Verg. Aen. I, 589.

109. Burmann hunc versum ita explicavit, ut diceret optare Medeam, ut domus et ianua procedat, ne ex conspectu amittat Iasonem, cum ipsa eum extra ianuam prosequi non audeat. Quod votum ineptum esse ratus Wagner *domum* et *postes* accusativos pro ablativis scriptos putat Medeamque cupivisse ex domo extraque postes procedere. Sed obstat huic interpretationi sine dubio ratio grammatica, quod ipse sensit Wagner, quare Burmanni explicatio

Digitized by Google

optat, at ardentes tenet intra limina gressus.
qualis ubi extremas Io vaga sentit harenas
fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinys
ire mari Phariaeque vocant trans aequora matres:
circuit haut aliter foribusque impendet apertis,
an melior Minyas revocet pater; oraque quaerens
hospitis aut solo maeret defecta cubili,
aut venit in carae gremium refugitque sororis
atque loqui conata silet; rursusque recedens
quaerit, ut Aeaeis hospes consederit oris
Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.

---

probanda est, quamquam sententia a poeta expressa non laudanda videtur.

110. *et* Vat., *at* Burm., i. e. at tamen ipsa non audet procedere.

112. De sententia cfr. IV, 403 *paullum cunctata* (Io) *profundo incidit*, et de forma verborum ad I, 725.

114 seqq. pulchre et dilucide Medeae animus amore sollicitus describitur, quo vexata sine quiete huc illucque errat diversaque molitur; cfr. Apoll. III, 649 seqq.

foribus — impendet i. e. versatur in ipsis foribus; singulariter quidem dictum, sed nec obscure nec inelegantер.

115. *melior*; cfr. ad VI, 676.

oraque quaerens i. e. desiderans, ut Plaut. Trin. 1031 *vetera quaerit;* Ov. ex Pont. III, 4, 41 *ecquid — quaeror*? ipse de se hoc Ovidius interrogat, qui ubi esset, omnes Romae sciebant; Tib. II, 3, 26 seq. *quisquis inornatumque caput crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.*

117. *sororis*; Chalciopes, cuius formam antea Iuno induerat. VI, 479.

118. *rursusque recedens* sc. ad sororem, postquam refugit; cfr. Apollon. III, 646 seqq.; *recedendi* verbum pro *redeundi* ponitur ut Hor. c. II, 19, 31.

119. *ut — consederit — ut — rapuere*; de modo variato cfr. ad I, 281.

Admodum feliciter Valerius inducit puellam virginali pudore plenam non rogantem de Iasone, propter quem re vera sollicita est, sed de eius atque suis cognatis.

120. De fuga Circes cfr. ad v. 219.

Digitized by Google

tum comitum visu fruitur miseranda suarum
implerique nequit; subitoque parentibus haeret
blandior et patriae circumfert oscula dextrae.
sic adsueta toris et mensae dulcis erili
aegra nova iam peste canis rabieque futura,
ante fugam totos lustrat queribunda penates.
tandem etiam molli semet sic increpat ira:
'pergis', ait 'demens, teque illius angit imago
curaque, qui profuga forsan tenet alta carina,
quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
quid me autem sic ille movet, superetne labores,
an cadat et tanto turbetur Graecia luctu?

---

122. *implerique nequit*: Verg. Aen. I, 713; VIII, 618.
parentibus haeret; cfr. I, 316.

123. *circumfert oscula dextrae* i. e. oscula fert in omnes dextrae partes; de ipso ferendi verbo vid. ad II, 282.

124. Verg. Aen. VII, 490.
Etiam dativus *mensae erili* pendet a participio *adsueta dulcis*que adiectivum ad utrumque membrum pertinet etsi altero loco positum, cfr. ad I, 18 et 844.

125. Hanc consuetudinem canum, qua rabie correpti domo relicta vagari solent, Valerius poetice exornavit.

127. *semels* Vat., *semet sic* Baehrens coll. VI, 646; VIII, 177.
molli — ira i. e. leni, ut *molli — lapsu* legitur I, 686, et *mollior ira* Stat. Theb. V, 732.

128 seqq. cfr. Apollon. III, 464 seqq.

130. *nec nomen* i. e. ne nomen quidem; cfr. IV, 200.

131. *autem* coniunctionis is usus in interrogationibus, ut ponatur pro *tandem* vel *nam*, imprimis ex Plauto et Terentio notus; vid. etiam Verg. Aen. II, 101 *sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?*

132. Sensim rursus in amorem relabitur Medea, quod poeta summa arte expressit: postquam primo virgo indicavit sua prorsus non interesse, utrum Iason in Colchide occidat an in patriam redeat, iam cupit eum in alienam terram missum esse, tum cognationis reminiscitur Phrixi quasi ad semet excusandam iamque eam miseret viri ad expeditionem faciendam coacti, quare optat, ut redeat; sed pudore ducta etiam id optat, ne amor suus Iasoni notus fiat, simulque

Digitized by Google

saltem, fata virum si iam suprema ferebant,
iussus ad ignotos potius foret ire tyrannos!
o utinam et tandem non hac moreretur in urbe!
namque et sidereo nostri de sanguine Phrixi
dicitur, et caram vidi indoluisse sororem;
seque ait has iussis actum miser ire per undas.
at redeat quocumque modo, meque ista precari
nesciat, atque meum non oderit ille parentem'.
dixerat haec stratoque graves proiecerat artus,
si veniat miserata quies, cum saevior ipse
turbat agitque sopor; supplex hinc sternitur hospes,

---

insignem in patrem pietatem ostendit. Neque Burmann neque Wagner neque Loehbach sententiam poetae perspexerunt.

135. *o utinam et tandem* e. q. s.; *et* alteri sententiae vocabulo postponitur, vid. ad I, 89; *o utinam* particulae adduntur ad commotiorem Medeae animum indicandum, quo ducta, ne moreretur Iason. etiam vehementius optat, quam ut in alienam terram missus esset; eodem pertinet particula *tandem*, quae ad vehementiorem animi commotionem exprimendam quamquam plerumque in interrogationibus poni solet, interdum tamen in aliis enuntiatis reperitur, cfr. symb. mea Plaut. p. 89 seq.; denique *non* particula scribitur pro usitatiore *ne* ut I, 810; II, 142 et paullo infra v. 140.

136. *sidereo — de sanguine* i. e. divino, ut *sidereae animae* Sil. II, 696; *sid. natus* (i. e. inter deos receptus) III, 629; *sid. manus* (Christi) Sedul. pasch. c. IV, 103; Coripp. Ioh. I, 260 *siderea pepla*.

139. *aut* Vat., *at* ed. Bon.; *redeat*: Apoll. III, 468 οἶκαδε νοστήσειε φυγὼν μόρον; *quocunque modo* i. e. sive superatis laboribus sive non susceptis; *meque ista precari nesciat*: contrarium fere optat Medea apud Apoll. l. l.: εἰ δέ μιν αἶσα δμηθῆναι ὑπὸ βουσί, τόδε προπάροιθε δαείη, οὕνεκεν οὔ οἱ ἔγωγε κακῇ ἐπαγαίομαι ἄτῃ. Sine causa necessaria consentientes fecit Baehrens poetas in ann. Burs. VI, 154 scribendo *resciat*.

141. *graves — artus*; cfr. *graves oculos* IV, 18.

142. Cum Medea somniis vexata cfr. Didonem apud Verg. Aen. IV, 465 et Medeam ipsam apud Apoll. III, 616 seqq.

143. *supplex hinc sternitur hospes, hinc pater*; in somniis videre sibi visa est Medea Iasonem implorantem auxilium, contra patrem

Digitized by Google

hinc pater. illa nova rumpit formidine somnos
erigiturque toro; famulas carosque penates
agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes:
turbidus ut Poenis caecisque pavoribus ensem
corripit et saevae ferit agmina matris Orestes;
ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli;
atque iterum incestae se fervere caede Lacaenae
credit agens, falsaque redit de strage dearum
fessus et in miserae conlabitur ore sororis.
His ubi nequiquam nutantem Colchida curis

precantem, ne Iasoni auxilium ferat; etiam aliud per somnum eam vidisse apparet ex v. 146.

147. Ex somno excitata Medea eodem modo rerum veritatem agnoscit atque Orestes, cum Furiis agitari desiit; de *Poenis* cfr. ad I, 797; comitantur matrem, quam conspicere sibi videtur Orestes, vid. Verg. Aen. IV, 471; de substantivo *agmina* cfr. ad II, 227 dicta.

149. *ira* a deis ad flagella, quibus utuntur, transfertur; similia sunt exempla ad I, 109 collata.

150. *infestae* Vat., *incestae* Dom. Marius.

fervere caede: Verg. Aen. IX, 693.

151. De participio *agens* cfr. ad IV, 111; attractione, quae dicitur, hoc loco nominativus positus est pro accusativo *agentem*, etiam apertius id fit infra v. 309 *videt externo se prodere patrem dura viro*.

152. *ora* Vat., *ore* Koestlin Philol. 39 p. 45: in conspectu sororis collabitur Orestes.

153 seqq. poeta omnia fecit, ut virgo culpa videatur prorsus vacare, cum iam victrix Iunoni resistat tandemque coniunctis demum Iunonis et Veneris viribus succumbat quidem, sed vix succumbat atque post satis acrem Veneris contentionem, cfr. 292 seqq., 306 seqq., quamquam vim Veneris summam esse indicatur v. 193, cfr. etiam 182 seqq. Multo brevius simpliciusque, sed etiam imbecillitati hominum accommodatius hanc rem tractavit Apollonius, apud quem sagitta Cupidinis Medea vulneratur, deinde per sororem Chalciopen a filio Argo submissam rogatur, ut Iasoni opem ferat; Chalciope autem facile hoc munus in se recipit, cum suis filiis metuat ne Aeetes exitium paret III, 609 seqq.; 681 seqq. Contra apud Valerium verae Chalciopes sunt partes nullae.

159. *nequiquam nutantem* i. e. ita, ut id, quod vult Iuno, nondum efficiatur.

Digitized by Google

Iuno videt necdum extremo parere furori,
non iam mentitae vultum vocemque resumit
Chalciopes. quando ardor hebet propiorque pudori
mensque obnixa malo, tenues sublimis in auras
tollitur et fulvo Venerem vestigat Olympo.
'Sum memor, ut sis hunc mecum partita laborem;
illa nimis sed dura manet conversaque in iram
et furias (dolet ah!) me non decepta reliquit.
i, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
vince, procax patriis ut tandem evadere tectis
audeat atque meum casu defendere ab omni

---

155. *mentitae — Chalciopes,* ut *mentita tela* Verg. Aen. II, 422; et activa significatione Sil. II. 637 *Eurymedon fratrem et fratrem mentite Lycorma.*

156. *leviorque* Vat., *propiorque* scripsi.

157. *mensque obnixa malo*; *que* particula traicitur, cum dicendum fuerit 'propior pudori obnixaque malo mens est'; cfr. ad I, 844.

158. *fulvus* Olympus dicitur propter splendorem siderum, sicut *sidera* ipsa *fulva* apud Tibull. II, 1, 88.

159. *tecum* Vat., *mecum sis hunc* Phil. Wagner.

161. *dolet ac me nunc decepta reliquit* Vat., sed quomodo quis in iram et furias conversus satis recte dolere dici possit, non video, neque decepta est Medea ab Iunone; scripsi igitur Schenkelium secutus *non decepta*, praeterea *dolet ah!* sc. mihi, Iunoni.

163. *vince precor* Vat., *vince procax* Sandstroem emend. p. 39; non solum propter repetitionem *precor* ferri non potest, sed omnino ad imperativum, qualis est *vince*, addere non licet: potest aliquis rogari ut pugnet, non potest, ut vincat: at prorsus falso illud *procax* auctor coniecturae ad Venerem rettulit, cum referre deberet ad Medeam.

amorem vince i. e. vincendo in Medea excita, effice amorem sc. Iasonis; in prosa dicitur *iudicium vincere* Cic. in Verr. act. II, 1, 139; amor quasi pretium est, quod vincenti datur; cfr. Suet. Aug. 71 — *vicissem vel quinquaginta millia* 'ich hätte gewonnen', et ad I, 248; hoc autem Iasonis amore *frustratur* Medea Iunonem, i. e. ei negat, non dat.

evadere tectis audeat; audeat clam domo exire, quamquam periculum est, ne pater eam exeuntem deprehendat.

Digitized by Google

Aesoniden. quin immo sacro, quo freta, veneno
illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro)
vellera tot spiris circum, tot ductibus implet,
fallat et in somnos ingenti solvat ab orno.
haec tibi: nam Furiis atque ipsi cetera mando'.
Tum Venus aligerum mater sic fatur Amorum:
'nec tibi, cum primos adgressa es flectere sensus
virginis ignotaque animum contingere cura,
defuimus, data continuo sed cingula soli
nostra tibi, quis mota loco labefactaque cessit.
haut satis est, sed me ipsa opus, et cunctantia poscunt
pectora me dubiusque pudor: iam foedera faxo
Aesonii petat ipsa viri metuatque morari.

---

165. *sacrum* venenum dicitur propter vim, quam habet, ortam artibus magicis ope divina Hecates; cfr. etiam infra 358; Ov. met. II, 122; Nemes. Cyneg. 42 *Colchidos iratae sacris imbuta venenis Munera.*

quin illa Vat., *quin immo* scripsi.

167. *respice porro* i. e. procul, ut Plaut. Rud. 1034; Verg. Aen. VI, 711.

169. *solvat* Vat., *fallat* Loehbach stud. p. 13 coll. VIII, 75 seqq.

in somnos — solvat: Ov. met. VII, 253 *in plenos resolutum carmine somnos.*

170. *cetera mando:* intellegenda sunt, quae raptum velleris sequebantur, imprimis fuga Medeae et caedes Absyrti; de verbis cfr. Ov. met. II, 140 *fortunae cetera mando.*

171. *aligerum mater — Amorum*, vid. VI, 457. Ceterum iam Ovidius Venerem matrem Amorum nominavit am. III, 15, 1; fast. IV, 1 (*geminorum — Amorum*).

172. Ita incipit poeta, quasi sequeretur in versu 176 'neque nunc tibi deero'.

174. *sed* om. Vat., add. cod. Carr.

176. *poscunt pectora me* i. e. meam operam; sic saepius poetae, ut infra v. 316; Verg. Aen. VIII, 533; Hor. c. I, 32, 1; Ov. met. II, 144; IV, 274; V, 333; XV, 609; fast. IV, 722; Stat. Ach. I, 474.

178. *Aesonii — viri* i. e. Thessalici, vid. ad III, 284.

tu face luciferae citus ad delubra Dianae
deveniat, sacras solita est ubi fundere taedas
Colchis et aequali dominae lustrare caterva.
nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
impediat ne coepta time. quin audeat opto:
continuo transibit amor, cantuque trilingui
ipsam flammiferos cogam compescere tauros
amplexumque pati'. . . . . .
. . . . . .
. . . . . volucrem tunc advocat Irin

---

metuatque morari fere idem ac 'nolit morari'; cfr. Verg. georg. I, 246 *arctos Oceani metuentis aequore tingui*; Hor. c. II, 2, 7 *penna metuente solvi*; IV, 5, 20 *culpari metuit fides.*

179. *lucifera Diana* est dea lunae, quae eadem Hecate, vid. ad v. 395.

180. *fundere taedas* dubitanter, sed, ut videtur, recte Burm. explicavit 'lumen taedarum fundere', i. e. sacra deae facere nocturna taedis adhibitis, cfr. ad V, 348.

181. *aequali — caterva:* Verg. Aen. X, 194; Val. VI, 497; de ablativo cfr. III, 432.

dominam lustrare Vat., sed lustrandi verbum cum prorsus incredibile sit Valerium posuisse pro placandi, *dominae* scripsi, cfr. Verg. Aen. III, 279 *lustramurque Iovi*; Gratt. cyneg. 491 seq. *tota iuventus lustraturque deae* e. q. s.

182. *nec — subeat*; vid. ad I, 175.

184. *continuo transibit amor*, sc. a Medea ad Hecaten, ut dea ipsa Iasoni auxilio veniat eiusque amplexum patiatur.

Minime apte *cantum* Hecates *trilinguem* nominavit poeta: dea enim ipsa sane triformis est, de qua re vid. ad 395, sed uniuscuiusque formae vis est propria atque carmine magico non utuntur tres deae formae, sed una Hecates tantum.

185. *volucrem tunc aspicit Irin* Vat. Non solum deest subiectum ad verbum *aspicit*, quare Burmannum secuti recentiores *Iuno* ediderunt pro particula *tunc*, sed omnino desideratur responsum Iunonis, quod iam is intellexit, qui versus interpolavit a Pio allatos. Signavi lacunam inter *pati* et *volucrem*; neque *aspicit* ferri potest: scripsi *advocat.*

Digitized by Goog

festinamque iubet monitis parere Diones
et iuvenem Aesonium praedicto sistere luco.
protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit
Colchida; Caucaseis speculatrix Iuno resedit
rupibus, attonitos Aeaea in moenia vultus
speque metuque tenens et adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus prospexerat arces,
virginis ecce novus mentem perstringere fervor
incipit; ingeminant commotis questibus aestus.
ergo iterum sensus varios super hospite volvens
maeret et absenti nequiquam talia fatur:
'o tibi Thessalicis nunc si tua forte venenis
mater et heu, siqua est, posset succurrere coniunx!
quidne tuos virgo possim nisi flere labores?
ei mihi! vel casus etiam spectare supremos

187. *festinansque* Vat., *festinamque* cod. Carr. *Dione* saepius apud poetas ipsa Venus vocatur, velut Ov. fast. II, 461; V, 309 al.

188. *praedicto luco*; i. e. quem antea Iridi significaverat.

Apud Ovid. met. VII, 74 seqq. forte Medea Iasonem in luco convenit.

189. *Iris Minyas — petivit*, qui responso ab Aeeta dato in navem reverterant cum Iasone, cfr. 102.

192. *ignara futuri*: Verg. Aen. IV, 508.

194. *languor* Vat., sed notio prorsus contraria desideratur; dum aliquid melius reperietur, interim scripsi *fervor*.

195. *ingeminant — aestus* i. e. duplicantur; cfr. Verg. georg. I, 333; Aen. III, 199; IV, 531; V, 227; Lucil. Aetnae 323.

198. *si* Vat., *o* Schenkl.

200. *quidve* Vat., *quidne* Baehrens. Nonnullis locis ad pronomen interrogativum *ne* particula addita reperitur: Hor. sat. II, 2, 107 *uterne fidet?*; II, 3, 295 *quone malo mentem concussa?*; 317 *quantane?*; Luc. VII, 301 *quone poli motu* e. q. s.? X, 99 *quantosne tumores mente gerit!*

201. Pro hoc versu in Vat. hi duo reperiuntur:

hoc satis ipse etiam spectare supremos.

ei mihi necasus etiam spectare supraemos, quorum prior addito *casus* substantivo ab editoribus receptus est, altero eiecto; equidem hunc servavi mutato *necasus* in *vel casus*; cfr. Koestlin Philol. 48, 648.

Digitized by Google

atque iterum durae cogar comes ire sorori?
et nunc ille sua non quemquam sorte moveri,
non ullum meminisse putat, cumque omnibus odit
me quoque. siquando fuerit tamen ulla potestas,
illum ego, qui diris cinis ultimus haeserit arvis,
ossaque, quis tauri saevusque pepercerit ignis,
componam sedemque dabo. fas tunc mihi manes
dilexisse viri tumuloque has reddere curas'.
Dixerat. ecce toro Venus improvisa resedit,
sicut erat mutata deam mentitaque pictis
vestibus et magica Circen Titanida virga.
illa velut lenti fallatur imagine somni,
hic oculos incerta tenet magnique sororem
paulatim putat esse patris; tum flebile gaudens
prosiluit saevaeque ultro tulit oscula divae,
ac prior: 'o tandem, vix tandem reddita Circe
dura tuis, quae te biiugis serpentibus egit
hinc fuga? quaeve fuit patriis mora gratior oris?

---

202. *iterum — comes ire*; vid. VI, 482 seqq.

209. *reddere curas*, tanquam debitas impendere.

211. *sicut erat* i. e. eā formā qua intrabat; *mutata deam*, vid. praef. cap. III.

mentita, eadem significatione, sed passive supra v. 155.

212. *Titanis* Circe nominatur ut filia Solis, de qua re fere omnes scriptores inde ab Homero consentiunt, ut Od. X, 136 seqq.; Hes. theog. 956; Hyg. fab. p. 12 et fab. 199; Apoll. IV, 589; Mart. VIII, 36, 10 al. Mirum igitur, quod apud Diod. IV, 45 eam legimus esse filiam Aeetae et Hecates, cuius narrationis auctorem affert Dionysium Milesium schol. Apoll. III, 200; 242.

214. *oculos — tenet*, vide ad v. 30.

215. *paullatim putat*: quod fere fit, cum ex gravi somno expergiscimur, ut non statim omnia, quae circum nos sunt, plane cognoscamus.

flebile gaudens: Hom. Il. VI, 484 δακρυόεν γελάσασα; Stat. Theb. XII, 426 *flebile gavisae.*

219. Apoll. III, 309 Circam curru Solis patris in Tyrrheniam avectam esse commemoravit; huius fabulae auctorem schol. l. l. Hesiodum nominat; cfr. Diod. IV, 45.

Digitized by Google

ante et Thessalicae Phasin petiere carinae
perque tot infelix frustra vada venit Iason,
quam patriae te movit amor'. tum cetera rumpit
occurritque Venus: 'tu nunc mihi causa viarum
sola: tuae venio iam pridem gnara iuventae;
cetera parce queri, neu me meliora secutam
argue; quippe (ut iam reputentur munera divum)
omnibus hunc potius communem animantibus orbem
communes et crede deos. patriam inde vocato,
qua redit itque dies. nec nos, o nata, malignus
cluserit hoc uno semper sub frigore Pontus.
fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.
et nunc Ausonii coniunx ego regia Pici,
nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris,
meque vides Tusci dominam maris. at tibi quinam
Sauromatae, miseranda, proci? cui vadis Hibero
(ei mihi!) vel saevo coniunx non una Gelono?'

---

224. *ignava* Vat., *gnara* Burmann.

226. *quippe etiam repetentur munera divum* Vat., prorsus inepta sententia; *quippe ut iam reputentur m. d.* Heinsius, qua coniectura sanam restituit sententiam, sed sermo prosaicus valde displicet.

227. *potius — crede* sc. quam ut credas, certas cuique genti terrae partes habitationi datas esse.

229. *qua redit itque dies:* saepius invenitur *itque reditque*, cfr. ad I, 725. *dies* i. e. sol, cfr. ad I. 505.

natam Circe Medeam appellat, ut haec illam *matrem* v. 242.

230. *mensis* Vat., *Pontus* Thilo in annotatione; Summers proposuit *maligna — cluseris — mente.*

231. *habiles — Colchos* i. e. quibus facile utaris; sic de hominibus dicitur etiam Hor. c. III, 19, 24; Ov. am. I, 8, 40.

232. *coniunx ego regia Pici*; Circe uxor Pici dicitur, mater Fauni, avia Latini, cfr. Verg. Aen. XII, 164 coll. VII, 47 et 189; in avem propter spretum amorem Picum a Circa mutatum esse saepius narratur; cfr. Verg. Aen. VII, 189, et Serv. ad hunc locum; Ov. met. XIV, 320 seqq.; myth. Vat. I, 182; II, 213; Sil. VIII, 439 seqq.; Plut. quaest. Rom. 21.

233. Sine dubio Valerio obversatus est locus Verg. georg. II, 140 seq. *haec loca* (Italia) *non tauri spirantes naribus ignem Invertere satis immanis dentibus hydri.*

Digitized by Google

Illa deae contra iamdudum spernere voces;
'non ita me immemorem magnae Perseidos' inquit
'cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
i, precor, atque illum pro me dimitte timorem.
sed magis his miseram, quando potes, eripe curis,
unde metus aestusque mihi, quaeque aspera, mater,
perpetior dubiae iamdudum incendia mentis.
nulla quies animo, nullus sopor alligat artus.
quaere malis nostris requiem mentemque repone,
redde diem noctemque mihi, da prendere vestes
somniferas istaque oculos componere virga.
tu quoque nil, mater, prodes mihi; fortior ante

---

237. *iamdudum* i. e. statim, cfr. ad III, 235; *deae — spernere voces* i. e. improbare.

238. *Perseis* quae sit, admodum inter se dissentiunt interpretes, alius putat matrem, alius aviam Medeae, Wagner Circen, cuius mater Perse est apud Apoll. IV, 589; Hom. Od. X, 139; Hyg. fab. p. 12; vel Perseis Hes. Theog. 957; Hyg. fab. 156; Apollod. I, 9, 1, 6. Longe autem probabilissimum est, Hecaten intellegi, cum Medea dicere velit, se non frustra ab Hecate artes magicas didicisse; de Hecate Perseide cfr. ad VI, 495.

240. *i precor atque — dimitte* fere idem quod 'age precor dimitte'; cfr. Hor. ep. I, 6, 17; II, 2, 76; nisi quod cum ironia quadam dicitur apud hunc poetam.

unum Vat., *illum* Loehbach stud. p. 13.

241. *magis* pro eo quod est *potius*, cfr. ad V, 563.

242. *mater*, vid. ad V, 353.

243. *durae* Vat., *dubiae* Burm.; *incendia mentis*: Catull. 64, 226.

244. *sopor arida* Vat. versu mutilato; varia ad lacunam explendam temptata sunt, sed optimam sententiam habet coniectura Kochii coniect. p. 22, qui confert I, 48; quare eam recepi.

246. Fingit poeta *vestes somniferas*, quas petit Medea, Circae proprias esse; virga eius nota ex Homero, sed qua virorum formas mutet, non eos soporet.

247. *ipsaque* Vat., *istaque* Phil. Wagner, i. e. virga, quam in manibus habes.

248. Iam sentit Medea vim Veneris.

fortior ante sola fui: Ov. met. VII, 76 *et iam fortis erat* (Medea).

Digitized by Google

sola fui. tristes thalamos infestaque cerno
omnia, vipereos ipsi tibi surgere crines'.
talia verba dabat conlapsaque flebat iniquae
in Veneris Medea sinus pestemque latentem
ossibus atque imi monstrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus et furialia figit
oscula permixtumque odiis inspirat amorem.
dumque illam variis maerentem vocibus ambit
inque alio sermone tenet, 'quin hoc' ait 'audi
atque attolle genas', lacrimisque haec infit obortis:
'cum levis Hesperiis ad te modo laberer oris,
forte ratem primo fugientem litore cerno,
qualem nostra suo numquam dimittere portu

---

252. *pestis* de exitioso amore legitur etiam apud Verg. Aen. I, 712; Catull. 76, 20.

254. *furialia — oscula*; de adiectivo vid. ad VI, 670 et de sententia tota Verg. Aen. I, 687.

255. *permixtumque odiis* sc. in omnia, quae adhuc amaverat, et patriam et parentem et sponsum.

256. *vocibus ambit*: Verg. Aen. IV, 283.

258. *attolle genas*; genae hoc loco pro toto capite ponuntur; aliter se res habet VIII, 164; cfr. Ov. met. IV, 144 *vultusque attolle iacentes.*

haec infit; fere semper *infit* sine accusativo ponitur; *talibus infit* I, 666; II, 611; VIII, 414; Verg. Aen. X, 860; Sil. XVI. 139; cfr. etiam Sil. I, 477; XII, 67; accusativo coniunctum legitur hoc loco excepto apud solos posteriores poetas: Prud. apoth. 585; Claud. Mar. Vict. Aleth. III, 246; Iuvenc. I, 57; Coripp. laud. Iust. II, 51.

259. *asperis* Vat., *Hesperiis* Koestlin. Phil. 39, 60; *auris* Vat., *oris* ego.

260. *fugientem* i. e. quae fugiebat, de conatu dictum: sic enim fingit Circe simulata; cfr. ad VI, 409.

261 seq. gravi dubitationi obnoxii sunt. Non dicam Argonem omnino primam navem fuisse, id quod Valerius nullo alio loco oblitus est, neque alios tum nautas fuisse nisi ipsos Argonautas, quomodo quaeso inter se conciliari possunt, quae dicit Circe, velle insulam, quae omnes nautas detineat,

vellet adhuc omnes quae detinet insula nautas.
unus ibi ante alios qui tum mihi pulchrior omnis
visus erat (longeque ducem mirabar) ad ipsam
advolat, atque unam comitum ratus esse tuarum
'per tibi siquis' ait 'morituri protinus horror,
et quem non meritis videas occurrere monstris,
haec precor, haec dominae referas ad virginis aurem;
tu fletus ostende meos; illi has ego voces,
qua datur, hasque manus, ut possum, a litore tendo.
ipsae, quas mecum per mille pericula traxi,
defecere deae; spes et via sola salutis,
quam dederit, si forte dabit. ne vota repellat,
ne mea; totque animas, qualis nec viderit ultra,
dic, precor, auxilio iuvet atque haec nomina servet.
ei mihi, quod nullas hic possum exsolvere grates!
ut tamen hoc saeva corpus de morte receptum,
hanc animam sciat esse suam. miserebitur ergo?
dic', ait, 'an potius?' — strictumque ruebat in ensem.

talem nautam non dimittere? Nonne potius dicendum erat, omnes ceteros nautas dimissos esse, hunc nunquam dimissuram insulam? At haec sententia pugnat cum fabula tradita. Re vera enim naves detinebantur, cum nautae in bestias mutati essent. Neque licet uti loco Apoll. III, 340 ad verba Valerii explicanda. Sed cum locus nondum probabili coniectura sanatus sit, eum intactum reliqui.

264. *et ipsa* Vat., *ad ipsam* ego; adderem *me* ad *advolat*, nisi inusitata esset Valerio talis synaloephe.

266. *per tibi siquis — horror*; cfr. de hac obsecrationis formula Verg. Aen. II, 142; VI, 459; X, 597; 903; XII, 56; Ov. met. VII, 854.

268. Verg. Aen. VI, 621.

273. Verg. Aen. II, 136.

274. *qualis nec viderit ultra* i. e. ne viderit quidem, nedum socii facti sint vel amici; de *nec* particula cfr. ad IV, 200.

276—283 in codicibus leguntur post 291, quos huc transponendos esse vidit Thilo.

277. *ut — sciat* fere idem atque *scito*; cfr. Plaut. Capt. 115; Stich. 106; Ter. Adelph. 280.

Digitized by Google

promisi; ne falle, precor. cumque ipsa moverer
adloquio casuque viri, te passa rogari
sum potius; tu laude nova, tu supplice digno
dignior es; sat fama meis iam parta venenis.
si Pelopis duros prior Hippodamia labores
expediit totque ora simul vulgata procorum
respiciens tandem patrios exhorruit axes,
si dedit ipsa neci fratrem Minoia virgo,
cur non hospitibus fas sit succurrere dignis
te quoque et Aeaeos iubeas mitescere campos?
occidat aeterna tandem Cadmeia morte
iam seges et viso fumantes hospite tauri'.
Torserat illa gravi iamdudum lumina vultu
vix animos dextramque tenens, quin ipsa loquentis
iret in ora deae; tanta pudor aestuat ira.
iamque toro trepidas infelix obruit aures,
verba cavens, horror molles invaserat annos.
nec quo ferre fugam, nec quo se vertere posset

---

283. *et* Vat., *sat* Heinsius; *famame istam* Vat., *fama meis iam* cod. Carr.

284. Fraude Hippodamiae Pelopem amantis pater Oenomaus in curruum certamine victus est, cfr. Prelleri gr. mythol. II³, 385 annot. 2.

285. *ora — vulgata* i. e. vulgo, in publico proposita; de re cfr. Prell. l. l.

287. *dedit — neci* i. e. obtulit neci (Minotaurum). Eodem exemplo utitur apud Apoll. III, 998 Iason in colloquio cum Medea habito.

294. *iret in ora deae*; vitavit poeta in re foeda vulgatum sermonem, nam dicitur *involare* in ora, in oculos, in capillum; eodem verbo usus est VIII, 151 seq.; cfr. etiam Ov. am. I, 7, 64; II, 5, 46.

295 et 296 inverso ordine in libris traduntur; correxit Meyncke.

295. *toro obruit aures* i. e. quasi mergit.

296. *molles — annos* i. e. teneros, de prima iuventute dictum, cfr. Ov. artis I, 10; her. I, 111; trist. III, 4, 43.

297. *ferre fugam*; cfr. ad II, 282.

Digitized by Google

prensa videt; rupta condi tellure premique
iamdudum cupit ac diras evadere voces.
Illa sequi iubet et portis expectat in ipsis.
saevus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
deserit infectis per roscida cornua vittis,
cum tenet ille deum pudibundaque tegmina matris
tympanaque et mollem subito miser accipit hastam;
haud aliter deserta pavet perque omnia circum
fert oculos tectisque negat procedere virgo.
contra saevus amor, contra periturus Iason
urguet et auditae crescunt in pectore voces.
heu quid agat? videt externo se prodere patrem
dura viro, famam scelerum iamque ipsa suorum

301 seqq. De re cfr. Eurip. Bacch. 472 seqq.; 821 seqq.; 912 seqq.; apud Euripidem Bacchus Pentheum in aula non deserit.

302. *infectis per roscida cornua vittis*; verba obscurissima nequedum satis explicata. Antiquiores scribunt *iniectis — vinclis* coll. Eurip. Bacch. 505, quae rupit vi divina Bacchus Bacch. 604 seqq., 642 seqq.; sed ad hanc explicationem non quadrant, quae Valerius dicit v. 303 seq.; Koestlinus Phil. 48, 669 cornua ipsius Penthei intellegit coll. III, 264; sed prorsus aliud est, Pentheum ornari tanquam Baccham, aliud eum apparere matri indutum figura tauri; Schenkl studiorum p. 367 haec habet 'Valerius erhöht das Wunder dadurch, dass er aus den Hörnern des Bacchus Wein über die Stirnbinde herabthauen lässt'. Quamquam haec explicatio non pugnat cum ceteris, quae apud poetam leguntur, tamen non satis intellegitur, cur haec potissimum addita sint narrationi, qua Bacchus Pentheum deseruisse dicitur. Neque haec dubitatio prorsus tollitur coniectura Burii Hermathen. VIII, 415 *innexis per rosc. c. v.*

303. *tenet ille deum* i. e. plenus est deo; *patris* Vat., *matris* Heinsius.

304. *mollis hasta* est thyrsus.

306. *negat procedere* sc. se, vid. ad II, 10.

308. *implet ore* Vat., *in pectore* ed. Bon. et Ald.

310 seqq. aptissimis ad miserationem coloribus Valerius summam Medeae desperationem depingit.

De collocatione *que* particulae cfr. ad I, 49; et de *dura* nominativo ad VII, 151.

Digitized by Google

prospicit, et questu superos questuque fatigat
Tartara; pulsat humum, manibusque immurmurat uncis
noctis eram Ditemque ciens, succurrere tandem
morte velint ipsumque simul demittere leto,
quem propter furit; absentem saevissima poscit
nunc Pelian, tanta iuvenem qui perderet ira,
saepe suas misero promittere destinat artes,
dein negat et cruda potius desaevit in ira;
ac neque tam turpi cessuram semper amori
proclamat neque opem ignoto viresque daturam;
atque toro proiecta manet, cum visa vocari
rursus et impulso sonuerunt cardine postes.
Ergo ubi nescio quo penitus se numine vinci
sentit et abscisum, quidquid pudor ante monebat,
tum thalami penetrale petit, quae maxima norat

312. *pulsat humum*, cum invocet deos inferos; cfr. Hom. Il. IX, 568 seq.

314. *dimittere* Vat., *demittere* ed. Bon. et. Ald.; recte Wagner 'est' inquit 'amoris significatio, uti Horatii illud carm. III, 9, 24 *tecum vivere amem, tecum obeam libens*'; *demittere leto* ex Verg. expressum est Aen. II, 85; V, 692; X, 664; etiam Sil. hoc habet a Vergilio XII, 468; tunc Stat. Theb. I, 659; VI, 736; cfr. Ov. met. VII, 606; culicis 188.

316. *nunc Pelian*; sequi debebat *n u n c suas misero* e. q. s., pro quo *saepe* scripsit poeta.

poscit Pelian, exposcit, deposcit sc. ad poenam, ultionem; cfr. Sil. I, 677 *poscendum poenae iuvenem*; II, 44 *poscimur, o socii*; IV, 32 *nec poscitur auctor.*

318. *denegat* Vat., *dein negat* Dorvillius, ut haec exsistat oratio: 'nunc poscit, nunc destinat, nunc negat'.

atque una Vat., *et cruda* ego; *decernit* Vat., *desaevit* ego: in ira potius desaevit, quam ut Iasoni auxilium ferre velit.

319. *ac nequeat* Vat., *ac neque tam* cod. Carr.; immerito pronomen *se* desideravit Loehbach; vid. supra 306.

322—359 desunt in Vaticano.

De Medeae angoribus et dubitationibus cfr. Apoll. III, 765 seqq.; 802 seqq.

325. *thalami penetrale* id est, quod thalami *secretam partem* nominat Stat. Theb. VIII, 608.

Digitized by Google

auxilia Haemoniae quaerens pro rege carinae.
utque procul magicis spirantia tecta venenis
et saevae patuere fores, oblataque contra
omnia, quae Ponto, quae manibus eruit imis
et quae sanguineo lunae destrinxit ab ore,
'tune sequeris' ait 'quidquam aut patiere pudendum,
cum tibi tot mortes scelerisque brevissima tanti
effugia?' haec dicens, qua non velocior ulla
pestis erat toto nequiquam lumine lustrat,
cunctaturque super morituraque colligit iras:

329 *quae Ponto, quae manibus eruit imis*; Verg. ecl. VIII, 95 *haec Ponto mihi lecta venena Ipse dedit Moeris, nascuntur plurima Ponto. manibus imis* i. e. sepulcris.

330. *sanguinea lunam distrinxit ab ira* codd.; *sanguineo — ab ore* Heins.; *destrinxit* Burm.; *lunae* ed. Ald. et Bon.; de re cfr. ad VI, 447.

331. Rursus Medea haeret incerta, quid faciat.

333. *velocius* codd., *velocior* Dorvillius.

334. *pestiferam* codd., *pestis erat* Dorvillius; *pestis* de acri veneno legitur etiam Sen. Med. 720.

toto — lumine i. e. mit der ganzen Kraft der Augen; cfr. Sen. Phoen. 155 *nunc toto impetu, toto dolore, viribus totis veni*; Cat. 64, 69 *toto ex te pectore, Theseu, Toto animo, tota pendebat perdita mente*; Ov. fast. VI, 464 *nec populum toto pectore festa iuvant.*

nequidquam lustrat: vi divina Medea prohibetur, quominus venena letifera, quae ad mortem sibi consciscendam quaerit, invenire possit.

335. Iam ipsa quoque cunctatur sententia rursus mutata.

colligit iras ambigue dictum. Si interpretamur secundum usitatam notionem, quae multis poetarum locis confirmatur, velut Lucr. I, 723.; Lucan. I, 207; II, 93; Val. II, 354; Hor. artis p. 160; Verg. Aen. IX, 63; Ov. met. I, 234; III, 258; IX, 212, ut significetur iram augeri, Medeam statuendum est sibi ipsam irasci, quod mori voluerit 'sese mirata furentem est'; sed propter haec ipsa verba et vocem cunctandi et v. 336 sententiae multo accommodatius videtur, ut dicamus Medeae iram morte propinqua iam evanescere amoremque vitae redire: itaque *iram colligere* idem valet atque *cohibere*, cfr. Sil. IX, 477 *ni desistis — nec colligis iram, Aegida praecellant quantum*

Digitized by Google

(o nimium iucunda dies, quam cara sub ipsa
morte magis!) stetit et sese mirata furentem est.
'occidis heu! primo potes hoc durare sub aevo?'
'nec tu lucis' ait, 'nec videris ulla iuventae
gaudia, nec dulces fratris pubescere malas?
hunc quoque, quicunque est, crudelis, Iasona nescis
morte perire tua, qui te nunc invocat unam,
qui rogat, te nostro qui primam in litore vidit?
cur tibi fallaces placuit coniungere dextras
tunc, pater, atque istis iuvenem non perdere monstris
protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.
testor cara tuas, Circe Titania, voces,
te ducente sequor, tua me grandaeva fatigant
consilia et monitis cedo minor'. haec ubi fata,
rursus ad Haemonii iuvenis curamque metumque
vertitur; hunc solum propter seu vivere gaudens,
sive mori, quodcumque velit, maiora precatur

---

horrida fulmina, nosces; similiter dicuntur *gradum, hastam, gressum, equos colligere.*

336. Hic versus cum parte insequentis per parenthesin ex sententia poetae ipsius dictus est; de collocatione *magis* particulae cfr. ad III, 271.

337. *et* om. Monac., add. Vat. saeculi XV.

338. *hoc durare;* cfr. *laborem durare* Verg. Aen. VIII, 577; *aequor d.* Hor. c. I, 14, 7; *vias* Stat. silv. V, 2, 153.

339. *videris* sc. antequam morieris.

341. *qui nunc est* codd., *quicumque est* Koch coniect. p. 22.
Ex amore vitae Medea in amorem Iasonis relabitur.

343. *et nostro quem primum in litore vidi* codd., *Te nostro qui primam in litore vidit* ego; quod Medea Iasonem in litore primum viderit, omnino nihil refert, sed illud, quod Medea prima fuit, quam Iason conspexerit et rogaverit. Neque prima persona verbi *vidi* probari potest in ea sententia, qua se ipsa alloquatur Medea.

344. *coniungere dextras*: Verg. Aen. I, 514.

352. *maiora precatur carmina*, quae maiorem vim habeant, cfr. VIII, 74; *fulmen maius* Ov. am. II, 1, 20; *maior Apollo* Stat. Ach. VIII, 374; *ista canat maiore deo* Colum. X, 217.

Digitized by Google

carmina, maiores Hecaten immittere vires
nunc sibi, nec notis stabat contenta venenis.
cingitur inde sinus, et qua sibi fida magis vis
nulla, Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucaseum promit nutritaque gramina ventis,
quae sacer ille nives inter tristesque pruinas
durat alitque cruor, cum viscere vultur adeso
tollitur e scopulis et rostro inrorat aperto.
idem nec longi languescit finibus aevi
immortale virens, idem stat fulmina contra
salvus et in mediis florescunt ignibus herbae.
prima Hecate Stygiis duratum fontibus harpen
intulit et validas scopulis effodit aristas;
mox famulae monstrata seges, quae lampade Phoebes
sub decima iuga feta metit saevitque per omnes
relliquias saniemque dei; gemit irritus ille

353. Precandi verbum raro cum infinitivo coniungitur, ut rogandi v. 379; orandi III, 446; cfr. Catull. 35, 10; Ov. her. V, 158; VI, 144; artis I, 433; ex Pont. I, 7, 6; Tibull. II, 5, 3.

354. *notis stabat contenta venenis* dictum videtur ut *stare opinione dictis promissis foedere* al.

355. *cingitur — sinus*: Apoll. III, 866 seq. τό ῥ' ἥγ' ἐξανελοῦσα θυώδεϊ κάτθετο μίτρῃ, ἥτε οἱ ἀμβροσίοισι περὶ στήθεσσιν ἔερτο.

356 seqq. herba floribus ornata significatur efficacissima, nutrita ventis Caucasi et sanguine Promethei; cfr. Apoll. III, 844 et 850 seqq.; Sen. Med. 709; Plut. de fluv. 5, 4.

357. *ponti* Monac., *ventis* Haupt Hermae IV, 153.

359. *edique* Monac., *alitque* Bulaeus.

361. *idem* sc. flos, qui nunquam deflorescat quippe duratus sanguine Promethei; *nec longi* i. e. ne longi quidem, cfr. ad IV, 200.

363. *sangus* Vat., *salvus* Baehrens.

366. *lampade Phoebes*: de sole dicit Verg. Aen. III, 637 *Phoebeae lampadis instar*; vid. etiam IV, 6. *lampade sub decima*: sub decima nocte mensis, ut Lucr. VI, 1196 *nona lampas* nonum diem significat; omnino ad lunam tales herbae meti dicuntur Verg. Aen. IV, 513; aliae 'dum parat Phoebus diem', aliae alta nocte Sen. Med. 728 seq.

368. Ipse Prometheus tum nondum solutus gravi dolore vexatur, cum herbae eius sanguine duratae demetuntur, cfr. Apollon. III,

Digitized by Google

Colchidos ora tuens; totos tunc contrahit artus
forte dolor cunctaeque tremunt sub falce catenae.
  Talibus infelix contra sua regna venenis
induitur noctique tremens infertur opacae.
dat dextram vocemque Venus blandisque paventem
adloquiis iunctoque trahit per moenia passu.
qualis adhuc teneros supremum callida fetus

865. Conferre licet etiam notum illum locum Vergilii de Polydori caede et arboribus eius sanguine nutritis Aen. III, 22 seqq.

370. *monte* Vat., quod vix ferri posse puto, sed nihilo melior sententia evadit, cum scribimus aut *toto monte* aut *tota mente*; scripsi *forte* i. e. fortiter, cfr. Ov. rem. 397 *attrahe loca fortius*; 435 *attrahet ille puer contentos fortius arcus*; de neutro adiectivi tertiae declinationis pro adverbio posito cfr. ad II, 453 et IV, 507.

sub falce i. e. sub ictu falcis, cfr. *densas hastas* VI, 583.

371. *contra sua regna*, proprie patris regna.

372. *noctique — infertur opacae*: minus bene apud Apoll. orta luce Medea Iasoni auxilium ferre parat VI, 827 neque id satis aptum, quod poeta Graecus Medeam curru per urbem vectam narrat cum ancillis Iasoni venena daturam. Argus autem filius Phrixi, qui scit Medeam ad Hecates templum ituram, Iasonem eodem perducit; cfr. Volkmann 'über die Argonautica des Apoll. Rhodius' p. 7. Iasonis cum Medea congressum in pictura Pompeiana anno 1874 inventa descriptum esse putat Rossbach ann. instit. archaeol. Rom. VIII, p. 53 seq., cfr. etiam ad v. 395.

373. *blandique pavens vocem Venus qua* (superscripto *quos*) Vat., *vocemque Venus blandisque paventem* cod. Carr.; *dat dextram vocemque* figura zeugmatis dicitur, cfr. II, 169; VII, 293.

374. *moenia* hoc loco sunt ipsa urbis aedificia, ut infra 380; 538; Verg. Aen. II, 234; VI, 549; IX, 196; etiam in prosa oratione.

375. Comparatio ducta de ave, quae pullos volare docet, expressa ex Ovid. met. VIII, 213 seq., sed a Valerio pluribus verbis exornata; solita sibi superlatione *supremum in aera* dicit; de collocatione horum verborum vid. ad I, 284; *supremus aer* autem idem est atque summus, ut dicuntur *supremi montes* Lucr. I, 274; Verg. georg. IV, 460; Hor. epod. 17, 68; *arx* Claud. de tert. cons. Hon. 167; *cibi* (qui in piscando hamum abdunt) Ov. rem. 210.

pallida Vat., *callida* Iortinus apud Wagnerum; cur mater *pallida* nominetur, nulla est causa; callida (perita) est ad pullos docendos;

Digitized by Google

mater ab excelso produxit in aera nido
hortaturque sequi brevibusque insurgere pinnis,
illos caerulei primus ferit horror Olympi,
iamque redire rogant adsuetaque quaeritur arbor;
haud aliter caecae per moenia deficit urbis
incedens horretque domos Medea silentes.
hic iterum extremae nequiquam in limine portae
substitit atque iterum fletus animique soluti,
respexitque deam paulumque his vocibus haesit:
'ipse rogat certe meque ipse implorat Iason.
nullane culpa subest? labes non ulla pudoris,
nullus amor? nec turpe viro servire precanti?'
illa nihil contra vocesque abrumpit inanes.
et iam iam magico per opaca silentia Colchis
coeperat ire sono montanaque condere vultus
numina cumque suis averti collibus amnes;
iam stabulis gregibusque pavor strepitusque sepulcris
inciderat; stupet ipsa gravi nox tardior umbra.

---

cfr. Hor. c. III, 11, 4 *testudo resonare septem callida nervis*; sat. II, 3, 23; ep. I, 10, 26; Lucr. VI, 93.

376. *produxit;* de perfecto vide ad III, 738.

377. *hortaturque sequi*: Ov. met. VIII, 215.

378. *primus ferit horror*; *primus* scribitur pro adverbio primo, vid. ad III, 436.

382. *iterum — substitit*: primum substitit in limine domus v. 306.

382. *extremae — in limine portae* i. e. portae, quae extrema pars urbis est.

383. *fletus animique soluti;* cfr. Stat. Ach. II, 256 *lacrimas iam solvit.*

389. *magico — sono*, i. e. carmine magico, quod Medea murmurans dicit.

390. *monstrataque* Vat., *montanaque* Dorvillius.

391. Rursus nimia superlatione Valerius peccat, dum summam Medeae vim magicam nobis ante oculos proponere vult; cfr. VI, 443 et Apoll. III, 532.

393. *gravi nox tardior umbra;* noctem spissiore caligine quasi obvolutam tardius procedere poeta fingit.

iamque tremens longe sequitur Venus; utque sub altas
pervenere trabes divaeque triformis in umbram,
hic subito ante oculos nondum speratus Iason
emicuit, viditque prior conterrita virgo.
atque hic se profugam volucri Thaumantias ala
sustulit; inde Venus dextrae dilapsa tenenti.
obvius ut sera cum se sub nocte magistris
impingit pecorique pavor, qualesve profundum
per chaos occurrunt caecae sine vocibus umbrae:
haut secus in mediis noctis nemorisque tenebris

---

394. Ne eis quidem, quae antea de vi magica Medeae dixerat poeta, contentus vel Venerem ipsam trementem fingit eamque longe sequi; sane v. 399 rursus eam manu tenuisse Medeam docemur. Aliter nunc se gerit Venus, aliter locuta est supra 182 seqq.

395. Medea et Iason conveniunt in lucum Hecates; cfr. Ov. her. XII, 67 seqq., quem Dianae esse dicit Val. supra 179. De hoc Iasonis cum Medea congressu artis operibus efficto vid. Heydem. 'Iason in Kolchis' p. 3.

divaeque triformis; in monumentis Hecate triformis plerumque ita fingitur, ut habeat tria integra corpora expressa, rarius unum est corpus triplici capite et sex bracchiis praeditum vel hermae sunt cum solo triplici capite: Mueller-Wiesel. monum. II tab. 72; Gerhard ges. Abhandl. I, tab. XXXII, 1; 2; 3; archaeol.-epig. Mittheil. aus Oesterr. IV, 140 seqq.; V, 1 seqq.; Prelleri mythol. graec. I⁴, 324; cfr. praeterea myth. Vat. I, 112; II, 15; 25; Serv. ad Verg. Aen. IV, 511; Hor. c. III, 22, 4; Ov. her. XII, 79; met. VII, 94; 177; 194; fast. I, 141; Sil. I, 119; Sen. Med. 7; Phaedr. 412; Stat. Theb. X, 366; Claud. de rapt. Pros. I, 15; Auson. idyll. XI, 18; Prud. c. Symm. I, 365.

387. *emicuit*; cfr. Apollon. III, 955 seq.

398. *Thaumantias* est Iris, filia Thaumantis et Electrae Oceani filiae: Hesiod. Theog. 265; Apollod. I, 2, 6; sic eam nominant etiam Verg. Aen. IX, 5 et Ov. met. IV, 479; *Thaumantis* est apud Ov. met. XI, 647 et Claud. de rapt. Pros. III, 1.

ala volucris reperitur etiam Stat. Theb. V, 691.

401. *pavor* ille est, qui a Pane oriri dicebatur, cfr. III, 48; de *magistris* vid. ad VI, 536.

402. *chaos* est Tartarus vel sedes inferorum, vid. ad I, 831.

Digitized by Google

inciderant ambo attoniti iuxtaque subibant,
abietibus tacitis aut immotis cyparissis
adsimiles, rapidus nondum quas miscuit auster.
Ergo ut erat vultu defixus uterque silenti
noxque suum peragebat iter, iam iam ora levare
Aesoniden farique cupit Medea priorem.
quam simul effusis pavitantem fletibus heros
flagrantesque genas vidit miserumque pudorem,
has tandem voces dedit et solatus amantem est.
'Fersne aliquam spem lucis?' ait, 'miserata laborem
nempe venis? an et ipsa mea laetabere morte?
ne, precor, infando similem te, virgo, parenti
gesseris, haut tales decet inclementia vultus.
hascine nunc grates, haec expectata laborum
dona dari decuit? sic te sub teste remitti
fas me, virgo? tuas iustis da vocibus aures.

---

404. *inciderant* sc. sibi; cfr. Mart. VII, 76, 3; *iuxtaque subibant* i. e. sensim sensimque propius accedebant.

405. Cfr. Apoll. III, 966 seqq. τὼ δ' ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν, Ἢ δρυσὶν ἢ μακρῇσιν ἐειδόμενοι ἐλάτῃσιν, Αἵτε παράσσον ἔκηλοι ἐν οὔρεσιν ἐρρίζωνται Νηνεμίῃ. μετὰ δ' αὖτις ὑπὸ ῥιπῆς ἀνέμοιο Κινόμεναι ὁμάδησαν ἀπείριτον· ὣς ἄρα τώγε Μέλλον ἅλις φθέγξασθαι ὑπὸ πνοιῇσιν Ἔρωτος. Vides Apollonium imaginem non invenuste longius esse persecutum.

409. Medea Iasonem prior alloqui veretur, aliter agit apud Prop. IV, 5, 41 seq. *nec te Medeae delectent probra sequacis; Nempe tulit fastus, ausa rogare prior.*

411. *flagrantesque genas*: Verg. Aen. XII, 65; Claud. in Eutrop. I, 253 *aut quid in hoc poterit vultu flagrare pudoris.*

miserumque pudorem: Ov. met. X, 411.

412. *solatus amantem est*: Wagner desiderat in eis quae sequuntur verba consolatoria; at vel eo, quod Iason Medeam prior alloquitur, solatium continetur.

413. Verba Iasonis Medeam alloquentis, quae apud Apollonium leguntur III, 974—1006, multo minus virilem ostendunt animum ad extrema pericula subeunda paratum; cfr. Ov. her. XII, 73 seqq.

416. De sententia cfr. Apoll. III, 1006.

419. *tuum? iustas* Vat., *tuas iustis* ego signo interrogationis post vocem *virginis* posito.

Digitized by Google

cur pater ille tuus tantis me opponere monstris,
(quid meritum?) aut tales voluit me pendere poenas?
an iacet externa quod nunc mihi cuspide Canthus?
quodque meus vestris cecidit pro moenibus Iphis?
aut Scythiae tanta inde manus . . . . . .
. . . . . iussisset abire
perfidus atque suis extemplo cedere regnis.
spem mihi promissam per quae discrimina rursus
et reddat qua lege, vides. occumbere tandem
possumus, idque sedet, quam non quaecumque subire
patris iussa tui; nunquam sine vellere abibo
hinc ego, degenerem nec me tu prima videbis'.
Haec ait. illa tremens, ut supplicis aspicit ora
conticuisse viri iamque et sua verba reposci,
nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
quove tenus, prima cupiens effundere voce
omnia, sed nec prima pudor dat verba timenti.

420. *nec* Vat., *cur* Baehrens.

421. *pendere* Vat., *me pendere* cod. Carr.

422. De morte *Canthi* vid. VI, 317 seqq. *Iphis* autem mentio non fit in pugna contra Persen gesta, at I, 441 ei praedicitur mors in Scytharum terra futura.

424. *inde* explicatur 'ab altera parte', ita ut audiatur *cecidit*, quod probari posse nego; mihi quidem inter verba quae sunt *manus iussisset* duo hemistichia videntur excidisse huiusmodi sententiae: 'fugisset, nisi nos in ipso discrimine auxilio venissemus'.

iussisset 'er hätte mich heissen sollen'.

426. *spes* est res sperata, ut IV, 300; Ov. her. XVII, 182; XIX, 144; met. II, 719; IV, 794; IX, 10; XI, 427; XIII, 94; XV, 113; 217; Verg. georg. IV, 162; itaque licebat poetae dicere *spem promissam* et *spem reddere*, quod non recte negavit Baehrens.

427. *reddere* sc. quod quis debet, ut saepe, cfr. Verg. Aen. V, 386; Hor. c. II, 17, 30.

428. *idque sedet*; cfr. ad I, 555; audiendum est ad ea, quae sequuntur, particula *potius*, ut VIII, 191 seqq. *sint age tanti, Aesonide, quaecumque morae, quam saeva subire saxa iterum.*

434. De sententia cfr. Apoll. III, 1011.

435. *nec* i. q. ne — quidem, cfr. ad IV, 200.

Digitized by Google

haeret et attollens vix tandem lumina fatur:
'quid, precor, in nostras venisti, Thessale, terras?
unde mei spes ulla tibi? tantosque petisti
cur non ipse tua fretus virtute labores?
nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,
occideras, nempe hanc animam pars saeva manebat
funeris. en ubi Iuno, ubi nunc Tritonia virgo?
sola tibi quod iam tantis in casibus adsum
externae regina domus, miraris et ipse,
credo, nec agnoscunt hae nunc Aeetida silvae.
sed fatis sum victa tuis; cape munera supplex
nunc mea; teque iterum Pelias si perdere quaeret,
inque alios casus, alias si mittet ad urbes,
heu formae ne crede tuae'. Titania iamque
gramina Perseasque sinu depromere vires
coeperat, hisque iterum compellat Iasona dictis:
'si tamen aut superis aliquam spem ponis in istis
aut tua praesenti virtus educere leto

---

436. Apud Apollonium Medea tacite Iasoni post eius sermonem medicamenta statim tradit III, 1012 seq.

439. *cur* postponitur, ut saepius pronomen interrogativum.

441. *hanc animam pars saeva manebat funeris* i. e. me manebat adspectus funeris tui; haec est pars saeva, quod Medea sepulturam adspectura esset. Non recte locum intellexerunt Burmann, qui *hanc animam* Iasonis esse putat, neque Wagner, qui Medeam de sua ipsius morte cogitare explicat, neque Koestlin Phil. 50, 326, qui Iasonis corpus Medeae ipsi sepeliendum fuisse interpretatur.

442. *Iuno ubi nunc* Vat., *en ubi Iuno* cod. Carr.

443. *quoniam* Vat., *quod iam* ego.

444. *ipsa* Vat., *ipse* ed. Bon. et Ald.

447. *non* Vat., *nunc* ed. Bon. et Ald.

448. *si* om. Vat., add. Heinsius.

449. *Titania* sunt gramina, quia cruore Promethei aucta creverant; vid. supra v. 356.

450. *Perseae* vires sunt Perseidis Hecates, cfr. ad VI, 495.

451. *his* Vat. asyndeto vix ferendo, quare *hisque* scripsi.

452. *in istis* om. Vat., add. Thilo.

si te forte potest, etiam nunc deprecor, hospes,
me sine et insontem misero dimitte parenti'.
dixerat. extemploque (etenim matura ruebant
sidera et extremus se flexerat axe Bootes)
cum gemitu et multo iuveni medicamina fletu
non secus ac patriam pariter famamque decusque
obicit. ille manu subit et vim corripit omnem.

Inde ubi facta nocens et non revocabilis umquam
cessit ab ore pudor propiorque implevit Erinys,
carmina nunc totos volvit figitque per artus

---

454. De collocatione *si* coniunctionis vid. ad II, 485. Vel in hoc tempore Medea pudorem servat, multo minus cunctatur apud Apollon. l. l.

456. *neque enim matura ruebant sidera* Vat. Medea, ut tempus nocturnum sufficeret ad ea, quae volebat, perpetranda, cursum siderum putatur retardasse coll. v. 499; sed refellitur haec explicatio adverbio *extemplo*, quo, quoniam sidera cadebant diesque appropinquabat, Medeam rem celeriter absolvisse indicatur. Scribendum igitur est auctore Heinsio *nam iam*, aut quod propius ad verba tradita accedit *extemploque etenim*, quae est coniectura Baehrentis. Eadem de causa in versu qui sequitur, *suffixerat* improbandum: Vat. habet *extremum suffecerat axe boontem*; *extremus* ego scripsi; *se flexerat axe Bootes* Heinsius; *extremus* autem Bootes nominatur, quia extremus in mare occidit, cfr. Hom. Od. V, 292 ὀψὲ δύοντα Βοώτην; *piger* vocatur Ov. fast. III, 405; *tardus* met. II, 177; Catull. LXVI, 67; Sen. Med. 315.

axis est caelum, in quo apparent sidera, ut Verg. Aen. IV, 482; Ov. met. I, 255.

460. *manu subit* sc. medicamina quasi magnum onus, quod umeris subire solemus, vid. Verg. Aen. II, 708; IV, 599 al.; cfr. infra v. 554 *subeunt immania dentis semina*; II, 605 *celeri extemplo subiere ruentem Cymothoe Glaucusque manu*; Ov. met. III, 167 *depositae subiecit bracchia pallae*; Pers. sat. III, 106 *illum hesterni capite induto subiere Quirites* de corpore mortui a libertis elato.

vim corripit omnem; Wagner: 'totam medicaminum copiam; sed fortasse *vim* scripsit poeta pro rebus vim continentibus, cuius metonymiae alterum sane exemplum non novi.

463. *solvit* Vat., *volvit* Vossius, sed non recte comparavit verba,

Digitized by Google

Aesonidae et totum septeno murmure fertur
per clipeum atque viro graviorem reddidit hastam;
iamque sui tauris languent absentibus ignes.
'nunc age et has' inquit 'cristas galeamque resume,
quam modo funerea tenuit Discordia dextra.
hanc iace per medias, cum verteris aequora, messes;
protinus in sese conversa furoribus ibit
cuncta phalanx, atque ipse fremens mirabitur et me
respiciet fortasse pater'. sic deinde locuta
iam magis atque magis mentem super alta ferebat
aequora, pandentes Minyas iam vela videbat
se sine. tum vero extremo percussa dolore
arripit Aesoniden dextra ac summissa profatur:
'sis memor, oro, mei, contra memor ipsa manebo,
crede, tui. quando hinc aberis, dic quaeso, profundi

---

quae sunt III, 408, ubi volvendi verbum simplicem recitandi notionem habeat, cum hoc loco addatur *per totos artus* Medeam carmina fixisse i. e. vim carminum infudit Medea Iasoni per omnes artus recitans verba et manibus eius artus palpans: eodem pertinet, quod infra dicitur: *septeno murmure fertur per clipeum.*

466. *sui — ignes*, proprii, ab ipsis exeuntes, cfr. II, 505.

467. *resume*, inquit Medea, *galeam*, ex quo concludendum eam antea galeam ab Iasone accepisse, ut incantaret, sed quamquam sane postea ab hac galea discordia exoritur inter viros e terra editos, tamen satis ineleganter poeta ipsam Discordiam manu tenuisse galeam dixit.

469. Sine dubio Valerius a tradita fabula, qua lapidem Iason inter viros 'terrigenas' coniecisse dicitur, ideo discessit, ut aptius explicaret, quomodo factum esset, ut discordia et pugna inter viros oreretur, nam lapis ille in campo iacens, quem ceteri omnes, quantum scio, scriptores commemorant, a Medea incantatus non erat neque satis bene esse poterat; cfr. Apoll. III, 1056; 1364; Hyg. fab. 22; Apollod. I, 9, 23, 7; Ov. met. VII, 139; non aperte rem narrant Sen. Med. 469 et Lucan. IV, 553.

472. *sic deinde locuta*: Verg. Aen. V, 14.

477 seq. expressi ex Apoll. III, 1068 seq.

478. Tecte Medea Iasonem interrogat, quo profecturus sit, apertius interrogat apud Apollon. III, 1070 seqq.

Digitized by Google

quod caeli spectabo latus? sed te quoque tangat
cura mei quocumque loco, quoscumque per annos;
atque hunc te meminisse velis et nostra fateri
munera, servatum pudeat nec virginis arte.
ei mihi, cur nullos spargunt tua lumina fletus?
an me mox merita morituram patris ab ira
dissimulas? te regna tuae felicia gentis,
te coniunx natique manent; ego prodita obibo.
nec queror et pro te lucem quoque laeta relinquam'.
protinus hospes ad haec (tacitis nam cantibus illum
flexerat et simili iamdudum adflarat amore)
'tune' ait 'Aesoniden quicquam te velle relicta
credis et ulla pati sine te loca? redde tyranno

---

480. *quocumque loco*; saepius ita pronomen hoc ponit Valerius verbo non addito, ut VIII, 4; 34; 51; 169 al.

481. *hunc te meminisse velis* i. e. te in hac condicione fuisse; cfr. Ov. met. VII, 293 (Aeson) *olim ante quater denos hunc se reminiscitur annos*; Verg. Aen. IX, 481 *hunc ego te, Euryale, aspicio?* cfr. Stat. Theb. XII, 322.

482. *pudeat nec*: cfr. ad I. 175 et 261.

483. *stringunt* Vat., *spargunt* Burm. sec.; simili sententia quamquam alia constructione Horatius scripsit c. II, 6, 22 *calentem debita sparges lacrima favillam.*

484. *morituram — ab ira*: vid. ad III, 36.

485 seq. Nondum regem esse Iasonem noverat Medea ex eo, quod Iason dixerat, se iussu Peliae ad vellus recipiendum expeditionem fecisse V, 483 seqq.; cfr. VII, 92 seqq., 447. Verbis igitur *te regna tuae felicia gentis — manent* Medea significat, Iasoni postero tempore regnum esse futurum; itaque cogimur etiam verba quae sequuntur *te coniunx natique manent* simili modo explicare, ut Medea dicere velit, Iasonem postea domi uxorem ducturum ex eaque liberos procreaturum, cum ipsa moritura sit.

486. *nataeque* Vat., *natique* Schenkl; *abibo* Vat., *obibo* cod. Carr.

487. *lucem — relinquam*: Verg. Aen. XII, 62.

489. *adflebat* Vat., *adflarat* Pius.

491. *peti* Vat., *pati* Gronovius.

me potius, recipe ingratos atque exue cantus.
quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
si non et genitor te primam amplectitur Aeson,
teque tuo longe fulgentem vellere gaudens
spectat et ad primos procurrit Graecia fluctus?
respice ad has voces et iam, precor, adnue, coniunx.
per te, quae superis divisque potentior imis,
perque haec, virgo, tuo redeuntia sidera nutu
atque per has nostri iuro discriminis horas,
umquam ego si meriti, si noctis sim immemor huius,
si te sceptra, domum, si te liquisse parentes
senseris et me iam non haec promissa tuentem,
tum me non tauros iuvet evasisse ferosque
terrigenas, tum me tectis tua turbet in ipsis
flamma tuaeque artes; nullus succurrere contra
ingrato queat et, siquid tu saevius, istis
adicias meque in medio terrore relinquas'.

---

492. *exue cantus* contrarium est ei, quod supra dictum v. 463 *carmina figit per artus.*

496. *procumbit* Vat., *procurrit* Heinsius; cfr. II, 638.

Graecia pro incolis dicta, cfr. ad I, 552; auget rem Iason Graecos pro Minyis nominando.

499. *tuo redeuntia sidera nutu* non interpretor 'quae nunc redeunt tuo nutu', quia talis Medeae actionis hoc loco ne vestigium quidem reperitur, cfr. quae ad v. 456 dicta sunt, sed Medea in longe alia re tota est occupata; verum in universum dicit Iason solere sidera nutu Medeae redire neque redeundi verbum ad cursum refero, sed ad splendorem, cfr. quae de luna dicuntur VI, 447.

ergo Vat., *virgo* Maserius.

501. *si meritis noctis immemor* Vat., *si meriti si noctis* Baehrens; *sim immemor* ego.

502. *si te — liquisse parentes* sc. sim immemor.

503. *mea — videntem* Vat., *me — tuentem* Heinsius; *tum* Vat., *iam* ego.

505. Inscius Iason ipse diram fortunam sibi vaticinatur: apparet tangi Creusae mortem caedem puerorum fugam Medeae.

507. *si quid tu saevius* sc. habeas, cfr. ad I, 489.

ipsis Vat., *istis* ed. Bon.

Digitized by Google

audiit atque simul meritis periuria poenis
despondet questus semper Furor ultus amantis.
Haec ubi dicta, tamen perstant defixus uterque,
et nunc ora levant audaci laeta iuventa,
ora simul totiens dulcis rapientia visus,
nunc deicit vultus aeger pudor et mora dictis
redditur; ac rursus conterret Iasona virgo.
'nondum cuncta tibi, fateor, promissa peregi:
accipe, perdomitis quae deinde pericula tauris
et quis in Aeolio maneat te vellere custos;
saevior ingenti Mavortis in arbore restat,
crede, labor; temptanti utinam fiducia nostri
sit tibi nocturnaeque Hecates nostrique vigoris.'

509. *meritis periuria poenis despondet*; casus inter se mutati sunt, quoniam expectamus, ut dicantur poenae periuriis desponderi, cfr. ad I, 499.

510. *Furor* id quod Furia, Erinys, cfr. Hor. epod. V, 92 *nocturnus occurram furor* et vide ad II, 80.

511. *tamen perstant* i. e. quamquam quae Iason dixit, vehementem erga Medeam amorem ostendunt, tamen nihil ad ea verba respondetur neque ultra Iason, quid Medea sentiat, perscrutatur.

512 seqq. expressi ex Apoll. III, 1022 seqq.

514. *mora dictis redditur* sc. eis, quibus amor ostendatur.

516. Hic versus in libris post 518 invenitur. ego transposui, cum appareat ab his verbis Medeae orationem incipere debere.

520. *quem tanta utinam fiducia nostri sit mihi* Vat., quae solent explicari aposiopesis figura adhibita, ita ut sermo post *quem* pronomen interruptus putetur; sed cum ea figura hoc loco vix satis bene admitti posse videatur (cfr. Madv. adv. crit. II, 150), recepi Baehrentis coniecturam *temptanti utinam*. At ne ea quidem, quae sequuntur, incorrupta putanda sunt: etenim credi non potest, poetam scripsisse *utinam fiducia nostri sit mihi* inaudita pronominis mutatione. Accedit quod Medeae inest tanta suae artis magicae fiducia, ut nullo modo eam tale quid sibi optare verisimile sit, vide quaeso quid statim moliatur. Quare non dubitavi scribere *sit tibi*. Non leve accedit adiumentum meae sententiae ex verbis, quae sequuntur: *nostrique vigoris* i. e. mei et Hecates. Pro hac scriptura libris tradita scribi solet *vestrique vigoris*, pessime id quidem, cum solius Iasonis, non ceterorum Argonautarum sint partes in futuris laboribus.

Digitized by Google

dixerat, utque virum doceat, quae monstra supersint,
protinus immensis recubantem anfractibus anguem
turbat et Haemonii subito ducis obicit umbram.
ille, quod haud alias, stetit et trepidantia torsit
sibila, seque metu postquam sua vellera circum
sustulit atque omnis spiris exhorruit arbor,
incipit inde sequi et vacuo furit ore per auras.
'quis fragor hic? quaenam tantae, dic virgo, ruinae?'
exclamat stricto Aesonides stans frigidus ense.
illa trahit ridens tandemque ait angue represso:
'hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
heu miser, heu tantis iterum carpende periclis.

---

523. Ex hoc loco concludendum est, draconem fuisse in luco Hecates, quo convenerant Iason et Medea, vide supra v. 395; at vellus aureum in luco Martis fuisse cum ceteris consentit poeta V, 228; 632. An poeta delubrum Martis cum sacra arbore in ipso luco Hecates fuisse cogitavit?

525. *trepidantia torsit sibila*: torquere *sibila* dixit Valerius, ut *hastam*; cfr. Prop. IV, 8, 8 (serpens) *ex ima sibila torquet humo*; Venant. Fort. VIII, 3, 195 *aspis — faucibus horrificis sibila torsit iners*; simili translatione dicuntur *sibila mittere* Ov. met. III, 38; XV, 670; *vibrare* Sil. III, 185; *fundere* Luc. IX, 631; *effundere* IX, 724.

trepidantia sibila sunt linguae trepidantis, vibrantis.

526. *sua vellera*; cfr. VIII, 89.

528. *vacuo — ore*: Burm.: 'nihil apprehendebat, licet hostem peteret'. Recte, nam umbram Iasonis persequebatur; cfr. *morsum inanem* apud Verg. Aen. XII, 755, et *vacuos dentes* apud Val. ipsum III, 589.

529. Ruinis fragorem a se auditum oriri Iason putat.

530. *frigidus* i. e. formidine correptus, ut Ov. her. X, 49; ep. Sapph. 173; met. VII, 136; Stat. Theb. IX, 403; Sil. I, 470; II, 339; IX, 49; Iuven. I, 166; similiter *frigus* saepius pro formidine scribitur, ut Ov. her. XII, 142; XVIII, 192 al.

531. *trahit* i. e. Iasonem retrahit; vellem apertius hoc scripsisset poeta.

533. *mihi care* Vat. teste Schenkelio, *carpende* cod. Carr., i. e. vexande, agitande; sane saepius a poetis de animo agitando eiusque

Digitized by Google

o utinam nullo te sim visura labore
ipsum caeruleis squalentem nexibus ornum
ipsaque pervigilis calcare volumina monstri,
contingat mihi deinde mori!' sic fata profugit
seque sub extremis in moenia rettulit umbris.

Et iam puniceo regem spes vana sub ortu
extulerat, quantis nox una diremerit undis
Aesoniden, liberne freto iam vultus aperto
utque prius totum sileat mare. dumque ea longe
explorare parat, contra venit Arcas Echion

---

sollicitudinibus dicitur, velut III. 393, sed interdum etiam de corporis viribus, ut Verg. georg. III. 215 *carpit enim vires — femina*; Ov. artis II, 114 (forma) *spatio carpitur ipsa suo*; ex Pont. I, 4, 21 seq. *otia corpus alunt; animus quoque pascitur illis; Immodicus contra carpit utrumque labor*; vid. etiam Sil. II, 458 *carpebatque dies urbem;* Ov. fast. IV, 925.

534. *ut nullo* Vat., *nullo* ego.

535. *ipsam* Vat., *ipsum* ego. i. e. sine alieno auxilio; si *ipsam* servamus, gradatio, quae inesse debet in v. 536 *ipsaque*, evanescit.

536. *calcantem lumina* Vat., *calcare volumina* Meyncke mus. Rhen. XXII, 374.

537. *vix* Vat., *mihi* Maserius. Medea postremum pudore correpta nihil respondet ad verba, quibus Iason eam in matrimonium petivit, sed fugit; felicissime hoc ad veritatem expressit poeta. Apud Apollonium Medea multo apertius amorem indicat.

538. Apud Apollonium sub noctem Medea in urbem redit III, 1142 seqq., cfr. ad v. 372.

539. *ortus* substantivo *solis* non addito solet significare regionem mundi, rarius tempus indicat, ut Ov. artis III, 724; trist. I, 2, 27 (*purpureo ab ortu*).

541. *liberne* (sic cod. Carr., Vat. habet *tiberine*) *freto iam vultus aperto*; vultus interdum transfertur ab hominibus ad res, ut earum visus facies forma significetur, cfr. *salis placidi vultum* Verg. Aen. V, 848; *pulcher adhuc belli vultus* Stat. Theb. VIII, 402; *liber* intellegitur vultus maris ab Argonautis.

542. *utque prius totum sileat mare* i. e. 'atque totumne sileat mare ut prius'; *longe*, i. e. ex longinquo, cfr. ad I, 288.

543. *quaeat* Vat., *parat* Pius.

dicta ferens, iam Circaeis Mavortis in agris
stare virum, daret aeripedes in proelia tauros.
'en vocor en ultro', dixit 'spes concidit illa'.
'vos mihi nunc primum in glebas invertite, tauri,
aequora, nunc totas aperite et volvite flammas.
exeat Haemonio messis memoranda colono,
tuque tuum patri in Graium da, nata, draconem.
ipsius aspectu pereat, ne quercus et ipsa
terga mihi diros servent infecta cruores'.
fatur et effusis pandi iubet aequora tauris.
pars et Echionii subeunt immania dentis
semina, pars diri portant grave robur aratri.
at sua magnanimum contra Pagasaea iuventus
prosequitur stipatque ducem; tum maxima quisque

---

544. De campo Circaeo cfr. ad V, 328.

546. *et vocor* Vat., *en vocor* Monac.; *spesque addidit aula* Vat.; *spes concidit illa* Koch coniect. p. 23, quod recepi, non quod putarem sic scripsisse Valerium, sed quia sola hac coniectura sententia ea, quam exspectamus, exprimitur.

547. *flammas* Vat., *glebas* ed. Ald.

550. *partim* Vat., *patri in* Heinsius; *tuum draconem* i. e. qui tuae curae traditus est, cfr. I, 61 seqq.; VIII, 92 seqq.

551. *pereant* Vat., *pereat* Schenkl.; *in* Vat., *ne* edit. Ald.; *vellera* Vat., *quercus* Schenkl, qui '*vellera* ad *terga*' inquit 'quod sequitur, explicandum adscriptum erat'. Vellus aureum cruores Iasonis servaret, si draco eum laceravisset, quare Aeetes optat, ut Iason moriatur, antequam draco eum morsu vulneret.

554. *in* Vat., *et* ed. Bon. et Ald.; *pars* sc. famulorum Aeetae; *subeunt*, cfr. ad v. 460.

De seminibus *Echionii dentis* vide quae ad VII, 76 dicta sunt; *immania* nominantur, quia immanes homines ex eis oriuntur. Ceterum ipsi dentes sunt semina, est igitur *dentis* genetivus, qui a grammaticis appositivus dicitur: cfr. Kuehneri gramm. lat. II, § 83, 4.

555. *grave robur aratri*: Verg. georg. I, 162.

557. *spatioque ducentum* Vat., *stipatque ducem tum* cod. Carr.

maxima quisque dicta dedit i. e. verba iactationis plena, quibus virtus Iasonis praedicetur; dictum est ut *magnum sonantes duces* I,

Digitized by Google

dicta dedit saevisque procul discessit ab agris.
fixerat ille gradus totoque ex agmine solus
stabat, ut extremis desertus ab oribus axis,
quem iam lassa dies austrique ardentis harenae,
aut quem Rhipaeas extantem rursus ad arces
nix et caerulei Boreae ferus abstulit horror;

262; *magna — dicta* V, 599 et Verg. Aen. XI, 381; *dixerat ille aliquid magnum* Aen. X, 547. Non sine ironia hoc scripsit Valerius, cum socios Iasonis mox discessisse narraret.

558. *in* Vat., *ab* edit. Bon.

560 seqq. Locus obscurissimus, quo quid dicere voluerit Valerius, nunquam opinor ad liquidum perduci poterit. Servavi scripturas in Vaticano traditas. Ante omnia, quid significet *axis* in v. 560, incertum est, at ex eius substantivi notione tota pendet explicatio. Sunt qui intellegant caeli polum, alii explicant esse sidus septentrionis, alii currum, Baehrens *arbos* scripsit pro *axis*, Bussen 'de Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu' p. 26 *ales*. Mihi quidem aut de agmine curruum videtur poeta cogitasse, ex quibus ultimus ablatus vel separatus a ceteris relinquatur impeditus sive in calida regione sub noctem arenae turbine sive in septentrionibus vi nivium vehementiaque aquilonis aut ex sententia Busseni de alite, qui eodem fato obruatur. Illam explicationem si probare velimus, in versu 560 scribendum *extremus — ab orbibus* i. e. rotis, curribus, in v. 562 *redeuntem rursus*; sin autem hanc praeferamus, recipiendum *extremis — in orbibus* i. e. regionibus coll. VI, 33; VIII, 91 (nam *orbes* intellegere turbas avium orbem formantium minus probabile) itemque *redeuntem* vel potius *revolantem*.

561. *lassa dies* i. e. quasi post longum iter ad vesperum inclinans.

562. *Rhipaeas — ad arces*; sunt montes Rhipaei in extrema Sarmatia ad septentriones versus, ubi Tanais oritur: Plin. nat. hist. IV, 78; 88; *arces nominantur* etiam a Vergilio georg. I, 240; sic scribitur *Pangaea arx* Val. I, 575; *Rhodopeiae arces* Verg. georg. IV, 461; *Parnasi arx* Ov. met. I, 467 al.

563. *caeruleus* Boreas vocatur propter nubes ab eo collectas, ex quibus nives proruunt, cfr. *nigerrimus Auster* Verg. georg. III, 278; *niger Eurus* Hor. epod. X, 5; ut contra *albus* Notus est, qui nubes dissipat apud Hor. c. I, 7, 15; Iapyx III, 27, 19; *clarus* Aquilo Verg. georg. I, 460.

Digitized by Google

cum subito attoniti longissima Phasidis unda
Caucaseaeque trabes omnisque Aeetia tellus
fulsit et ardentes stabula effudere tenebras.
ac velut ex una siquando nube corusci
ira Iovis torsit geminos mortalibus ignes,
aut duo cum pariter ruperunt vincula venti
dantque fugam: sic tunc claustris evasit uterque
taurus et immani proflavit turbine flammas
arduus atque atro volvens incendia fluctu.
horruit Argoae legio ratis, horruit audax
qui modo virgineis servari cantibus Idas

---

564. *longissima — unda — fulsit*; adiectivum scriptum pro adverbio *longissime*, ut III, 115 *subitus* pro eo quod est *subito*, ubi quae dicta sunt, vide.

attoniti — Phasidis i. e. dei fluminis, cfr. V, 425 seq.

566. *ardentes — tenebras*: oxymoron, quod facilem explicatum habeat; sunt flammae fumo intermixtae; cfr. descriptionem Caci apud Verg. Aen. VIII, 252 seqq.

567. Satis audacter poeta Iovem, qui fulmen coruscum iacit ipsum *coruscum* nominat; non tam longe progressus scripsit Prud. perist. IV, 9 seq. *cum deus dextram quatiens coruscam Nube subnixus veniet rubente.* Aliter se habent loci apud Verg. Aen. II, 470; IX, 163; Stat. Theb. IV, 9. Imitatus est taurorum velocitatis cum geminis fulminibus comparationem Stat. Theb. VII, 582 seqq. ad depingendam celeritatem equorum Amphiarai.

572. A poeta ad marginem adscriptus videtur locusque imperfectus relictus; retractatione deleturus erat Valerius aut 571 aut 572.

574. *Idas* saepius inter promptissimos fortissimosque Argonautarum commemoratur: I, 166; III, 471; IV, 224; VI, 342; Apollon. I, 462 seqq.; III, 556 seqq.; 1251. Id ipsum, quod hic tangit Valerius, poeta Graecus suo loco narravit III, 1169: Iasonem a Medea redeuntem a sociis magna cum laetitia receptum et de singulis interrogatum esse, ὃ δ' οἰόθεν οἷος ἑταίρων Ἴδας ἦστ' ἀπάνευθε δακὼν χόλον.

servari — Idas flebat sc. se, cfr. ad II, 10; de accusativo cum infinit., qui pendet a flendi verbo, cfr. ad I, 633.

Digitized by Google

flebat et invito prospexit Colchida vultu.
non tulit ipse moras seseque immisit Iason,
diversos postquam ire videt, galeamque minantem
quassat et errantem dextra ciet obvius ignem.
. . . . . .
cunctatus paulum subito furit. aequora non sic
in scopulos irata ruunt eademque recedunt
fracta retro. bis fulmineis se flatibus infert
obnubitque virum, sed non incendia Colchis
adspirare sinit, clipeoque inliditur ignis
frigidus et viso pallescit flamma veneno.

575. *invito — vultu* 'unwillkürlich'.

577. *galeamque minantem*, cfr. VI, 519; *quassat*, cfr. Iuv. II, 130; Claud. in Eutrop. II, 109.

578. *errantem dextra ciet obvius ignem*; quoniam cum tauris etiam ignis quodam modo errabat, hunc scribere ausus est Valerius pro tauris ignivomis ipsis, quos Iason gestu manuum provocat. Similiter *murmura* scripsit V, 121 pro undis, a quibus murmura oriuntur, et *murmur* infra v. 606 pro equo.

Post hunc versum lacuna est in Vat., in codd. Carr. et Monacensi sic expleta: *ut tandem stetit et torvo* (*torto* cod. Carr.) *se lumine flexit Qui prior adversi respexit Iasonis arma Cunctatus* e. q. s.

582. Ut apud Valerium impetus taurorum cum irruentibus maris undis comparatur, sic apud Apollonium III, 1293 seq. Iason, qui intrepidus impetum exspectat, cum scopulo frustra fluctibus et procellis impugnato. Cfr. etiam Stat. Theb. VI, 776 seqq.

recedunt — retro; non insolita est scriptoribus Latinis haec tautologia, qua *retro* additur ad verba cum *re* praepositione composita, velut *retro reverti repellere referre* vel *reprimere pedem regredi respicere remittere residere remetiri remanare*, cfr. Lucr. I, 785; II, 283; 516; V, 270; Verg. georg. I, 200; Aen. II, 169; al.

583. *facta* Vat., *fracta* Pius.

586. *viso pallescit flamma veneno.* Non satis aperte Valerius sententiam expressit: venenum enim ipsum, quo clipeus illitus cogitatur, si omnino conspici posset, etiam Aeetes conspexisset, id quod statuere nobis non licet. Itaque *viso veneno* aut significat: 'postquam venenum, vim veneni sensit', cfr. Verg. Aen. IV, 491 *mugire videbis sub pedibus terram*; Prop. II, 16, 49 *vidistis toto sonitus percurrere caelo*;

Digitized by Google

inicit Aesonides dextram atque ardentia prendit
cornua, dein totis propendens viribus haeret.
ille virum atque ipsam tunc te, Medea, recusans
concutit et tota nitentem cornibus ira
portat iners; tandem gravius mugire recedens
incipit et fesso victus descendere cornu.
respicit hinc socios, immania vincula poscens,
Aesonides, iamque ora premit trahiturque trahitque
obnixusque genu superat cogitque trementes
sub iuga aena toros. alium dehinc turbida Colchis
exarmat lentumque offert timideque minantem,

---

neque aliter Graeci, velut Aeschyl. Sept. 102 κτύπον δέδορκα; cfr. Soph. Oed. Col. 138; aut *venenum* dictum pro re venenata: viso clipeo, qui incantatus et veneno illitus erat. cuius vim taurus quidem sentiebat, homines sentire non poterant.

587. *mittit* Vat., *prendit* Thilo in annotatione, quod recepi, quia melius adhuc non repertum est; *ardentia* autem *cornua* recte se habere puto: etenim cum tauri flammas exspirent, capita tota igni involuta sunt itaque cornua quasi ardere videntur.

590. *carminis* Vat., *cornibus* cod. Carr.

591. *iners* i. e. nihil agens, efficiens, frustra; sic rarissime: Prop. II, 32, 19 seq. *nil agis, insidias in me componis inanes, Tendis iners docto retia nota mihi*; Venant. Fort. VIII, 3, 195 *aspis faucibus horrificis sibila torsit iners*; nam Ov. met. XII, 361 aliter comparatum est.

recedens i. e. a luctando desistens, cfr. Plin. epist. IV, 11, 12 *recessit Licinianus* 'L. hat auf die Vertheidigung verzichtet'. Quod scribi solet auctore Gronovio *residens*, ideo mihi non probatur, quia plus iam significat, quam quae sequuntur *incipit descendere*, i. e. prolabi. ut VI, 244. De hac re artis operibus efficta vid. Heydem. 'Iason in Kolchis' p. 6 seqq.

596. De *toris* taurorum vid. ad I, 253; totam rem multo brevius narraverunt Apollon. III. 1305 seqq. et Ov. met. VII, 110 seqq.

alium, alterum; cfr. ad I, 140.

597. *turbida Colchis* : ad periculum Iasonis augendum poeta Medeam caro viro quamquam medicaminibus munito metuere indicat; *exarmat* i. e. innoxium reddit, Sil. I, 411.

Digitized by Google

iamque propinquanti noctem implicat; ille fatiscens
in caput inque umeros ipsa vi molis et irae
proruit; invadit totusque incumbit Iason
desuper atque suis defectum flatibus urguet.
utque dedit vinclis validoque obstrinxit aratro,
suscitat ipse genu saevaque agit insuper hasta,
non secus a medio quam qui telluris hiatu
terga recentis equi primumque invasit habenis
murmur et in summa Lapithes apparuit Ossa.

Ille velut campos Libyes ac pinguia Nili
fertilis arva secet, plena sic semina dextra

---

598. *propinquanti noctem implicat*: caligine obruit, ne Iasonem conspicere possit. De constructione verbi implicandi cfr. ad III, 271.

599. *inque umeros — proruit*; *umeros boum* vel Cic. dixit de nat. deor. II, 159.

601. *defixum* Vat., *defectum* Burm.: suis ipsius flatibus se defatigavit taurus.

604. *ac* Vat., *a* Thilo; *si* Vat., *qui* Koestlin. Philol. 39, p. 38; non aliena ab audacia Valeriana sunt verba *a medio — telluris hiatu terga recentis equi* i. e. equi, qui recens ex hiatu terrae ortus erat, cfr. 621 *primas a matre manus* i. e. a matre tellure orientes: omnino de ellipsi verbi oriendi vide ad I, 489 et de collocatione verborum ad I, 284.

Comparat poeta Iasonem, qui tauros sub iugum coegit, cum Lapitha, qui primus equum a Neptuno creatum et ex hiatu telluris exsurgentem frenis domuit.

605. *murmur* dixit poeta satis audacter pro equo murmurante, fremente, quem nominat Verg. georg. I, 13; cfr. ad v. 578, vel potius pro ore equi frementis. Sequitur Valerius eam fabulam, qua equus a Neptuno in Thessalia creatus dicebatur, vide ad I, 424; *invasit* praedicatum etiam ad obiectum *terga* referendum est.

608. *Nili fertilis*; hoc adiectivum saepius significatione activa praeditum legitur, ut Hor. c. II, 6, 19; Ov. met. V, 642; fast. V, 127; Prop. IV, 6, 76; Luc. III, 260; Boeth. de consol. phil. I, 2, 20.

Benignos agros largius ac spissius seri quam improbos recte animadvertit Caussin.

Digitized by Google

spargere gaudet agris oneratque novalia bello.
Martius hic primum ter vomere fusus ab ipso
clangor et ex omni sonuerunt cornua sulco;
bellatrix tunc gleba quati pariterque creari
armarique phalanx totisque insurgere campis.
cessit et ad socios paulum se rettulit heros
opperiens, ubi prima sibi daret agmina tellus.
at vero ut summis iam rurâ recedere cristis
vidit et infesta vibrantes casside terras,
advolat atque imo tellus qua proxima collo
(necdum umeri videre diem) prior ense sequaci
aequat humo truncos; rutilum thoraca sequenti

---

609. *acri* Vat., *agris* Maserius.

610. *fusus — clangor*; fundendi verbum de sono dictum imprimis apud Silium reperitur: IV, 173; VI, 408; XII, 597; XIII, 313; XVI, 437; sed etiam apud Cic. progn. fr. V. Baehr.; Ov. met. XII, 469; Stat. Theb. I, 656; V, 275; X, 516; cfr. Tac. ann. XIV, 30 *preces diras fundentes* et Val. ipsum VIII, 69.

613. *insurgere campis*: Verg. Aen. IX, 34.

Ex eis, quae sequuntur, apparet viros armatos nondum ipsos ex terra exsurrexisse, cum v. 616 demum legamus summis cristis glebas disrumpi versuque 619 capita virorum umeris nondum exsertis detruncata esse ab Iasone: verba igitur *creari armarique phalanx* ita intellegenda sunt, ut hoc sub terra, non in conspectu hominum fieri dicamus similiterque verba *totis insurgere campis*: insurgunt per totum campum, qui aratus est, sed ex imo nondum ad superficiem venerunt. Sane non laudandus Valerius propter hanc obscuritatem, cum eius sententiam versibus demum 616 seqq. lectis perspiciamus.

618. *tellus qua proxima collo* i. e. supra ipsam terram 'dicht über der Erde'.

619. *ensis sequax* non facile diiudicari potest utrum sit ensis, qui persequitur, translata ut saepe fit notione ab homine ad id quod gestat, an ensis qui facile manum motusque Iasonis sequatur, id quod putant Burmann et Wagner.

620. *truncos* per prolepsin dictum apparet.

rutilum thoraca sequenti corrupte tradita videntur; *rutilus* nominatur thorax a splendore, cfr. Val. V, 250; Verg. Aen. XI, 487;

Digitized by Google

aut primas a matre manus metit obvius ante.
nec magis aut illis aut illis milibus ultra
sufficit, ad dirae quam cum Tirynthius hydrae
agmina Palladios defessus respicit ignes.
ergo iterum ad socias convertere Colchidos artes,
et galeae nexus ac vincula dissipat imae;
cunctaturque tamen totique occurrere bello
ipse cupit; spes nulla datur, sic undique densant
terrigenae iam signa duces, clamorque tubaeque.

Sil. I, 477; Drac. X, 35; Claud. in Ruf. I, 197; de laud. Stil. II, 450; Prud. psych. 526; in Symm. II, 28; Arat. act. ap. I, 405; Sid. II, 418; V, 21; VIII, 8; XVII, 9; Coripp. in laud. Iust. II, 119; IV, 242; Paul. vit. Mart. V, 859.

621. *premit* Vat.; *metit* ego.
primas a matre manus sc. surgentes, cfr. supra v. 604.
ante sc. quam hostis impetum in Iasonem facere possit.

622. *illis milibus — sufficit*; cfr. VI, 381.

623. *ad dirae — hydrae agmina — defessus*; cfr. Ov. am. III 7, 41 *illius ad tactum Pylius iuvenescere possit* et quae ad III, 264 dicta sunt; de eo, quod praepositio divellitur a substantivo suo, vid. ad III, 7.

624. *Palladios — respicit ignes*; nota est fabula de Iolao Herculi contra hydram Lernaeam auxilium ferente; *Palladios* ignes dici putat Caussin, quod eos adhibuerit suadente Minerva; vid. Hesiod. Theog. 318; Hyg. fab. XXX; et rem fusius narrantem Iolao non commemorato Dracontium c. IV, 41 seqq.; cfr. Gerhard auserles. Vasenb. II tab. 95 et 148.

625. Iason heros fortissimus ad Medeae auxilium non prius confugit, quam summa necessitate adductus esset pugna frustra temptata, cfr. imprimis 627 seqq.; at apud Apollon. III, 1363 (cfr. Apollod. I, 9, 23, 9) statim lapide coniecto terrigenas ad mutuam caedem convertit atque eos ita turbatos adoritur. A vera virtute hoc alienum putavit poeta Romanus, qui non sine causa Iasonem Medeae auxilio utentem comparat cum Hercule a Minerva adiuto.

626. *vincula dissipat* insolenter dixit poeta pro eo quod est *celeriter solvit*; non prorsus simile est VI, 380 et Sil. I, 402 *crepitantia dissipat ossa.*

629. *clamorque tubaeque*; de verbi ellipsi cfr. ad I, 489.

iamque omnes adiere virum, iamque omnia contra
tela volant. tum vero amens discrimine tanto,
quam modo Tartareo galeam Medea veneno
. . . . . .
in medios torsit; conversae protinus hastae.
qualis ubi attonitos maestae Phrygas annua Matris
ira vel exsectos lacerat Bellona comatos:
haud secus accensas subito Medea cohortes
implicat et miseros agit in sua proelia fratres.
omnis ibi Aesoniden sterni putat, omnibus ira
talis erat. stupet Aeetes ultroque furentes
ipse viros revocare cupit, sed cuncta iacebant
agmina, nec quisquam primus fugit aut super ullus
linquitur, atque hausit subito sua funera tellus.

---

630. *videre* Vat., *adiere* Schenkl.

633 deest in Vat., in cod. Carr. hic versus legitur *infectam dederat ususque armarat in illos*, qui certe neque a sententia neque a forma suspitionem movet, sed tamen non ausus sum inter verba poetae eum recipere.

635. *attonitos — Phrygas* i. e. in furorem conversos; sic legitur Verg. Aen. VII, 580 *attonitae Baccho nemora avia matres Insultant*; has *attonitam catervam* nominat Stat. silv. V, 1, 116; Ov. Ibidis 453 seq. *attonitusqae seces, ut quos Cybeleïa mater Incitat ad Phrygios vilia membra modos.*

maestae — Matris sc. propter amissum Attidem; cfr. VIII, 239; Suet. Othonis c. 8; Arnob. V, 7; 16; Prelleri mythol. rom. II³, 388.

636. De *exsectis* Bellonae *comatis*, qui Bellonarii dicebantur, cfr. Iuv. IV, 123; VI, 511; Tibull. I, 6, 43 seqq.; Lucan. I, 565; Prelleri mythol. Rom. II³ 386.

638. *sua proelia*; pronomen ponitur pro genetivo qui dicitur obiectivus vel potius hoc loco pro praepositione: sunt proelia contrà se ipsos gesta, ut Ovid. amor. II, 6, 27; cfr. *suos sontes* Val. III, 389.

640. *ultroque* i. e. non auxilio vocatus.

642. *ruit* Vat., *fugit* ego. Neque in pugna quisquam superfuit neque fuga salutem petivit.

643. *sua funera* i. e. cadavera; sic saepius apud poetas, ut Verg.

Digitized by Google

Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
Aesonides, qualis Getico de pulvere Mavors
intrat equis uritque gravem sudoribus Hebrum,
aut niger ex antris rutilique a fulminis aestu
cum ruit et Siculo respirat in aequore Cyclops.
redditus hic tandem sociosque amplexus ovantes
haud iam mendacem promissa reposcere regem
dignatur; nec, si ipse sibi terga ingerat ultro
qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti
amplius; ambo truces, ambo abscessere minantes.

Aen. IX, 491; Prop. I, 17, 8; Sil. II, 647; Stat. Theb. II, 461; 571; III, 134; IV, 571; VIII, 106; XII, 46; 94; 159; 212; Coripp. Ioh. IV, 1010.

644. *fumantibus — armis* sc. sanguine.

646. *uritque gravem sudoribus Hebrum*; solita sibi superlatione poeta ad magnum ardorem pugnae a Marte commissae indicandum *ustum* esse flumen a deo dicit.

gravis i. e. gravatus sudoribus Hebrus per prolepsin nominatur.

648. De collocatione *cum* coniunctionis vid. ad I, 623.

furit Vat., *ruit* Heinsius; de Cyclopibus fulmina fabricantibus cfr. ad I, 583.

649. *redditus hic tandem* sc. sociis; Koestlin. Phil. 39, 452 confert Verg. Aen. IX, 122 *reddunt se totidem facies* i. e. emergunt ex mari, in quod se praecipitaverant.

650. *promissa reposcere*: Verg. Aen. XII, 2.

652. *in pacem dextramque reverti* i. e. in societatem, amicitiam dextra data confirmandam, cfr. inter alia Tac. ann. II, 58 *miserat* (Artabanus) *amicitiam et foedus memoraturos et cupere novari dextras.*

Digitized by Google

C. VALERI FLACCI
ARGONAVTICON
LIBER OCTAVUS.

At trepidam in thalamis et iam sua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
patris habent; nec caerulei timor aequoris ultra,
nec miserae terra ulla procul; quascumque per undas
ferre fugam, quamcumque cupit iam scandere puppem.
ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,
quosque fugit complexa toros, crinemque genasque
ungue per antiqui carpsit vestigia somni,

2. *Colchida circa omnes — furiaeque minaeque — habent* i. e. eam quasi circumdantes vexant; de habendi verbi notione vid. ad V, 283.

5. *ferre fugam*; cfr. ad II, 282.

6. De sententia cfr. Apoll. IV, 26 seqq.; virgineas vittas ferebat Medea ut sacerdos Hecatae.

8. *ante* Vat., *ungue* Burm.; *anti carsit* Vat., *antiqui carpsit* Monac.

per antiqui vestigia somni: haec verba obscura et certe insolenter dicta explicantur sic: 'per memoriam, memor antiqui somni', quod narratum est V, 333 seqq. Nimis artificiose excogitata est explicatio Koestlini Phil. 38 p. 39, vestigia Somni esse simulacrum dei, quod fuerit ante lectum Medeae.

genas — carpsit; cfr. leg. XII tabul. apud Serv. Aen. XII, 606 *mulier faciem ne carpito* (quamquam Cicero haec verba aliter tradidit de leg. II, 59; 64); Stat. silv. II, 6, 78 *carpsitque immitis adunca Ora verenda manu*; III, 4, 65 *ne prima genas lanugo nitentes*

Digitized by Google

atque haec impresso gemuit miseranda cubili:
'o mihi si profugae genitor nunc mite supremos
amplexus, Aeeta, dares fletusque videres
ecce meos! ne crede, pater, non carior ille est,
quem sequimur; tumidis utinam simul obruar undis!
tu, precor, haec longa placidus mox sceptra senecta
tuta geras meliorque tibi sit cetera proles'.
dixit et Haemonio numquam spernenda marito
condita letiferis prodit medicamina cistis,
virgineosque sinus ipsumque monile venenis
implicat ac saevum super omnibus addidit ensem.
inde, velut torto Furiarum erecta flagello,
prosilit: attonito qualis pede prosilit Ino
in freta, nec parvi meminit conterrita nati,
quem tenet; extremum coniunx ferit irritus Isthmon.

Carperet. *antiquus* somnus est pristinus; cfr. II, 394; Luc. VI, 722; Ov. trist. III, 12, 2; Plaut. Amph. 475 al.

9. De sententia cfr. Verg. Aen. IV, 659; *impresso cubili* dictum pro presso cubili, ut Prop. I, 3, 12 *impresso — toro*; Avieni orae 519 *stagnum imprimebat*, quod servare debuit Holder; Coripp. Ioh. II, 226 *nimius tamen imprimit hostis*; in laud. Iust. I, 309 *imprimit, instat*; cfr. Ioh. IV, 1071; VI (V) 541.

10. *ille* Vat.; *mite* ego, i. e. placide, animo non concitato; de neutro adiectivi cfr. ad II, 453.

12. *fletusque videres ecce meos*: *ecce* interiectio saepius sententiae interponitur, imprimis apud Ovidium, ut her. XII, 101; XIV, 110; amor. I, 4, 46 al.

16. *nunquam spernenda — medicamina*: quae Iason nunquam spernere debuit.

17. *prodit medicamina cistis*; fere idem ac *promit*, cfr. Ov. met. IV, 656 *ipse retro versus squalentia prodidit ora*; Vopisc. vitae Aureliani c. 20 *inspecti libri, proditi versus*; quibus locis quamquam non plane similes sunt, tamen demonstari puto, nihil apud Valerium esse mutandum.

18. *monile*, nempe id, quod postea Creusae datum est; item *saevus ensis* is est, quo pueros necavit.

21. *prosilit* sc. e domo.

attonito — pede, cfr. ad I, 109.

23. Athamas uxorem gladio percussurus saxum ferit, cum Ino celeri fuga se in mare praecipitasset: sic recte Wagner verba ex-

Digitized by Google

Iam prior in lucos curis urguentibus heros
venerat et nemoris sacra se nocte tegebat,
tum quoque siderea clarus procul ora iuventa.
qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius aestiva residet venator in umbra,
dignus amore deae, velatis cornibus et iam
Luna venit: roseo talis per nubila ductor
implet honore nemus talemque expectat amantem.
ecce autem pavidae virgo de more columbae,
quae super ingenti circumdata praepetis umbra
in quemcumque tremens hominem cadit — haut secus illa
acta timore gravi mediam se misit; at ille

---

plicat; minus bene Burmann putat Athamantem furore inani, quod uxor evasisset, pedibus terram pulsasse; Wagneri enim sententiam si probamus, multo clarius et periculum et celeritas fugae nobis ante oculos ponuntur.

25. *nemoris sacra se nocte tegebat*, sc. Marti sacer erat lucus.

28. *Latmius — venator*: Endymion.

29. *velatis cornibus* sc. pudore, ne conspiciatur; de collocatione *et* coniunctionis vid. ad I, 89.

31. Utraque translatio, et *rosei* adiectivi et *honoris* substantivi ad pulchritudinem et splendidam speciem significandam poetis usitata est, cfr. infra v. 237.

talemque exspectat amantem: ut Iason cum Endymione, sic Medea cum Luna comparatur.

33. *super ingenti circumdata praepetis umbra*: praeterquam quod columba ultro pavida est, insuper terretur magna ave rapaci, quae, iam proxima, in eo est, ut columbam corripiat. Expressit poeta comparationem ex Ov. ex Pont. II, 2, 37 seq.; similem, non prorsus eandem comparationem legimus apud Verg. Aen. XI, 721, qui imitatus est Hom. Od. XV. 525; cfr. etiam Il. XXII, 139 seqq.; Valerium autem aliquomodo imitatus est Stat. Theb. VIII, 675 seqq.

Verbis quae sunt *ingenti circumdata praepetis umbra* poeta indicat, avem illam iam proxime ad columbam advolasse; ad aliam rem significandam usus est ingenti alitis umbra V, 175.

35. *mediam se misit* i. e. ruit toto corpore in amplexum Iasonis, quae est explicatio Wagneri. Sed mira est locutio: videtur Valerius usu, quo dicitur velut *mediam mulierem complectitur* Ter. Andr. 133

Digitized by Google

excepit blandoque prior sic ore locutus:
'o decus in nostros magnum ventura penates,
solaque tantarum virgo haut indigna viarum
causa reperta mihi, iam iam non ulla requiro
vellera teque meae satis est quaesisse carinae.
verum age et hoc etiam, quando potes, adice tantis
muneribus meritisque tuis; namque aurea iussi
terga referre sumus; socios ea gloria tangit.'
sic ait et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est:
'linquo domos patrias te propter opesque meorum;
nec iam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
vota sequor: serva hanc profugae, prior ipse dedisti
quam (scis nempe) fidem. di nostris vocibus adsunt,
sidera et haec te meque vident; tecum aequora, tecum
experiar quascumque vias, modo nequis abactam
huc referat me forte dies oculisque parentis
ingerar; hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.'
Haec ait atque furens rapido per devia passu
tollitur. ille haeret comes et miseratur euntem,
cum subito ingentem media inter nubila flammam
conspicit et saeva vibrantes luce tenebras.

---

vel *sublimem medium arriperem* Adelph. 316, quodam modo abusus esse, ut indicaret pectore Medeam in amplexum Iasonis ruisse non satis habentem ei manus dare. De verbis *se misit* cfr. Verg. Aen. IV, 253; Prop. II, 26, 19.

37. *prior sic ore locutus*: Ov. her. XII, 72.

39. *iam* Vat., *iam iam* Monacensis.

41. De initio versus cfr. Verg. Aen. XII, 832.

44. Pulchre poeta pudorem modestiamque Iasonis significat.

51 seq. Inscia Medea id deprecatur, quod postea revera accidit.

53. *hospitem* Medea appellat Iasonem ut VII, 437 *Thessalum*, nondum ausa eum proprio nomine vel amoris significatione appellare, quod ne faceret etiam tum pudore prohibebatur. Non perspexerunt interpretes sententiam poetae.

55. *tollitur* i. currit, properat; cfr. Ov. met. VII, 780, ubi sane accedit notio movendi in altiorem locum: *collis apex medii subiectis imminet arvis: Tollor eo capioque novi spectacula cursus.*

Digitized by Google

'quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
sidus?' ait. reddit trepido cui talia virgo:
'ipsius en oculos et lumina torva draconis
aspicis; ille suis haec vibrat fulgura cristis,
meque pavens contra solam videt ac vocat ultro,
ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
dic age nunc, utrum vigilanti hostemque videnti
exuvias auferre velis, an lumina somno
mergimus et domitum potius tibi tradimus anguem?'
ille silet; tantus subiit vi virginis horror.
Iamque manus Colchis vimenque intenderat astris,
carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,

---

miserat urentem Vat., *miseratur euntem* Monac.; cfr. Verg. Aen. VI, 476; miserandi autem verbum explicationem habet ex eis, quae antea Medea dixerat.

haeret comes: Stat. Theb. XI, 357; Ach. I, 345.

60. *oculos et lumina* gravi cum tautologia dictum, sed cfr. v. 453 *querellis questuque*; Verg. Aen. IV, 460 *exaudiri voces et verba*; Luc. I, 452 *nosse deos et caeli lumina*; V, 212 *torquet adhuc oculos totoque vagantia caelo Lumina.*

62. *meque pavens contra solam videt* 'mir allein sieht er furchtsam in die Augen'; cfr. Verg. Aen. XI, 374 *si patrii quid Martis habes, illum aspice contra*; saepius sic *contra* adverbium scriptum invenitur apud antiquiores, ut Plaut. Cas. 939 seq. *nec* (scio) *meam ut uxorem aspiciam contra oculis*; cfr. Pers. 208; Acc. trag. 538 R.; similiter Hom. Il. XIX, 14 seq. οὐδέ τις ἔτλη, ἄντην εἰσιδέειν. Verba Valerii a nullo fere recte intellecta sunt.

advocat Vat., *ac vocat* cod. Carr.

63. *ceu solet*: etiam tum draco Medeae blandiebatur.

66. *mergitur* Vat., *mergimus* cod. reg.; *vino somnoque mersos* dixit Liv. XLI, 3 extr.; de indicativis *mergimus* et *tradimus* vid. ad V, 285.

67. *tantos* Vat., *tantus* cod. Monac. a man. sec.; *ut* Vat., *vi* Barthius.

68. *crinemque* Vat., *vimenque* Koestlin. Phil. 48, 672 coll. v. 84 et Stat. Theb. II, 30 seq. *ni deus horrentem Lethaeo vimine mulcens Ferrea tergemino domuisset lumina somno.*

69. *barbarico pede* i. e. rhythmo, modulatione.

carmina fundens; vid. ad VII, 610.

Digitized by Google

Somne pater. 'Somne omnipotens, te Colchis ab omni
orbe voco inque unum iubeo nunc ire draconem,
quae freta saepe tuo domui, quae nubila cornu
fulminaque et toto quicquid micat aethere; sed nunc,
nunc age maior ades fratrique simillime Leto.
teque o Phrixeae pecudis fidissime custos,
tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
quem metuis me hic stante dolum? servabo parumper
ipsa nemus; longum interea tu pone laborem.'
ille haut Aeolio discedere fessus ab auro,
nec dare permissae (quamvis iuvet) ora quieti
sustinet; ac primi percussus nube soporis
horruit et dulces excussit corpore somnos.
contra Tartareis Colchis spumare venenis
cunctaque Lethaei quassare silentia rami

---

70. Ex silentio Iasonis Medea concludit eum optare, ut draco sopiatur.

Somne pater, vid. ad III, 727.

Somne omnipotens: Hom. Il. XIV, 233 ὕπνε, ἄναξ πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων; Apoll. IV, 146 ὕπνον ἀοσσητῆρα, θεῶν ὕπατον, καλέουσα e. q. s.

72. *cornu* tribuitur Somno, ex quo papavera soporifera fundit, vid. Sil. X, 352; Stat. Theb. II, 144; V, 199; VI, 27; X, 111.

74. *maior ades*: cfr. ad VII, 352.

75. *te quoque* Vat., *teque o* Meyncke quaest. Val. p. 53.

fidissime custos: Ov. fast. V, 45; de sententia cfr. similem Somni ad Palinurum compellationem apud Verg. Aen. V, 844 seqq.

77. *meis tande* Vat., *me hic stante* cod. reg.

81. *percussus nube soporis*; cfr. Stat. Theb. X, 281; Ach. I, 646; Claud. de laud. Stil. I, 309; de rapt. Pros. I, 81; percutiendi verbum etiam ad mollem tactum pertinere docent loci, quales sunt Plaut. Amph. 526; Cas. 640.

82. *ab arbore* Vat., *corpore* Heinsius.

83. *venenis* om. Vat., add. Monac. Si sic Valerius scripsit, audacter dixit Medeam spumare venenis pro eo quod dicendum erat, Medeam spumantia venena spargere; proprie Cephissus veneno spumare dicitur apud Claud. in Ruf. praef. I, 9.

84. *Lethaei — rami*: cfr. Verg. Aen. V, 854 *ramum Lethaeo rore*

Digitized by Google

perstat, et adverso luctantia lumina cantu
obruit atque omnem linguaque manuque fatigat
vim Stygiam, ardentes donec sopor occupet iras.
iamque altae cecidere iubae, nutatque coactum
iam caput atque ingens extra sua vellera cervix,
ceu refluens Padus aut septem proiectus in amnes
Nilus et Hesperium veniens Alpheos in orbem.
ipsa caput cari postquam Medea draconis

---

madentem; Sil. X. 356 *tangens Lethaea tempora virga*; vide etiam Apoll. IV, 156 seqq.

84. Audacter quidem sed non obscure Valerius silentia tribuit ramo i. e. vim silentii faciendi.

85. *luctantia lumina:* Sil. VII, 205.

86. *fatigat vim Stygiam* i. e. utitur ea usque ad fatigationem, cfr. V, 141; Sil. I, 675 *curasque fatigant*; VII, 492 *qui tertia bella fatiget*; Stat. Ach. I, 104 *coepta fatigat pectore consilia*; Iuv. VI, 442 *nemo tubas, nemo aera fatiget.* Cfr. ad III, 21.

88—125. desunt in Vaticano.

89. *extra sua vellera cervix*; recte verba explicat Burmann coll. VII, 525; draco spiris arborem, ex qua vellera pendent, amplecti solet; tum cervix iam somno victa et languida ab arbore simulque a velleribus in terram demittitur.

90. Comparatio satis obscura et varia ratione explicata. Sine dubio a vero aberravit Wagner ratus magnitudinem fluviorum cum magnitudine ingentis cervicis comparari; neque probanda videtur Peerlkampi et Koestlini sententia, qua putant Valerium de inundatione fluviorum dicere, quod in Alpheum non cadit; proxime ad veritatem videtur Burmann accessisse, quamquam diversa miscens. Mea sententia comparatur ardor draconis iam languens cum fluviis antea rapacibus, qui in mare exeuntes iam 'leni fluunt agmine', quin etiam Padi undae interdum refluunt fluctu maris repulsae, cfr. Claud. laudis Seren. 79 seq. *quaeque relabentes undas aestumque secutae In refluos venere palam Nereides amnes*; Nili aquae tardantur distributae in septem amnes, quod poetae etiam de Pado licebat dicere, cfr. Plin. nat. hist. III, 119; Alpheus denique post celerem illam Arethusae persecutionem postquam suas aquas Arethusae miscuit, leniter iam profluit.

septem proiectus in amnes Nilus; cfr. Avien. orb. 525 *hinc iacet in patulos proiecta Calabria campos.*

Digitized by Google

vidit humi, fusis circum proiecta lacertis
seque suumque simul flevit crudelis alumnum.
'non ego te sera talem sub nocte videbam
sacra ferens epulasque tibi, nec talis hianti
mella dabam ac nostris nutribam fida venenis.
quam gravida nunc mole iaces! quam segnis inertem
flatus habet! nec te saltem, miserande, peremi!
heu saevum passure diem! iam nulla videbis
vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.
cede adeo inque aliis senium nunc digere lucis
immemor, oro, mei; nec me tua sibila toto
exagitent infesta mari. sed tu quoque cunctas,
Aesonide, dimitte moras, atque effuge raptis
velleribus. patrios extinxi noxia tauros;
terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
corpus habes, iamque omne nefas, iam, spero, peregi.'
quaerenti tunc deinde viam, qua se arduus heros
ferret ad aurigerae caput arboris, 'eia, per ipsum

98. *quam segnis inertem flatus habet*; cfr. ad V, 283.

99. *miserande, peremi:* Ov. met. IV, 110.

101. *tuam umbram* utrum poeta intellexerit draconis ipsius, quod putavit Wagner, an arboris ab eo custoditae, quod voluit Burmann, non satis liquet: illud simplicius, quamquam ut Valerius dixit *sua vellera* v. 89, quae a dracone custodiebantur, sic *tuam* arborem vel *umbram* quoque dicere ei licebat.

102. *cede adeo*: *adeo* particula imperativo addita legitur etiam apud Ter. Andr. 759.

senium nunc digere pro eo quod est *senium dege* exemplo carere videtur; certe aliter se habet Stat. silv. II, 3, 69 *qui digeris ordine vitam.*

Sedem ut mutet draco, Medea optat, ne loco ipso rapinae semper commoneatur.

103. *nec — exagitent*, cfr. ad I, 175.

107. *infesta* Monac.; *in fata* Vatic. saeculi XV; cfr. VII, 545; Ter. Andr. 830; Man. V, 652.

108. Medea Iasonem adhortatur, ut, quae facienda restent, celerrime effectis protinus fugiat, metu ducta ne, si nova et inexspectata impedimenta obiciantur, novis etiam fraudibus utendum sit; simul indicat poeta futuram Absyrti caedem.

scande age et adverso gressus' ait 'imprime dorso.'
nec mora fit. dictis fidens Cretheia proles
calcat et, aeriam quamvis, perfertur ad ornum,
cuius adhuc rutilam servabant bracchia pellem,
nubibus accensis similem aut cum veste recincta
labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo.
corripit optatum decus extremumque laborem
Aesonides, longosque sibi gestata per annos
Phrixeae monumenta fugae vix reddidit arbor
cum gemitu tristesque super coiere tenebrae.
egressi relegunt campos et fluminis ora
summa petunt. micat omnis ager, villisque comantem
sidereis totos pellem nunc fundit in artus,
nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistrae.

---

113. *aeriam — ad ornum*; cfr. *aeria ab ulmo* Verg. ecl. I, 58; *aeriae quercus* Aen. III, 680. Quod arborem *ornum* esse dicit poeta, ut etiam VII, 535, cum V, 230 *quercum* nominet, leve est: sic Apollonius quoque modo fagum, modo quercum commemorat.

114. *bracchia*, rami: cfr. Verg. Aen. XII, 209.

115. *nubibus accensis similem*: Apoll. IV, 126 (κῶας) νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἥτ' ἀντόντος ἠελίοιο φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν.

116. *Thaumantias*; vid. ad VII, 398.

117. *corripere laborem* cum nusquam legatur, hoc loco figura zeugmatis id dictum esse statuendum est.

120. Consentit Valerius cum Apollonio et Antimacho (schol. Apoll. IV, 156), quod draconem a Medea sopitum, non occisum narrat, cfr. Colum. de cultu hort. X, 368; contra Herodorus et Pherecydes draconem ab Iasone interfectum esse tradiderant teste schol. Apoll. IV, 87 et 156, et cum eis consentiunt Pind. Pyth. IV, 442; myth. Vat. I, 23; 25; schol. Stat. Theb. V, 475; a Medea occisum esse dicunt Eurip. Med. 480 seqq. et Diod. IV, 48. Etiam in nonnullis picturis vasorum Iason describitur draconem occidens, contra in aliis Medea eum consopiens, vid. Pyl, de Medeae fabula p. 35 seqq.; Flasch, angebl. Argonautenbilder p. 32 seqq.; Heydemann, Iason in Kolchis p. 14 seqq.; ephem. archaeol. 1860 tab. 139; 1866 p. 238.

122. *villis — sidereis* i. e. splendidis pellem auream *comantem* dixit Val., ut Accius agnum *aurea clarum coma* dixit frg. trag. 211.

123. De sententia cfr. Apoll. IV, 179 seqq.

Digitized by Google

talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
ibat, adhuc aptans umeris capitique leonem.
ut vero sociis, qui tunc praedicta tenebant
ostia, per longas apparuit aureus umbras,
clamor ab Haemonio surgit grege; se quoque gaudens
promovet ad primas iuveni ratis obvia ripas.
praecipites agit ille gradus atque aurea misit
terga prius; mox attonita cum virgine puppem
insilit ac rapta victor consistit in hasta.
Interea patrias saevus venit horror ad aures
fata domus luctumque ferens fraudemque fugamque
virginis. hinc subitis infelix frater in armis,
urbs etiam mox tota coit, volat ipse senectae
immemor Aeetes, complentur litora bello

---

126. *adhuc* 'immer noch', ut saepius etiam in prosa oratione; de substantivi *leonis* significatione cfr. ad VI, 704.

127. *praedicta — ostia;* ex his verbis apparet, Iasonem sociis, antequam discederet, mandavisse, ut navem in ostiis Phasidis paratam haberent.

131. *agit — gradus* eadem ratione dicitur, ut saepius *se agere.* Aliam de Medeae fuga narrationem vide apud schol. Apoll. IV, 59 et 86.

133. *rapta consistit in hasta*; cfr. ad I, 255 et 641.

136—153 desunt in Vat.; item 366—385; 154—185 autem collocantur post 365; in Monacensi et Vaticano saec. XV 136—185 leguntur post 385.

134 seqq. nimis breviter descripsit Valerius ea, quae post fugam Medeae in Colchorum urbe facta sunt neque locus absolutus videtur; cfr. Petersi de Val. Flacci vita et carmine p. 22.

136. *inflexit* cdd.; *infelix* Schenkl.

138. *complentur litora bello*; Weichert et Wagner intellegunt viros armatos, sed plus mihi videtur significari: totus apparatus bellicus; cfr. Val. I, 551 et anthol. lat. 71, 4 B.: *perque latus misit* (Athos) *maxima bella suum* i. e. exercitum Persarum totumque belli apparatum. Consentit Valerius cum Apollonio, quod Aeetes re infecta domum redire coactus est, Dionysius autem pugnam factam esse inter Argonautas et Colchos narraverat teste schol. Apoll. IV, 223 et 228 in eaque Iphim cecidisse; cfr. Diod. IV, 48.

Digitized by Google

nequiquam; fugit immissis nam puppis habenis.
Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas
et soror atque omnes aliae matresque nurusque
Colchides aequalesque tibi, Medea, puellae.
extat sola parens impletque ululatibus auras:
'siste fugam, medio refer huc ex aequore puppem;
nata, potes. quo' clamat 'abis? hic turba tuorum
omnis et iratus nondum pater; haec tua tellus
sceptraque. quid terris solam te credis Achaeis?
quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
istane vota domus expectatique hymenaei?
hunc petii grandaeva diem? vellem unguibus uncis,
ut volucris, possem praedonis in ipsius ora
ire ratemque supra, claroque reposcere cantu
quam genui. Albano fuit haec promissa tyranno,
non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
Aesonide; non hoc Pelias evadere furto
te iubet aut ullas Colchis abducere natas.

---

139 et 140 non satis apto vinculo inter se cohaerent, quare nonnulla excidisse putant Weichert et Thilo praef. p. XXXI; Schenkl contra existimat, poetam partes tantum huius libri exaravisse, cfr. etiam Petersi l. s. l. Res non facilis est ad diiudicandum. Meieri certe argumentum quaest. Argon. p. 29 contra Thilonis sententiam prolatum mihi non probatur; ab altera autem parte ne id quidem negandum, non solum ante verba matris Medeae, sed etiam post ea v. 175 orationem hiare. Apollonius in fuga Medeae narranda matris omnino mentionem non facit. Matris nomen, quod apud Valerium non legitur, *Idyia* erat: Apoll. III, 243; schol. Ap. IV, 223; Hesiod. Theog. 960; Apollod. I, 9, 23, 5; Ov. her. XVI, 232; Hyg. fab. 25; Cic. de nat. deor. III, § 48. Sed alii aliter tradiderunt, cfr. schol. Apoll. III, 242; IV, 59; myth. Vat. I, 204; Diod. IV, 45.

141. *matresque nurusque*; cfr. ad II, 111.

143. *extat sola parens* i. e. eius vox auditur tantopere, ut ceterarum mulierum lamentationes fere evanescere videantur.

151. *in ipsius ora ire*, cfr. ad VII, 294.

152. *ratemque supra*: ad haec verba simplex volandi notio audienda est.

Digitized by Google

vellus habe et nostris siquid super, accipe, templis.
sed quid ego quemquam immeritis incuso querellis?
ipsa fugit tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti)
ex quo Thessalici subierunt . . . . . .
quod nullae te, nata, dapes, non ulla iuvabant
tempora. non ullus tibi tum color, aegraque verba
errantesque genae atque aliena ah! gaudia vultu
semper erant. cur tanta mihi non prodita pestis,
ut gener Aesonides nostra consideret aula
nec talem paterere fugam? commune fuisset
aut certe nunc omne nefas, iremus et ambae
in quascumque vias; pariter petiisse iuvaret

---

159. *ipsa fugit* i. e. sua sponte.

160. *hoc erat — quod*: Verg. Aen. II, 664.

161. Post *subierunt* falso ex versu proximo repetuntur *nam singula* in Vat.; inter alia proposuit Heinsius *litora remi*.

163. *tempora* vix sanum, sed nondum repertum, quod probari possit.

164. *errantesque genae*; genae hoc loco non possunt non significare oculos, atque etiam interdum apud alios poetas haec huius substantivi notio reperitur: Ov. her. XIX, 206 *restiterim fixis in tua membra genis*; ex Pont. II, 8, 66 *et patiar fossis lumen abire genis*; Prop. III, 12, 26 *exustaeque tuae mox, Polypheme, genae*; IV, 5, 16 *cornicum immeritas eruit ungue genas*; Sen. Phaedr. 992 *rigatque maestis lugubrem vultum genis*.

alieno gaudia vultu Vat., quod frustra temptarunt explicare coll. Hor. sat. II, 3, 72 et Hom. Od. XX, 347, quare scripsi *aliena ah! gaudia*.

167. *paterere fugam*: Claud. de bello Poll. 525 *te patiar suadente fugam. commune fuisset — nunc omne nefas* i. e. hoc tempore, quo fugis; causam mutandi equidem non video.

De collocatione *aut* particulae cfr. ad II, 181.

Nimis auget maternum amorem Valerius, cum dicentem facit matrem se una cum filia fugituram fuisse, sed non magis hoc loco offendendum quam non paucis aliis, ubi superlationes non laudabiles reperiuntur; dico propter Wagnerum et Thilonem, qui de hoc loco dixit praef. p. XXXI.

Digitized by Google

Thessaliam et saevi, quaecumque est, hospitis urbem'.
sic genetrix, similique implet soror omnia questu
exululans; famulae pariter clamore supremo
in vacuos dant verba notos dominamque reclamant
nomine; te venti procul et tua fata ferebant.
Inde diem noctemque volant. redeuntibus aura
gratior, et notae Minyis transcurrere terrae,
cum subito Erginus puppi sic fatur ab alta:
'vos' ait 'Aesonide, contenti vellere capto,
nec via quae superet nec quae fortuna, videtis.
crastina namque dies trucis ad confinia ponti
Cyaneasque vocat, meminique, o Tiphy, tuorum
saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
mutandum, o socii, nobis iter; altera ponti
eluctanda via et cursu, quem fabor, eundum est.
haut procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri,
fundere non uno tantum quem flumina cornu
accipimus; septem exit aquis, septem ostia pandit.
illius adversi nunc ora petamus et undam,

---

172. *clamore supremo*: vid. ad I, 752.

173. *in vacuos dant verba notos*: cfr. V, 21; Verg. Aen. IX, 312; Tib. III, 4, 96.

175. Cfr. ad v. 140.

178. Omnes socios Erginus alloquitur, nominat solum virum primarium; cfr. Verg. Aen. I, 140; IX, 525; Tib. I, 3, 1; Sil. III, 222.

185. *exitus Histri*: cfr. Lucr. VI, 727.

186. Non liquet, unde Erginus accipere potuerit septem ostiis Histrum in mare exire atque Argonautas posse per hunc fluvium in aliud mare transire. Rectius rem gessit Apollonius, apud quem Argus vaticinatione doctus socios monet, ut alia via redeant IV, 256 seqq.

non uno — cornu, i. e. ore, ut Ov. met. IX, 773.

187. De septem Histri oribus vide ad IV, 718.

188. *petamus — undam, quae latus in laevum ponti cadit*; suadet Erginus, ut subvehantur in id ostium, quod navigantibus laevum est i. e. maxime ad meridiem versus in mare exit. Non recte intellexerunt locum Wagner et Burmann.

quae latus in laevum ponti cadit; inde sequemur
ipsius amnis iter, donec nos flumine certo
perferat inque aliud reddat mare. sint age tanti,
Aesonide, quaecumque morae, quam saeva subire
saxa iterum, quam Cyaneos perrumpere montes.
sat mihi: non totis Argo redit ecce corymbis'.
haec ait ignarus fixas iam numine rupes
stare neque adversis ultra concurrere saxis.
reddidit Aesonides: 'et te, fidissime rector,
haud vani tetigere metus, nec me ire recuso
longius et cunctis redeuntem ostendere terris'.
protinus inde alios flexu regesque locosque

---

190. De hoc flumine, quod ex Histro in mare Adriaticum influere dicebatur, vid. Plin. nat. hist. III, 127; Apoll. IV, 282 seqq., et schol. ad v. 284, qui docet, solum Timagenem eumque secutum Apollonium narrasse ea via Argonautas in mare Mediterraneum pervenisse. Sunt, inter quos Peters, qui putent Valerium in numero eorum fuisse, quos Plinius diligentiores nominat quosque navem umeris Argonautarum Alpes travectam tradidisse dicit; sed verbis poetae haec sententia minime commendatur.

191. *proferat* Vat., *perferat* edit. Bon. et Ald.

sint — tanti — quaecumque morae quam saeva subire saxa iterum i. e. sint tanti potius quam subire, cfr. Plaut. Men. 726 *vidua vivam, quam tuos mores perferam*; Bacch. 618; Rud. 684; Kuehneri gramm. lat. II, § 225, 3, annot. 6. Locutio autem *tanti esse* valde amata est poetis Latinis, velut his locis apud Ovidium legitur: her. I, 4; VII, 43; 69; IX, 10; XVI, 225; XVIII, 97; amor. I, 10, 49; II, 5, 1; III, 6, 38; artis III, 505; 610; remed. 750; met. II, 424; 659; VI, 386; X, 310; 613; XI, 779; fast VI, 701; trist. II, 209; ex Pont. III, 9, 45; IV, 6, 12; praeterea reperitur apud Horatium Tibullum Propertium Senecam Lucanum Statium Martialem Calpurnium Claudianum aliosque.

194. *sat mihi* sc. semel Cyaneos montes perrupisse.

195. De sententia cfr. ad IV, 381.

199. *et cunctis redeuntem ostendere terris*: Iason non solum metu Cyanearum, sed etiam gloriae cupiditate ductus longius iter praefert.

200. Non omnes scriptores consentiunt alio itinere Argonautas

Digitized by Google

adsuetumque petunt plaustris migrantibus aequor.
Puppe procul summa vigilis post terga magistri
haeserat auratae genibus Medea Minervae;
atque ibi deiecta residens in lumina palla
flebat adhuc, quamquam Haemoniis cum regibus iret,
sola tamen nec coniugii secura futuri.
illam Sarmatici miserantur litora ponti,
illa Thoanteae transit defleta Dianae.
nulla palus, nullus Scythiae non maeret euntem
amnis; Hyperboreas movit conspecta pruinas,
tot modo regna tenens; ipsi quoque murmura ponunt
iam Minyae, iam ferre volunt. vix allevat ora

---

rediisse, sed fuerunt, qui traderent eadem via eos qua profecti erant domum revertisse, cfr. Ov. am. II, 11, 4; Sen. Med. 456; Herodor. apud schol. Apoll. IV, 259; Muelleri Min. p. 295; Groegeri de Argonauticarum fabularum hist. quaest. p. 41 seqq.

flectunt Vat., *flexu* Phil. Wagner Philol. 20, 647; *flectunt reges* non dici posse puto pro eo quod est *ad reges flectunt*.

201. Se vertunt ad septentrionales Ponti partes, quae ex sententia poetae hieme gelu constrictae esse solent.

202—216 non suo loco nunc leguntur. Ut taceam, non aptum esse tum demum, quali animo sit Medea fugiens, commemorari, quod statim in initio fugae descriptae fieri debebat, prorsus a ratione poetae aliena est mentio Carambis nubiferae et regnorum Lyci v. 214 et 215, cum paullo supra ad alios reges locosque i. e. oram septentrionalem Ponti Argonautas se vertisse dixerit; has autem regiones viri etiam in priore itinere praetervecti erant, vid. IV, 599; V, 107; IV, 589, 733 seqq. Itaque sic statuendum puto: poeta versus supra indicatos post 174 collocaturus cum nondum conexum, qui satis placeret, repperisset, in exemplari suo non certo loco assignavit, unde falso huc translati sunt.

203. *auratae — Minervae*: cfr. ad I, 301.

204. Vid. I, 132.

207. Litoribus sensus miserandi tribuitur; cfr. Verg. Aen. VII, 759.

208. *deflexo* Vat., *defleta* cod. reg.; cfr. VI, 495.

211. Argonautas non laetos Medeam navi accepisse ex hoc demum loco discimus, vid. praef. cap. I.

Digitized by Google

ad seras, siquando, dapes, quas carus Iason
ipse dabat, iam nubiferam transire Carambin
significans, iam regna Lyci, totiensque gementem
fallit ad Haemonios hortatus surgere montes.
Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae,
torvus ubi et ripa semper metuendus utraque
in freta per saevos Hister descendit alumnos;
solvere in hoc tandem resides dux litore curas,
ac primum socios ausus sua pacta docere
promissamque fidem thalami foedusque iugale.
ultro omnes laeti instigant meritamque fatentur.
ipse autem invitae iam Pallados erigit aras,

---

214. *dabam* Vat., *dabat iam* ed. Bon. et Ald.

216. Consolari temptat Iason Medeam eo, quod mentitus dicit iam apparere Thessaliae montes, ad quos videndos ut surgat eam hortatur.

217. *insula — Peuce stat nomine*: cfr. Verg. Aen. III, 210.

218. *torvus — Hister*; torvum eum nominari dicunt praeter alios Burmann et Wagner, quia fluvii taurino capite et cornigeri a poetis fingantur, de qua re conferri poterat Verg. georg. IV, 371; Hor. c. IV, 14, 25 al.; at cum sequantur verba *ripa — metuendus utraque*, mihi videtur aliquid intellegendum, quod non commune sit omnium fluviorum, sed proprium Histri, quare magis probo explicationem Pii propter torvitatem accolarum sic Histrum nominari, ut Indus *niger* apud Claud. in Prob. et Olybr. consul. I, 170; de laud. Stil. I, 158. Ipsi accolae versu qui sequitur *saevi alumni* vocantur; de *alumni* substantivo cfr. Claud. de laud. Stil. I, 159 *hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus Oceani.*

220. *solvere — resides dux — curas* i. e. curas, quae etiam tum remanserant; hac simplici remanendi notione reperitur adiectivum praeditum etiam apud Livium lib. II, 32, 5 *timere patres residem in urbe plebem*; simpliciter opponit hanc Livius ei parti, quae ex urbe secesserat; etenim neque illam neque hanc quidquam egisse tradit.

224. *invitae — Pallados erigit aras*; invita erat Pallas variis ex causis: non placet ei, quod Iason non virtute sua, sed a Medea amore incensa adiutus mandata exsecutus est, tum innupta Pallas nihil cum Venere habet commune, denique metuit Iasoni propter mala futura.

Digitized by Google

incipit Idaliae numen nec spernere divae.
praecipueque sui, siquando, in tempore pulcher
coniugii Minyas numquam magis eminet inter,
qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto subit aut dilecta Cythera.
suscitat adfixam maestis Aeetida curis,
ceu cum caelestes Alcidae invisere mensas
iam vacat et fessum Iunonia sustinet Hebe.
adsunt unanimis Venus hortatorque Cupido,
ipsa suas illi croceo subtegmine vestes

---

225. *incipit Idaliae numen nec spernere divae*; cfr. ad VI, 25 et III, 5.

226 seq. in unum coniunxit Valerius duas diversas sententias has: 'praecipue — si quando, in tempore — coniugii inter Minyas eminet' et 'numquam magis eminuit quam tempore coniugii', cfr. Hor. sat. I, 4, 101 seqq. *quod vitium procul afore chartis — ut si quid promittere de me possum aliud vere, promitto*, quae coniuncta sunt ex his sententiis: ut quid aliud promittere possum' et 'si quid promittere possum'.

227. De collocatione *inter* praepositionis cfr. ad I, 151; de tota sententia cfr. Verg. Aen. IV, 141 seqq.

228. *victor* om. Vat., add. Mon.

233. Hic versus in libris post 232 legitur, sed praeterquam quod constructionem verborum eo loco turbat, apparet comparationem Herculis fessi atque ab Hebe sustentati non aptam esse ad describendum Iasonem inter socios eminentem, sed pertinere ad Medeam ab Iasone sustentatam: itaque versum 233 posui post 229 et in versu 230 *ceu* scripsi pro eo quod traditur *seu*. Koestlin Phil. 39, 452 v. 233 collocandum putat ante 232.

maestis — curis; sic saepius maestae dicuntur res per se iam tristes, quae maestitiam afferunt, cfr. ad IV, 184. *adfixam — curis*; cfr. Tib. I, 3, 87 *gravibus pensis adfixa puella.*

231. *invisere — iam vacat* proprie: otium datur, ut liceat, sed latiore significatione hic ponitur omnino pro eo, quod est *licet*; sic legitur etiam Verg. Aen. X, 625; Ov. trist. V, 2, 6; Luc. II, 377; IV, 40; Sil. XVII, 373.

232. *unanimes* Vat., *unanimis* Meyncke mus. Rhen. 22, 375.

Digitized by Google

induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam
donat et arsuras alia cum virgine gemmas.
tum novus implevit vultus honor, ac sua flavis
reddita cura comis, graditurque oblita malorum.
sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
laetaque iam Cybele festaeque per oppida taedae,
quis modo iam saevos adytis fluxisse cruores
cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri?
inde, ubi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Aesonides, unaque adeunt pariterque precari
incipiunt, ignem Pollux undamque iugalem
praetulit, et dextrum pariter vertuntur in orbem.
sed neque se pingues tum candida flamma per auras
explicuit, nec tura videt concordia Mopsus,
promissam nec stare fidem, breve tempus amorum.
odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque,
et tibi iam nullos optavit, barbara, natos.
mox epulas et sacra parant; silvestria laetis
praemia venatu facili quaesita supersunt;

---

235. *duplicem coronam* sumpsit Valerius ex Verg. Aen. I, 655, ubi legimus *duplicem gemmis auroque coronam*; hinc demum perspicere possumus, quam duplicem coronam Valerius intellexerit, sc. ex duplici materia factam; verbis quae sequuntur *arsuras alia cum virgine gemmas* sententiam suam magis obscuravit quam explicavit.

De re cfr. etiam ad V, 447.

239. De diebus festis in honorem Magnae Matris celebratis cfr. Ov. fast. IV, 337 seqq. et quae allata sunt ad VII, 635, et de hoc ipso loco imitationem Stat. silv. V, 1, 223 seq.

245. De hoc ritu nuptiarum more Romano celebratarum cfr. Plut. qu. Rom. I; Dion. antiqu. Rom. II, 30; Marquardti antiq. Rom. VII, 54.

246. *dextrum pariter vertuntur in orbem*, ut solebat fieri apud Romanos prece in sacrificiis faciendis peracta, vide Marquardti l. l. VI, 174.

247. *pingues — per auras; aura pinguis* est aer repletus fumo ex pinguibus victimae partibus exorto; ipse hic fumus dicitur *pinguis* apud Lucan. VIII, 730 et Sil. IV, 307; flamma Ov. trist. V, 5, 11; Tac. Germ. c. 45. De tota sententia cfr. Sen. Oed. 309 seqq.

253. Capta venatio nonnumquam *praemia* dicuntur a poetis, ut Hor. epod. II, 36; Prop. III, 12, 46.

Digitized by Google

pars veribus, pars undanti despumat aeno.
gramineis ast inde toris discumbitur, olim
Hister anhelantem Peucen quo presserat antro.
ipsi inter medios rosea radiante iuventa
altius inque sui sternuntur velleris auro.

Quis novus inceptos timor impediit hymenaeos
turbavitque toros et sacra calentia rupit?
Absyrtus subita praeceps cum classe parentis
advehitur profugis infestam lampada Grais

---

254. Hic versus a novissimis editoribus corruptus putatur aut aliquid intercidisse, sed fortasse ab audacia Valerii non abhorret zeugma, ut ex *despumandi* verbo, cuius obiectum est *praemia* i. e. capta venatio, notio *figendi* vel *assandi* audiatur: certe non multum dissimilis est locus IV, 66 *sat tibi furtum ignis* (sc. punitum) *et aetheriae defensa silentia mensae.* De sententia vide Verg. Aen. 1, 212 seq.; georg. I, 296.

256. Hanc de Peuce nympha et Histro fluvio fabulam Valerius ipse videtur finxisse, ab eo sumpsit Stat. silv. V, 2, 137.

257. *radiante iuventa* est prorsus nostrum 'in strahlender Jugend', sed multo rarius in latino sermone de hominibus dictum reperitur et apud posteriores poetas fere solos: Claud. in Prob. cons. 118; de IV cons. Hon. 518; Apoll. Sid. VII, 199; Venant. Fort. V, 5, 125; VII, 6, 20; VIII, 2, 3; IX, 1, 102; Claud. Vict. Aleth. III, 312; Sedul. pasch. c. II, 52.

258. *inque sui sternuntur velleris auro*; cfr. Apoll. IV, 1139 seqq. Ceterum prorsus alia de nuptiis Iasonis et Medeae tradidit Apollonius, eis in animo fuisse tum demum nuptias celebrare, cum in Graeciam venissent, sed necessitate coactos id fecisse iam apud Alcinoum in insula Phaeacum, ne Medea Colchis persequentibus traderetur, vid. Apoll. l. l. et schol. IV, 1153; 1217 diversas narrationes commemorantem. Cum autem Valerius tradat, nuptias non rite perfectas esse, fortasse sollemnia instaurata esse in insula Phaeacum narraturus erat.

261. *subita — cum classe*; cfr. ad v. 287.

262. *infestam lampada Grais concutiens*: non sine consilio hanc lampadem commemorat poeta contrariam ei, quam paullo ante Pollux praetulerat, cfr. etiam v. 278.

Digitized by Goog

concutiens diramque premens clamore sororem,
atque 'hanc, o siquis vobis dolor iraque, Colchi,
accelerate viam; neque enim fugit aequore raptor
Iuppiter aut falsi sequimur vestigia tauri.
puppe (nefas) una praedo Phrixea reportat
vellera; qua libuit, remeat cum virgine; nobis
(o pudor!) et muros et stantia tecta reliquit.
quid mihi deinde satis? nec quaero vellera, nec te
accipio, germana, datam; nec foederis ulla
spes erit aut irae quisquam modus. inde reverti
patris ad ora mei tam parvo in tempore fas sit?
quinquaginta animae me scilicet unaque mersa
sufficiet placare ratis? te, Graecia fallax,
persequor atque tuis hunc quasso moenibus ignem;
nec tibi digna, soror, desum ad conubia frater,
primus et ecce fero quatioque hanc lampada vestro

---

263. *premens clamore*: Verg. georg. III, 413; Aen. I, 324.
diroque Baehrens scripsit, fortasse recte.

264. *o — Colchi*; interiectio a substantivo separata est ut II, 274; 404.

265. *neque enim fugit aequore raptor Iuppiter*: is, qui aequore fugit, non Iuppiter est; se sororem persequentem comparat cum Cadmo et ipso sororem quaerente.

266. *falsi — tauri*; cfr. VI, 491.

267. *nefas* sermoni interiectum, velut Verg. Aen. VII, 73; VIII, 688; X, 673.

268. *qua libuit, remeat cum virgine* i. e. cum ea virgine, quae ei placuit; dico propter Wagnerum; de omissa ante pronomen *qua* praepositione cfr. Kuehn. gramm. lat. II. § 112, 2, b.

269. *o pudor!* Ov. her. IX, 111; Hor. carm. III, 5, 38.
nobis — et muros et stantia tecta reliquit i. e. pudendum est, quod pugna non facta Argonautae vellus et virginem rapuerunt; id eis contingere non debuit, nisi prius urbem delevissent.

270 seqq. Neque foedus ullum, inquit Absyrtus, me placabit neque adeo pernicies omnium Argonautarum.

272. *inde* i. e. deinde, si perniciem hostibus paraverim, nondum fas sit reverti. Particulam *inde* mihi non satis placere profiteor, sed aliam explicationem non admitti posse puto.

coniugio, primus celebro dotalia sacra,
qui potui; patriae veniam da, quaeso, senectae.
quin omnes alii, pariter populusque patresque,
mecum adsunt. magni virgo ne regia Solis
Haemonii thalamos adeas despecta mariti,
tot decuit coiisse rates, tot fulgere taedas'.
Dixerat atque orans iterum ventosque virosque
perque ratis iit et remos vox alta magistri.
illi autem intorquent truncis frondentibus undam,
quaeque die fuerat raptim formata sub uno
et tantum deiecta suis a montibus arbor
(quid dolor et veterum potuit non ira virorum?)
haud longis iam distat aquis, sequiturque volantem
barbara Palladiam puppem ratis, ostia donec

279 seqq. acerbissima cum ironia Absyrtus loquitur.

dotalia sacra ea sunt, quae ad matrimonium pertinent; sic *dotale nomen lacus* apud Sil. V, 22 nomen est, quod lacus ex coniugio nymphae Agyllae cum iuvene Trasimeno accepit, et *dotalia arma* XVII, 75, quae Syphax propter matrimonium cum muliere Punica initum ad Poenos transtulit; cfr. etiam Claud. magn. 30 *thalamum dotalis purpura velat.*

281. *alti* Vat., *alii* cod. Monac.; *populique* Vat., *populusque* Bentleius; de populo patribusque cfr. ad I, 72.

286. Verba hoc modo corrupta in Vat. traduntur: *perque ratis supplex et remigis vexilla magistris*; innumerabiles fere coniecturae factae sunt, quas omnes enumerare longum est; quae ego scripsi, propius quam ceterae coniecturae, quae quidem sanam habeant sententiam, ad verba tradita accedere videntur atque etiam id effeci, ut in versu 285 nihil sit mutandum.

287. *intorquent truncis frondentibus undam*; eo consilio Valerius remos truncos frondentes nominat, ut imperfectam navium condicionem significet utcunque ornatarum, nam uno die totam classem aedificatam dicit v. 288 seq., quod quam non esset credibile, ipse sensit, vide v. 290. Similis descriptio classis properanter aedificatae legitur apud Verg. Aen. IV, 399 seqq.; cfr. etiam Luc. III, 512.

intorquent: cfr. ad I, 263.

289. *arbor* pro arboribus ponitur, ut infra 292 *ratis* pro ratibus.

292. Hoc quoque loco, cum poeta vocabulis *puppis* et *ratis*

Digitized by Google

Danubii viridemque vident ante ostia Peucen,
ultimaque adgnoscunt Argoi cornua mali.
tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
gaudia, tum gravior remis fragor, ut procul Argo
visa viris, unamque petunt rostra omnia puppem.
princeps navalem nodosi roboris uncum
arripit et longa Styrus prospectat ab unda,
coniugio atque iterum sponsae flammatus amore.
iamque alii clipeos et tela trabalia dextris
expediunt, armant alii picis unguine flammas.
impatiens tremit hasta morae, nec longiuś inter,
quam quod tela vetet, superest mare. vocibus urguent
interea et pedibus pulsant tabulata frementes.
Cum subitas videre rates vibrataque flammis
aequora, non una Minyae formidine surgunt,
primus et in puppem deserta virgine ductor

---

utitur, discrimen indicat inter navem Argonautarum et navem (vel naves) Absyrti.

295. *clamorem omnes inimicaque tollunt gaudia* figura ἓν διὰ δυοῖν dicitur pro eo quod est 'laetum clamorem tollunt'.

Tota quae sequitur descriptione magna cum veritate et pulcherrima imagine nobis ardor Colchorum et effrenata ulciscendi cupiditas ante oculos ponuntur.

302. *armant — picis unguine flammas* i. e. faces; cfr. Verg. Aen. VI, 518 *flammam media ipsa tenebat ingentem*; de armandi autem verbo cfr. Aen. IX, 773 *ferrumque armare veneno*; X, 140 *calamos armare veneno*; XII, 858 (sagittam) *armatam — felle veneni.*

303. De adverbio *inter* cfr. ad V, 336.

306. *vibrataque flammis aequora* i. e. in splendorem redacta, splendentia; cfr. Sil. XIV, 566 *tremula vibratur imagine pontus*; Stat. Theb. VI, 579 *vibraturque fretis caeli stellantis imago*; Claud. in Ruf. II, 356 (alii) *tremulos umeris gaudent vibrare colores*; Boeth. de cons. phil. I, 3, 9 *subito vibratus lumine Phoebus*; Mart. Cap. I, c. 4, 24 *supernis astra quem* (numerum) *vibrant polis* (i. e. in Glanz erscheinen lassen); c. 5, 27 *hic vibrata potest noscere sidera.*

307. *non una Minyae formidine surgunt*: certe Iason non solum metuit, ne rapiant hostes vellus aureum, sed etiam, ne Medeam secum abducere velint, qui metus sane ad ceteros socios non pertinebat.

Digitized by Google

prosilit et summa galeam rapit altus ab hasta,
ense simul clipeoque micat; nec cetera pubes
segnius adreptis in litore constitit armis.
at tibi quae scelerum facies, Medea, tuorum?
quisve pudor Colchos iterum fratremque videnti
quidquid et abscisum vasto iam tuta profundo
credideras? ergo infausto sese occulit antro,
non aliud quam certa mori, seu carus Iason,
seu frater Graia victus cecidisset ab hasta.
Haud ita sed summo segnis sedet aethere Iuno
aut sinit extrema Minyas decernere pugna,
nec numero quoniam Colchis, nec puppibus aequos.
ergo ubi diva rates hostemque accedere cernit,
ipsa subit terras tempestatumque refringit

---

312. *tibi quae scelerum facies* i. e. qualia tibi tum videbantur scelera.

315. *infausto — antro*; in quo nuptiae infausto omine interruptae erant.

316. *non aliud quam certa mori* ellipsi etiam in prosa usitata dicitur, velut Liv. II, 63, 4 *hostes quidem nihil aliud quam perfusis vano timore Romanis citato agmine abeunt.*

317. *cecidisset ab hasta*: cfr. Ov. met. V, 192 *a tanto cecidisse viro*; XIII, 597 *occidit a forti — Achille.* Etiam de rebus ita dictum invenitur, ut Ov. met. I, 417 *umor ab igne percaluit solis*; II, 602 *tumida fervebat ab ira*, quasi proficiscitur vel exoritur mors ab hasta, umor ab igne cet.

318 seqq. quae Valerius narravit de auxilio Iunonis, de tempestate exorta, de interitu Stiri, non leguntur apud Apollonium.

haud ita sed summo segnis sedet — Iuno i. e. sed haud ita segnis, ut Medea, sedet Iuno; de collocatione *sed* particulae cfr. ad II, 150; audacius autem *ita* ab adiectivo suo divellitur, cfr. ad I, 284.

320. *quoniam* postponitur, ut multae aliae coniunctiones, sed prorsus praeter consuetudinem verbum non additur; comparare licet usum particulae *quippe*.

322. Wagner: 'ipsa, Aeolo neglecto, erat enim periculum in mora'. *subit terras*; non, ut solet, subeundi verbum hoc loco motum significat, qui fit in superiorem partem, sed in inferiorem, cfr. Stat. Ach. I, 198 *subit rapido — saltu flumina*; Theb. IV, 143 *ingenti donec*

Digitized by Google

ventorumque domos. volucrum gens turbida fratrum
erumpit, classem dextra Saturnia monstrat.
videre, inque unum pariter mare protinus omnes
infesto clamore ruunt inimicaque Colchis
aequora et adversos statuunt a litore fluctus.
Tollitur atque inter Colchos Argoaque vela
Styrus abit; vasto rursus desidit hiatu
abrupta revolutus aqua. iamque omnis in astra
itque reditque ratis, lapsoque reciproca fluctu
descendit. vorat hos vertex, hos agmine toto

Peneia saltu stagna subit, quae exempla sane non prorsus similia sunt; cfr. imprimis Ov. met. XI, 61 *umbra subit terras* i. e. sub terras it. Habet igitur locus Valerianus singulare aliquid, cum Iuno non sub terras eat.

328. *intra minias* Vat., *inter Colchos* ego.

329. *habet* Vat., *abit* ed. Bon. et Ald.; locus admodum difficilis. Sine dubio corruptum est, quod in Vat. traditur *habet*, sed ne id quidem, quod editur, aut *abit* aut *obit* aut *adest*, ferri posse puto scriptura Vaticani *intra Minyas (minias)* in versu 328 servata: quid enim significat Stirum abiisse obiisse adesse intra Minyas et navem Argonautarum? Accedit quod non ad terram fluctu fertur, cum fluctum adversum Colchis a litore statui v. 327 poeta dixerit. Quod ego scripsi, non pro certa coniectura venditare velim, sed leniore mutatione sanam sententiam restituere non potui. Stiri navis fluctu separatur a sociis et inter Argonautarum navem et Colchorum classem summa unda in altum tollitur: de notione abeundi verbi cfr. ipsius Val. IV, 203 quaeque ibi allata sunt exempla; eis adde Pomp. Melae II, 2, 11; III, 1, 6.

Stirus dictus pro navi, quae fluctibus tollitur, cfr. ad II, 581.

330. Inter abruptam aquam hiatus exsistit: idem est ac Vergilianum *his unda dehiscens terram inter fluctus aperit* Aen. I, 106.

omnis in astra — itque reditque ratis i. e. omnes rates, tota classis; ceterum usitata poetis hyperbole dictum, ut Verg. Aen. I, 103; III, 564; 567 al. *itque reditque*: hac locutione solemni, de qua vid. ad I, 725, non satis bene hoc loco utitur poeta, cum navem redire tanquam novum verbis quae sequuntur narretur.

332. Sententia aperta: pars navium in altum tollitur eodem

Digitized by Google

gurges agit. simul in vultus micat undique terror,
crebra ruina poli caelestia limina laxat.
non tamen ardentis Styri violentia cedit.
hortatur socios media inter proelia divum:
'transferet ergo meas in quae volet oppida dotes
Colchis? et Haemonius nobis succedet adulter?
nec mihi tot magnos inter regesque procosque
profuerit prona haud dubii sententia patris?
an virtus praelata viri est et fortior ille,
quem sequitur? iungam igniferos sine carmine tauros,
saevaque Echionii ferro sata persequar hydri.
hoc adeo interea specta de litore pugnas
amborum, victoris eris; iam digna videbis
proelia, iamque illud carum caput ire cruenta
sub freta, semiviri nec murra corpus Achivi,
sed pice, sed flammis et olentis sulphure crines.
vos modo vel solum hoc fluctus expellite corpus,
non te, Aeeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit.
fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos

---

tempore, quo altera in undarum hiatum descendit. Sed *agmine toto* quid sit, non satis liquet: videtur esse agmen undarum.

333. *in vultus micat undique terror*: ne hoc quidem satis aperte dictum: de fulminibus Pius recte videtur explicasse.

334. *ruina poli* sunt vehementes imbres de caelo ruentes, cfr. Verg. georg. I, 324; Aen. I, 129; Sil. I, 251; VI, 322; XII, 636; Mart. III, 100, 3 *imbribus immodicis caelum nam forte ruebat.*

lumina Vat., *limina* cod. Burmanni: 'es öffneten sich die Schleusen des Himmels'.

335. *Stiri violentiam* scripsit Valerius fortasse memor violentiae Turni Verg. Aen. XI, 376 et XII, 45.

336. *proelia divum* sc. Iunonis et ventorum.

337. *meas — dotes*; Styrus Medeam cum donis a se desponsae virgini datis aufugisse putat.

347. *semiviri — Achivi*; semivir turpiter et cum convicio dicitur quasi vir effeminatus, ut Verg. Aen. IV, 215; XII, 99. *nec murra corpus Achivi* sc. olens.

349. Vel solus sine sociis ut fluctibus ad terram eiciatur, optat Stirus.

Digitized by Google

ipsa movet, diraque levat maria ardua lingua?
atque iterum Aesonides, iterum defenditur arte,
qua solet? haut illi cantus et futile murmur
proderit. ite, rates, et frangite virginis undam'.
dixit et intortis socio cum milite remis
prosilit; at fluctu puppis labefacta reverso
solvitur effunditque viros ipsumque minantem
tunc quoque et elata quaerentem litora dextra.
ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem;
incipit et remos et quaerere transtra solutae
sparsa ratis, maestas altis intendere voces
puppibus; ast inter tantos succurrere fluctus
nulla potest, aut ulla velit; quotiensque propinquat,
tunc aliud rursus dirimit mare. iam tamen extat,

---

355. Wagner 'in eo tamen' inquit 'peccasse videtur poeta, quod in ipsa tempestate ita verbosum inducat Stirum, ut prope viginti versiculis animi sensa expromat'. Sane ita se res habet, sed certe hoc non magis mirum, quam illa Gesandri oratio, quae legitur VI, 323—339. Iure etiam eo offendas, quod Stirus tam feroci virtute praeditus hoc loco describitur, cum VI, 265 seqq. non tam fortem se praestiterit, nisi putamus illo loco Stirum amore Medeae incensum se fuga amori quasi servare voluisse ex proelio, hic autem eodem amore iraque sponsae ereptae inflammatum esse ad acerrime pugnandum.

356. *intortis remis*; cfr. Claud. de cons. Stil. III, 363 *intorquet clavum Silenus.*

357. *prosilit* 'er macht einen Vorstoss'; puppis autem tumultuaria scilicet opera aedificata facile solvitur.

360. *ibat* sc. per fluctum, i. e. nabat; sic de puppibus dicitur Ov. her. III, 66; de Leandro per Hellespontum natante XVII, 92; 158; 194; XVIII, 32, 161; de quovis natatore rem. am. 122.

362. Quod hoc loco puppes Colchorum altae dicuntur, recentioribus offensioni fuit; sed recte se habet, cum apte poeta hoc vocabulo nobis ante oculos ponat Stirum ex aqua vocem tollentem ad eos, qui superiores in puppibus stabant.

364. *ille* Vat., *ulla* edit. Bonon.; *velit* fere idem atque *audet* hoc loco.

365. *errat* Vat., *extat* edit, Ald. Quotiens per undas terrae ap-

iamque abiit, fundoque iterum violentus ab imo
erigitur; sed fluctus adest, magnoque sub altis
turbine figit aquis, et tandem virgine cessit.
Absyrtus visu maeret defixus acerbo.
nunc quid agat? qua vi portus et prima capessat
ostia? qua possit Minyas invadere? clausos
quos videt agnoscitque fremens; maria obvia contra
saevaque pugnat hiemps, totusque in vertice pontus.
abscessit tandem vanaque recedit ab ira
et tanta de clade ratis. latus inde sinistrum

---

propinquat Stirus, aliis fluctibus repellitur, sed tamen ex eis exstat; rursus mergitur profundo (*abit*, undis evanescit) iterumque erigitur, tum autem mergitur nunquam rediturus.

366. *violentus — erigitur* i. e. totis viribus nitens; sic Prud. apotheos. 11 seq. (pater) *quem nulla acies violenta tuendo Eminus ardentis penetravit acumine visus.*

368, *virgine cessit* non sine leni irrisione huic loco sane non apta dicitur 'er leistete Verzicht auf die Jungfrau', pro eo quod est *occidit*.

370. *nec* Vat., *nunc* Schenkl.

371. *clausos quos videt*: non satis liquet, qua ratione clausos esse Argonautas poeta cogitaverit; neque enim ex portu exire volunt, ut falso putavit Wagner, sed adverso flumine navigationem instituere, cfr. 189 seqq., hoc autem Colchi tempestate maris interclusi prohibere non poterant; neque magis aperta est sententia versuum 375 seqq.

372. *tremens* codd., *fremens* Sabellicus.

373. *totusque in vertice pontus*: 'das ganze Meer ist ein Wirbel'; cfr. Luc. V, 644 *omnisque in fluctibus unda est*; Stat. Theb. V, 598 *totumque in vulnere corpus.*

375. *ratis* i. e. navis Absyrti cumque ea etiam reliquae; an *ratis* genetivus est significans deletam Stiri ratem?

latus inde sinistrum — defertur: ab altera parte insulae in stationem vehitur Absyrtus, ab altera tendebant Minyae: itaque cum Absyrtus in latus sinistrum deferatur, Argonautae dextra parte consedisse putandi sunt. Sane hoc non convenit cum eo, quod dixit Erginus supra v. 188 seq. *illius adversi nunc ora petamus et undam, quae latus in laevum ponti cadit.* Sed, ut iam dictum est, poeta non imaginem satis claram huius obsidionis a Colchis factae animo videtur informasse.

adversamque procul Peuces defertur in oram
cum sociis; gemino nam scinditur insula flexu
Danubii. hac dudum Minyae Pagasaeaque puppis
in statione manent; illinc Aeetius heros
obsidet adversa tentoria Thessala classe
impatiens, pugnaeque datur non ulla potestas.
noctes atque dies vastis mare fluctibus inter
perfurit, expediant donec Iunonia sese
consilia atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyae tanti reputantes ultima belli
urguent et precibus cuncti fremituque fatigant
Aesoniden. quid se externa pro virgine clausos
obiciat, quidve illa pati discrimina cogat?
respiceret pluresque animas maioraque fata
tot comitum, qui non furiis nec amore nefando
per freta, sed sola sese virtute sequantur.
an vero, ut thalamis raptisque indulgeat unus
coniugiis? id tempus enim. sat vellera Grais,

376. *procul* sc. ab ea parte, ubi Argonautae tendebant.

377. *scinditur insula* i. e. a continente separatur, cfr. Tac. Germ. c. 43 *dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt.*

382. *inter* pro adverbio est, cfr. ad V, 336.

383. Ipsum mare sensu praeditum cogitatur furens, donec Iuno consilia expediat, quod ipsum quoque poetice expressum est, cum dicuntur consilia sese expedire.

385. *reputantes ultima belli* i. e. qualis tandem eventus belli futurus sit.

388. *obiciat* hoc loco ponitur sine dativo prorsus ut nostrum 'Preis geben'; sic etiam Auson. epigr. in Solonem v. 26.

389. *maiora fata* sunt heroum, quibus destinatum est, magna facinora facere, opponitur fatum Medeae minus, ut virginis.

390. *non furiis nec amore nefando (more* Vat., *amore* ed. Bon. et Ald.) sc. ducti, cfr. ad I, 802.

392. Apte ad iram sociorum exprimendam poeta plurali numero *thalamis coniugiis* utitur. Ad sententiam supplendam mente addendum 'se eo consilio secutos esse'.

393. *id tempus enim*: cum ironia dictum pro eo quod est, huius

et posse oblata componere virgine bellum.
quemque suas sinat ire domos, nec Marte cruento
Europam atque Asiam prima haec committat Erinys.
namque datum hoc fatis, trepidus supplexque canebat
Mopsus, ut in seros irent magis ista nepotes
atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum tantis ac vocibus impar,
quamquam iura deum et sacri sibi conscia pacti
religio dulcisque movent primordia taedae,
cunctatur, Martemque cupit, sociamque pericli
cogitat: . . . . . .
. . . . haut ultra sociis obsistere pergit.
haec ubi fixa viris, tempus fluctusque quietos
expectant: ipsam interea, quid restet, amantem

---

rei minime nunc esse occasionem; multi sententiam poetae non intellexerunt, inter quos est Thilo, vid. praef. ed. p. XIX.

394. *componere* sc. eum. Sed unde hoc Argonautae didicerunt oblata virgine, at vellere retento bellum componi posse? Melius rem gessit Apollonius IV, 338 seqq., ubi sane talia inter se paciscuntur Colchi et Argonautae etiam ratione addita.

396. Valerius ratione habita loci Vergiliani Aen. II, 573, ubi Helena Troiae et patriae communis Erinys vocatur, Medeam hoc loco primam Erinyem nominat. Quae sequuntur, apparet de Helena et Paride dicta esse.

398. *ipsa* Vat. *ista* ed. Bon.; *in seros irent magis — nepotes* dictum est pro eo quod est *potius irent*. cfr. ad V, 563.

400. *trahens gemitum*; cfr. ad IV, 135; *ac* primo sententiae vocabulo postponitur, ut persaepe *et*.

402. *primordia taedae*: usitatissimo poetis tropo *taeda* pro nuptiis dicitur, velut Ov. her. VI, 134; VIII, 33; amor. III, 6, 75; met. I, 763; IV, 60; 326; IX, 722; 769; XIV, 677; XV, 826; fast. V, 487; VI, 221 aliisque locis non paucis.

403. *mortemque* Vat., *Martemque* Schenkl stud. p. 283.

404. Schenkl: 'post *cogitat* fortasse lacuna statuenda est, qua interciderint et ceteri huius versus pedes et primus insequentis'; sententiam recte supplevit stud. l. l. 'doch da die Minyer ihn unablässig bestürmten'.

Digitized by Google

ignorare sinunt decretaque tristia servant.
Sed miser ut vanos, veros ita saepe timores
versat amor, fallique sinit nec virginis annos.
ac prior ipsa dolos et quamlibet intima sensit
non fidi iam signa viri nimiumque silentes
una omnes. haut illa sui tamen immemor umquam
nec subitis turbata minis, prior occupat unum
Aesoniden longeque trahit, mox talibus infit:
'me quoque, quid tecum Minyae, fortissima pubes,
nocte dieque movent, liceat cognoscere tandem,

---

407. *decretaque — servant* ne violentur sc. enuntiando; sane plerumque decreta servari dicuntur, cum non violantur agendo.

408. *timores versat amor*: cfr. *versare dolos* Verg. Aen. II, 62; IV, 563; XI, 704; Sen. Agam. 632; *curas* Verg. Aen. V, 701; *consilia* I, 657; *vertere questus* legitur Val. VII, 6.

409. *fallique sinit nec virginis annos*; i. e. ne simplicis quidem et iuvenilis puellae; de sententia cfr. Verg. Aen. IV, 296 *quis fallere possit amantem*! *nec* scribitur pro ne — quidem, vid. ad IV, 200.

410. *prior ipsa dolos — sensit* sc. nullo auctore, prius quam alius enuntiaret; cfr. Verg. georg. II, 10; 459; ecl. IV, 21; Aen. II, 174; Lucr. IV, 129; Ov. artis II, 479; Mart. IX, 31, 5.

411. *non fidi iam signa viri*: futura perfidia Iasonis leviter iam tangitur.

413. *nec subitis turbata minis*: Wagner *minas* interpretatur pericula, quod non facile admitti posse puto, sed minae videntur significare eas res, ex quibus aliquid terroris vel periculi imminere concludi possit: haec sunt hoc loco tristia Iasonis et sociorum silentia, vultus minantes, similia; cfr. V, 341, ubi somnia formidolosa *minae* nominantur.

414. *longe — trahit* sc. a sociis; cfr. III, 372. De re ipsa cfr. Apollon. IV, 350 seqq., ubi tamen Medea multo vehementius Iasoni perfidiam exprobrat.

415. *vittae cum* Vat., *quid tecum* Heinsius; *quid tecum — movent* i. e. moliuntur, cfr. Liv. XXIII, 39, 4 *sed prius se aestas circumegit, quam movere ac moliri quidquam rex posset*; de indicativo *movent* in interrogatione quae dicitur indirecta posito cfr. ad I, 281. Sententia expressa est ex Apoll. IV, 355 Αἰσονίδη, τίνα τήνδε συναρτύνασθε μενοινὴν ἀμφ' ἐμοί.

Digitized by Google

si modo Peliacae non sum captiva carinae
nec dominos decepta sequor, consultaque vestra
fas audire mihi. vereor, fidissime coniunx,
nil equidem; miserere tamen promissaque serva
usque ad Thessalicos saltem conubia portus
inque tua me sperne domo. scis te mihi certe,
non socios iurasse tuos. hi reddere forsan
fas habeant, tibi non eadem permissa potestas.
teque simul mecum ipsa traham; non sola reposcor
virgo nocens, atque hac pariter rate fugimus omnes.
at fratris te bella mei patriaeque biremes
terrificant magnoque impar urgueris ab hoste:
finge rates alias et adhuc maiora coire
agmina; nulla fides? nullis ego digna periclis?
non vetui mortemque tuam comitumque tuorum?
vellem equidem nostri tetigissent litora patris
te sine duxque illis alius quicumque fuisset.
nunc remeant, meque ecce (nefas) te reddere poscunt,
nec spes ulla super. quin tu mea respice saltem
consilia et nimio comitum ne cede timori.
credidit ardentes quis te tunc iungere tauros
posse? quis ad saevi venturum templa draconis?

---

424. *tibi non eadem permissa potestas*: Verg. Aen. IX, 97.

426. *fugimus omnes; ambo* scripserunt Burmann Schenkl Baehrens, sed de industria dicit Medea *omnes*, ut indicet ne socios quidem communi sua et Iasonis culpa prorsus vacare.

427. *an* Vat., *at* ed. Ald.

fratris — bella; de hoc plurali cfr. Kuehn. gramm. lat. II, § 23, 1 et 6.

429. *adhuc maiora* ponitur pro *etiam m.*, ut interdum apud scriptores argenteae quae dicitur aetatis.

431. *merui* Vat., *vetui* ego, i. e. arcui, prohibui: cfr. Sen. Herc. Oet. 150 *solem vetuit Delia tardior*; 1624 *stat vasta late quercus et Phoebum vetat* i. e. solem arcet; Luc. IX, 301 *iter mediis natura vetabat Syrtibus*; Ov. her. XIII, 129 *ventos audite vetantes.*

434. *et* Vat., *te* Schenkl; *possunt* Vat., *poscunt* Maserius.

437. *quise* Vat., *quis te* Heinsius.

Digitized by Google

o utinam ergo meus pro te non omnia posset
atque aliquid dubitaret amor! quin nunc quoque quaere, 440
quid iubeas. heu, dure, siles! magnumque minatur 463
nescio quid tuus iste pudor: mene, optime quondam 441
Aesonide, me ferre preces et supplicis ora
fas erat — haud hoc nunc genitor putat — aut dare poenas
iam sceleris dominumque pati?' sic fata parantem
reddere dicta virum furiata mente refugit 445
vociferans. qualem Ogygias contollit in arces
Bacchus et Aoniis instigat Thyiada truncis,
talis erat talemque iugis se virgo ferebat,
cuncta pavens: fugit infestos vibrantibus hastis
terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros: 450
si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes

---

440. Versus, qui 440 sequitur, in Vat. aperte falso loco traditur post 459 atque plerumque post 462 ponitur; Lemairius huc transposuit. 'Omnia' inquit Medea 'pro te facere parata sum, itaque quaere, quid me facere iubeas, ego exsequar'. Cum autem Iason ad haec verba nihil respondeat, Medea eum pudore raptae virginis commotum ipsam Colchis redditurum esse putat.

442. *ferre preces*; vid. ad II, 282.

445. Non satis liquet, cur Medeam poeta, cum Iason responsurus esset, tantopere irritatam fugientemque faciat, nisi eam non iam mentis satis compotem describere voluit, quod comprobari videtur v. 449 et 450. Aliter rem egit Apoll. IV, 391 seqq.

furiata mente; Verg. Aen. II, 407.

446. *cum tollit* Vat. constructione prorsus turbata; *contollit* ego. Immerito tradita verba Weichert defendere conatus est locis, qualis legitur velut Verg. georg. III, 196 *qualis Hyperboreis aquilo cum densus ab oris incubuit* vel Aen. III, 679 seq. *quales cum vertice celso Aeriae quercus aut coniferae cyparissi Constiterunt*, ubi verbum *est* vel *sunt* audiendum, vide Aen. II, 223; de comparatione ipsa cfr. Aen. IV, 300 seqq.

447. *inlidit* Vat., *instigat* Burmann; *tyana* Vat., *Thyada* Heinsius *Aoniis truncis* i. e. thyrsis.

448. *iugis* sc. montium, per quos virginem insanam vagatam esse poeta finxit non respiciens, montes omnino non esse in Peuce insula.

449 seq. Furore correpta Medea *tauros* et *terrigenas* videre sibi videtur, cfr. ad 445.

Digitized by Google

cerneret et Tempe tenui lucentia fumo,
hoc visu contenta mori. tunc tota querellis
egeritur questuque dies, eademque sub astris
sola movet, maestis veluti nox illa sonaret
plena lupis quaterentque truces ieiuna leones
ora vel orbatae traherent suspiria vaccae.
procedit non gentis honos, non . . . . . .
Solis avi, non barbaricae decor ille iuventae,
qualis erat, cum Chaonio radiantia trunco
vellera vexit ovans, interque ingentia Graium
nomina Palladia virgo stetit altera prora.

---

452. *tenui* om. Vat., add. Baehrens coll. Ov. met. I, 571; Bury Hermathen. VIII, 419 *iam pellucentia* proposuit; quid poeta scripserit. incertum.

fumus est nebula, ut apud Ov. l. l. et *fumeus* nebulosus Val. IV, 596; similiter *fumandi* verbo utuntur Lucr. VI, 460; 523 et Sil. XIV, 590; *fumifer* Aponus Luc. VII, 193. In mentem venit loci illius Hom. Od. I, 58, ubi Ulixes in insula Calypsonis retentus vel fumum a patria orientem conspicere cupit.

454. *querellis egeritur — dies*; cfr. V, 298. *eademque sub astris — movet* i. e. noctu eosdem questus movet.

455. *veluti nox illa sonaret plena lupis*: *nox* dicitur pro locis nocturnis, quae ululatu luporum aliorumque animalium resonant, sic apud poetas interdum substantivum noctis legitur pro Tartaro caliginoso, velut Claud. rapt. Pros. I, 55 Dis pater appellatur *maxime noctis arbiter*.

457. *traherent suspiria*: cfr. ad IV, 135.

458. *procedit non gentis honos*: non satis liquet, quid procedendi verbum hoc loco significet, itaque factum, ut alii aliter explicarent; ad sententiam ea interpretatio aptissima, quam Maserius proposuit: 'non conspicitur' (i. e. evanescit) 'in Medea gentis honor'; sed haec notio exemplis non probatur.

In extremo versu lacuna est in Vaticano.

460. *Chaonius truncus* nominatur Argo a quercu Dodonaea navi inserta, cfr. I, 302.

462. *virgo altera* est Medea, *altera* Minerva, cfr. supra v. 203 et ad I, 301. Sed num poeta oblitus est eorum, quae scripsit supra 202 seqq.?

Digitized by Google

. . . . . .
. . . . . .
haeret, et hinc praesens pudor, hinc decreta suorum
dura premunt. utcumque tamen mulcere gementem
temptat et ipse gemens et dictis temperat iras.
'mene aliquid meruisse putas? me talia velle?'

Quattuor ultimi versus non cohaerent cum eis, qui praecedunt, verum ad marginem eos adscripsisse videtur poeta postea inserturus cum aliis aliquo loco supra, ubi Medea Iasonem querelis fatigat inde a versu 415.

466. *tempera dictis* Vat., *temperat iras* cod. Monac. a manu sec.

467. *meruisse* Vat.; scribi solet *metuisse*, sed in versu sedis prorsus incertae nolui quidquam mutare.

Digitized by Google

INDEX NOMINUM.

Abaris *Cyzicenus* 3, 152
Abas *pater Canthi Argonautae* 1, 453.
Absyrtus *Aeetae filius* 5, 457; 6, 171. 517; 8, 261. 369
Abydus *urbs* 1, 285
Acamans *Cyclops* 1, 583
Acastus *Peliae filius*, *Argonauta* 1, 153. 164. 485. 695. 709; 6, 720
Acesina agmina 6, 69
Achaeae terrae 3, 697; 8, 147; urbes 6, 46; Nymphae 3, 542
Achaemenia pugna 6, 65
Acheron 4, 73. 595. Acherusidos orae 5, 73
Achilles 1, 133. 256. 408
Achivus (Achivi) 3, 86; 4, 737; 5, 434. 552; 6, 10. 544. 734; 8, 347. Achivus dux 6, 450. Achiva iuba 6, 606
Actaea soror 4, 465. Actaeae orae 1, 394. Actaeus Bootes 2, 68. Actaeus Phalerus 6, 217
Actor *Lapitha* 1, 146
Actorides *Menoetius* 1, 407
Admetus *Argonauta* 1, 445
Admon (?) *Cyzicenus* 3, 167
Aea *nympha a Phaside amata* 5, 425
Aea 1, 742; 5, 51; 6, 96. Aeaeus 1, 451; 5, 277. 547. 620; 6, 189; 7, 119. 191. 281
Aeacides a) *Peleus* 1, 139. 405; 2, 427. b) *Telamon* 2, 511; 3, 693. 715. 722; 6, 348. Aeacidae 4, 223; 5, 573
Aeetes 1, 43; 2, 379; 3, 495; 4, 14; 5, 285. 289. 317. 393. 401. 553. 586. 596. 685; 6, 13. 22. 438; 7, 89. 640; 8, 11. 138. 350. Aeetis 6, 481; 7, 445; 8, 233. Aeetius 6, 267. 542. 691; 7, 505. 565; 8, 379
Aegaeum 2, 366. Aegaeum profundum 1, 160; 2, 383. Aegaea caerula 1, 561
Aegon *mare Aegaeum* 1, 629; 4, 715
Aemathia 2, 641
Aeneadum genus 2, 574
Aenidae *Cyziceni* 3, 4
Aeolus *ventorum rex* 1, 417. 587. 598. Aeolia *insula* 1, 576; 6, 354. Aeolia porta 1, 654
Aeolus *Hellenis filius*, *Phrixi avus* 5, 477. Aeolius 1, 770; 2, 595; 6, 542. 548; 7, 54. 517; 8, 79. Aeolides *Phrixus* 1, 286. *Aeolidae* 5, 461
Aesepia flumina 3, 420

Aeson 1, 72. 144. 149. 152. 296. 335. 734. 756. 767. 825; 4, 549; 5, 48; 7, 494. Aesonius 1, 32. 241. 660; 3, 240. 285; 4, 8; 5, 294; 6, 579. 653. 687; 7, 17. 178. 188. Aesonides 1, 98. 161. 194. 226. 474. 488; 2, 334. 346. 380. 385. 660; 3, 8. 339. 369; 4, 675. 738. 755; 5, 4. 35. 302. 543. 571. 577. 584. 636; 6, 173. 429. 592. 655. 684. 736; 7, 165. 409. 464. 476. 490. 530. 541. 587. 594. 639. 645; 8, 105. 118. 155. 166. 178. 192. 197. 244. 353. 387. 414. 442
Aethalides *Argonauta* 1, 437
Aetna 2, 29. 95; 4, 287. Aetnaeus 2, 420; 4, 104
Africus 2, 506
Agenor *pater Phinei* 4, 444. Agenorea tecta 4, 522. Agenorides 4, 582
Alani 6, 42. 656
Alazon *fluvius* 6, 101
Alba 2, 304
Albana porta 3, 497. Albanus (tyrannus) *Styrus* 5, 258; 6, 44. 271; 8, 153. Albanae orae 5, 459. Albanus Cremedon 6, 194
Alcides 1, 35. 354; 2, 451. 462. 521. 533. 543; 3, 65. 475. 550. 580. 586. 644. 662. 701. 724; 4, 62. 78. 247. 701; 5, 90. 156. 172. 488. 574; 8, 230
Alcimede 1, 297. 317. 335. 731
Almo *fluvius* 8, 239
Aloidae 5, 651
Alpes 8, 393.
Alpheos *fluvius* 8, 91
Amanus *mons* 1, 493
Amastris *Scythes* 6, 554
Amastrus *Cyzicenus* 3, 145
Amazon 5, 89. Amazonidum gens 4, 602
Ambenus mons 6, 85. Ambenus *Scythes* 6, 251
Ambrosius *Cyzicenus* 3, 138
Amnes 1, 106; 2, 537; 7, 391
Amores 6, 457; 7, 171
Amphidamas *Argonauta* 1, 376
Amphion *Argonauta* 1, 367; 3, 479
Amphitryoniades 1, 375. 635; 3, 733
Ampycides *Mopsus* 3, 420. 460; 5, 366
Amyclae 4, 312; 6, 219. Amyclaea herba 1, 426
Amycus 4, 101. 148. 160. 165. 232. 243. 276. 296. 317. 651. 745; 6, 626
Amymone *fons Argolidis* 4, 374
Amyros *fluvius* 2, 11
Amythaon *Lemnius* 2, 162
Anausis *Scythes* 6, 43. 266. 272
Ancaeus *Argonauta* 1, 191. 413; 3, 138; 5, 64
Ancaeus alter *Argonauta* 1, 377
Ancon *fluvius* 4, 600
Anxur *Scythes* 6, 68
Aoniae arae 1, 379. Aonii trunci 8, 447
Apidanus *fluvius* 1, 357
Apollo 1, 234. 567; 2, 492; 4, 61. 445; 5, 17. 112. 693
Apres *Colchus* 6, 638
Aquilo 4, 432
Aquilonia proles 4, 462; 501
Aquites *Phasidis sacerdos* 6, 295
Arabes 6, 139
Arcadius 1, 108. 481; 4, 384

Arcas 1, 36; 5, 205; 7, 543. Arcas *stella* 5, 370
Arctos *sidus* 1, 419; 4, 210; 5, 46. 155. 272. 317; 6, 40. 140. 147. Arctous 3, 499; 5, 619; 6, 295. 330
Arene *mater Lyncei et Idae* 1, 463
Ares *Cyzicenus* 3, 203
Argi *urbs* 1, 107. 239; 3, 666; 4, 360; 5, 487. Argivus 4, 352; 6, 202. 324
Argo *navis* 1, 273. 441. 648; 6, 317; 8, 194. 296. Argous 3, 3. 430. 691; 5, 435; 6, 116. 731; 7, 573; 8, 294. 328
Argolicus 1, 96; 6, 286. 334. 462. 676
Argos 1, 359
Argus *Argonauta, fabricator navis* 1, 93. 314. 477; 2, 390
Argus *Phrixi filius* 5, 460; 6, 553
Argus *custos Ius* 4, 366. 367. 370. 383. 388
Ariasmenus *Scythes* 6, 103. 387. 394. 423
Aricia *urbs* 2, 305
Arimaspi *gens Scythica* 6, 131
Arines *Colchus* 6, 638
Armenia 5, 166
Armes *Scythes* 6, 530
Aron *socius Colchorum* 5, 587; 6, 524. 536
Arsinoe *urbs* 5, 422
Asia 1, 542. 554; 2, 615; 4, 211. 728; 6, 334; 7, 43; 8, 396
Assyrii sinus 5, 109
Asterion *Argonauta* 1, 355
Astraea *dea* 2, 363
Athamas 1, 280
Athos 1, 664; 2, 76. 201; 5, 322
Atlans 1, 842; 2, 621; 5, 410
Atlantis *sidus* 2, 72
Atracia virgo 1, 141. Atracium venenum 6, 447
Auchatae *gens Scythica* 6, 132
Auchus *Cimmerius* 6, 60. 619
Avernus 2, 603; 4, 493. 700; 5, 348. Averna palus 6, 158
Aulon *oppidum Elidis* 1, 389
Aurora 1, 283; 2, 261; 4, 423; 5, 559
Ausonia 7, 86. Ausonius 7, 232
Autolycus *Herculis comes, postea Argonauta* 5, 114

Bacchus 1, 260; 2, 70. 254. 272. 275. 348. 624; 3, 5. 538; 4, 237. 533; 5, 75. 192. 215. 497; 6, 137; 7, 301; 8, 447
Balloniti *gens Scythica* 6, 161
Barisas *Scythes* 6, 557
Batarnae *gens Scythica* 6, 96
Bebryx 2, 649; 4, 157. 261. 290. 315. Bebrycia 4, 743. 762; 5, 502. Bebrycius 4, 99. 220. 442. 590. 739; 6, 344
Bellona 1, 546; 2, 228; 3, 60; 7, 636
Bessi *gens Thraciae* 2, 231
Bienor *Cyzicenus* 3, 112
Bisaltae *gens Scythica* 6, 48
Bistones 1, 726; 3, 83. Bistonia 3, 160
Bithynus palmes 3, 6
Boebeis *lacus* 1, 449. Boebeia proles 3, 543
Boeotia Thyias 5, 80
Bootes *sidus* 2, 68; 7, 457
Boreas 1, 575. 597. 604; 2, 515; 4, 630. 722; 6, 164; 7, 563

Bosporos 4, 345. 419
Brotes *Cyzicenus* 3, 152
Butes *Argonauta* 1, 394
Byzeres *gens Pontica* 5, 152
Byzes lacus 6, 68

Cadmus 6, 137. Cadmeus 6, 437; 7, 76. Cadmeia seges 7, 290
Caicus *Colchus* 6, 688
Calabrum arvum 1, 683; 3, 729. Calabra saepta 3, 582
Calais *Argonauta* 3, 692; 4, 465; 6, 557
Caledonius Oceanus 1, 8
Callichorus *fluvius* 5, 75
Calpe *mons* 1, 538
Calydon 3, 646. 658; 4, 223; 5, 573
Campesus *socius Colchorum* 5, 590; 6, 243
Canthus *Argonauta* 1, 166. 451; 3, 192; 6, 317. 346. 350. 364. 368; 7, 422
Caphereus *promunturium* 1, 371
Carambis *promunturium* 4, 599; 5, 107; 8, 214
Caresus *Scythes* 6, 192
Carmeius *socius Colchorum* 5, 582
Caspius *Scythes* 6, 189
Caspia claustra 5, 124
Caspiadae *gens Scythica* 6, 107
Castor *Argonauta* 1, 425; 2, 427; 3, 187. 189. 330. 668. 723; 4, 226. 333; 5, 546. 549; 6, 204. 239
Caucasus *mons* 5, 155. 161. 518; 6, 612; 7, 55. Caucaseus 4, 63. 72; 5, 253. 381; 7, 190. 357. 565
Caucasus *Colchus* 6, 641
Cecrops 5, 646. Cecropia Orithyia 1, 468
Celaeneus 3, 406
Celaeno *Harpyia* 4, 453. 499
Centores *gens Scythica* 6, 151
Cepheus *Argonauta* 1, 375
Ceramnus *Scythes* 6, 550
Ceraunia 3, 465
Ceres 1, 69. 254. 578; 2, 69; 3, 5; 4, 532; 5, 216
Chalcidicae harenae 1, 454
Chalciope *soror Medeae* 6, 479; 7, 156
Chalybes 4, 611; 5, 141
Chaonius 1, 303; 8, 460
Chaos 3, 831
Chiron 1, 139. 255. 267. 407
Choaspes *socius Colchorum* 5, 602
Choatrae *gens Scythica* 6, 151
Cimmerii *gens Scythica* 3, 399. Cimmeriae opes 6, 61
Circe 6, 445; 7, 120. 212. 217. 347. Circaeus 5, 327; 6, 426; 7, 544
Cithaeron *mons* 5, 81
Clanis *Centaurus* 1, 146
Clarius deus 3, 299
Cleonaeus hiatus 1, 34
Cleopatra *coniunx Phinei* 4, 464
Clio 3, 15
Clite 3, 11. 314
Clymenus *Argonauta* 1, 369
Coastes *Scythes* 6, 155
Cocytia nubes 4, 495
Codrus *Lemnius* 2, 136
Coelaletae *gens Scythica* 6, 81
Coeus 2, 224
Colaxes *dux Bisaltarum* 6, 48. 621. 646
Colchi 1, 66. 201. 391. 743; 3, 82.

681. 698; 4, 618. 706; 5, 50. 178. 283. 421. 440. 451; 6, 30. 190. 242. 389. 417. 530. 691. 742; 7, 231; 8, 156. 313. 320. 326
Colchis *Medea* 5, 349; 6, 46; 7, 153. 181. 190. 369. 389. 575. 584. 596. 625; 8, 2. 68. 70. 83. 338
Colchis *terra* 1, 52; 2, 423; 5, 505. ora 5, 202. gens 5, 418. Colchides matres 8, 142
Cometes *pater Asterionis Argonautae* 1, 356
Coralli *gens Scythica* 6, 89
Corythus *Cyzicenus* 3, 99
Cossaei *gens Scythica* 6, 130
Cotys *Cyzicenus* 3, 112
Cremedon *Albanus* 6, 194
Crenaeus *Cyzicenus* 3, 178
Cretheus *pater Aesonis* 1, 42. 740; 5, 477. Cretheia uirgo 3, 612; proles 8, 112. Crethides 6, 609
Crobialus *urbs* 5, 102
Cromna *urbs* 5, 105
Cupido *Veneris filius* 8, 232
Cyaneae 4, 562. 658. 681; 5, 85. 167; 8, 181. Cyanei fragores 5, 482. Cyanei montes 2, 382; 8, 193. Cyaneae cautes 1, 60. 630; 7, 42; rupes 4, 683
Cybele 8, 240
Cyclops 1, 136; 4, 287; 7, 648. Cyclopes 4, 104
Cydrus *Cyzicenus* 3, 192
Cyllaros *equus Castoris* 1, 426
Cyllenius 4, 385. Cyllenia proles 1, 436
Cymaea vates 1, 5
Cymothoe 2, 606
Cynosura 1, 17
Cynthia 2, 56; 3, 558
Cyris *Scythes* 6, 80
Cyrnus *Colchus* 6, 297. 300
Cytaei *Colchi* 5, 466; 6, 427. 595. Cytaea uirgo 6, 156. Cytaeae terrae 6, 693. Cytaea agmina 6, 543
Cythera 8, 229. Cytherea 2, 328; 7, 189; 8, 235
Cytisorus *filius Phrixi* 5, 462
Cytorus *mons* 5, 105
Cyzicus *rex* 2, 637. 657; 3, 9. 22. 60. 220. 313. 326; 4, 441

Daedalus 1, 704
Dahae 2, 157
Danai 1, 371. 555; 6, 173
Danubius 8, 293. 378
Daraps *Scythes* 6, 66. 572
Dardanius 2, 445. 582
Datis *Scythes* 6, 65
Deileon *Herculis comes postea Argonauta* 5, 114
Delius 1, 146; D. sacerdos 3, 432
Deucalion *Argonauta* 1, 366
Diana 2, 7. 301; 4, 60; 5, 238. 345. 379; 6, 73; 7, 179; 8, 208
Didymaon 3, 707
Dindyma *mons* 3, 20. 232
Dione *Venus* 7, 187
Dipsas *Colchus* 6, 192
Dirae 4, 586; 5, 445
Dis 1, 780; 3, 520; 4, 411; 6, 112; 7, 313
Discordia 2, 204; 7, 468
Dodonis quercus 1, 302
Dolionius rex *Cyzicus* 5, 7
Dolopeia busta 2, 10
Dolus 2, 206

Dorceus *Cyzicenus* 3, 159
Dorica nox 2, 573
Doryclus *Lemnius* 2, 149
Doto 1, 134
Drancaea phalanx 6, 106, legio 6, 507
Dryope *Lemnias* 2, 174, *nympha* 3, 529
Dymas 4, 187

Echeclus *Cyzicenus* 3, 138
Echion *Argonauta* 1, 440; 4, 134. 734; 7, 543
Echionius *Thebanus* 7, 301. 554; 8, 343
Edoni venti 6, 340
Egeriae nemus 2, 304
Electria tellus 2, 431
Eleus parens 4, 227
Elis 1, 389. 665
Elysium 1, 650
Emeda *regio Scythica* 6, 143
Enipeus *fluvius* 1, 83. 357; 5, 208
Ensis *sidus* 2, 68
Enyo 4, 604
Eous 2, 72; 3, 539
Erebus 2, 120; 3, 410; 4, 407; 6, 292
Erginus *Argonauta* 1, 415; 5, 65; 8, 177
Eribotes *Argonauta* 1, 402; 3, 478
Eridanus *flurius* 5, 430
Erinys 2, 281; 3, 19; 4, 74. 617; 5, 146; 7, 112. 462; 8, 396
Erymanthus 2, 495. Erymantheus 1, 374
Erymus *Cyzicenus* 3, 194
Erythia *urbs* 5, 106
Eryx *mons* 2, 523; 4, 322
Evarchus *fluvius* 6, 102
Euboicae undae 1, 373.
Euboici montes 6, 321
Eumenides 2, 228; 3, 54. 217. 228
Euphemus *Argonauta* 1, 365
Euripus 1, 454
Europa 2, 616; 4, 727; 8, 396
Eurotas *fluvius* 1, 430
Eurus 1, 538. 594. 613. 639; 2, 58. 365
Euryale *Amazonis* 5, 612; 6, 370
Eurymenae *urbs* 2, 14
Eurynome *Lemnias* 2, 136
Eurystheus 1, 114
Eurytion *Argonauta* 1, 378
Eurytus *Argonauta* 1, 439; 3, 99. 471; 6, 569
Exomatae *gens Scythica* 6, 144. 146. 569

Fama *dea* 2, 116 sqq.
Fas 1, 796
Fauni 1, 105
Fortuna 1, 326; 2, 176. 474. 594; 3, 293; 5, 113. 530
Fuga 6, 181
Furiae 1, 817; 3, 520; 4, 13; 5, 42; 7, 170; 8, 20
Furor 7, 510

Galatea 1, 135
Gangaridae *gens Scythica* 6, 67
Gargara *mons* 2, 360. 584
Gaudia mala leti 6, 179
Gelas *Scythes* 6, 208
Geloni *Scythae* 6, 512; 7, 236
Genetaeus Iuppiter 5, 147
Genysus *Cyzicenus* 3, 114
Geraestus *promunturium* 1, 457
Gerus *fluvius* 6, 67
Gesander *rex Iazygum* 6, 280. 303. 365

Digitized by Google

Gessithous *Colchus* 6, 637
Getae 5, 419. 600; 6, 507. Geticus 2, 204. 232; 5, 618; 6, 619; 7, 645
Glaucus *deus marinus* 1, 190; 2, 286. 606
Glaucus *Cyzicenus* 3, 153
Gorgo 3, 54. Gorgoneus 4, 605; 6, 176
Gortyn *urbs* 1, 708
Gradivus 3, 498; 4, 281. 602; 5, 122. 142. 251. 618. 650; 6, 1; 8, 228
Graecia 1, 19; 7, 41. 132. 496; 8, 275
Graiugenae 2, 557; 6, 389
Graius (*adi.*) 1, 18. 33. 56. 113. 507. 519. 523. 599; 2, 656; 3, 452; 4, 402; 5, 116. 255. 293. 687; 6, 5. 351. 498; 8, 317
Graius (Graii) 1, 498. 543. 550. 604; 4, 740; 5, 362. 386. 523; 6, 190. 758; 7, 39. 550; 8, 262. 393. 461

Haemonia 1, 22; 4, 736. Haemonidae 4, 506; 5, 127; 6, 371. Haemonius 1, 120; 2, 353. 425. 593. 637; 3, 27. 536; 5, 262; 6, 18. 448. 7, 56. 326. 350. 524. 549; 8, 16. 129. 205. 216. 283. 338
Haemus *mons* 1, 24. 727
Hages *Cyzicenus* 3, 191
Hagniades *Tiphys* 1, 482; 2, 48
Halys *fluvius* 5, 120. *numen fluvii* 5, 112
Halys *Cyzicenus* 3, 157
Hammon 2, 482
Harpe *Amazonis* 6, 375
Harpyiae 4, 428. 450. 525
Hebe 8, 231
Hebrus *fluvius* 2, 515; 4, 463; 6, 139; 7, 646; 8, 228
Hebrus *Cyzicenus* 3, 149
Hebrus *Scythes* 6, 618
Hecate 5, 335; 6, 113. 495; 7, 182. 353. 364. 521
Helice *stella* 1, 18; 6, 71
Helix *Scythes* 6, 570
Helle 1, 50. 167. 282. 425. 537; 2, 589. 630; 3, 7; 7, 57
Henioche *nutrix Medeae* 5, 357
Heniochi *gens Scythica* 6, 43
Hercules 3, 169. 532. 641. 649. 673. 704; 4, 84; 5, 115. 130. Herculeus 1, 118. 263. 387. 393. 435. 562; 2, 571; 3, 529. 600. 713; 5, 136
Hesiona 4, 164
Hesperia 4, 508. Hesperius orbis 8, 91
Hiber *fluvius* 5, 166
Hiberi *populus* 5, 559; 6, 507. 750; 7, 235
Hiberia *regio Scythica* 5, 601; 6, 120. Hiberae domus 3, 730. Hiberum mare 2, 34
Hippasus *Centaurus* 1, 148
Hippodamia 7, 284
Hippotades *Aeolus* 1, 610
Hister 4, 718; 6, 329; 8, 185. 219. 256
Hora *nympha* 6, 58
Horae 4, 92
Hyades 2, 67
Hylaei *gens Scythica* 6, 74
Hylas 1, 110. 219; 3, 183. 184. 486. 537. 549. 569. 571. 596. 599. 725; 4, 18

Hymettus *mons* 1, 397; 5, 343
Hypanis *fluvius* 4, 719; 6, 147
Hypanis *Colchus* 6, 252
Hyperboreae pruinae 8, 210
Hyperia *fons* 4, 375
Hyperionius currus 2, 34. Hyperionides *Aeetes* 5, 471
Hypetaon *Colchus* 6, 637
Hypsipyle 2, 244. 352. 400; 3, 342
Hypso *mater Deucalionis et Amphionis* 1, 367
Hyrcani luci 6, 114, fratres 6, 203. Hyrcana antra 6, 79, signa 3, 494

Iacchus 1, 140
Ianus 2, 620
Iapetus 1, 564; 4, 74
Iapyx *ventus* 3, 611
Iasia uirgo *Io* 4, 353
Iason 1, 298; 2, 1. 402. 424. 592; 3, 269. 615; 4, 222. 537. 626. 648; 5, 62. 465. 469; 6, 546. 586. 645. 759; 7, 28. 221. 307. 341. 385. 396. 451. 515. 576. 600; 8. 213. 316
Iaxartes *socius Colchorum* 5, 593
Iazyges *gens Scythica* 6, 122. 281
Ida *mons* 1, 549; 2, 414. 519. 583. Idaea buxus 1, 319, mater 2, 536, nemora 2, 477
Idalium 8, 229
Idalia diva 8, 225
Idas *Argonauta* 1, 166. 461; 3, 471; 4, 224; 6, 342. 382; 7, 574
Idasmenus *Scythes* 6, 196
Idmon *Argonauta* 1, 228. 360; 3, 175. 440; 4, 546; 5, 2. 5. 9. 27. 42; *cfr.* Admon.
Idume 1, 12
Ilus 2, 473. 581. Iliaci lares 2 246; Iliacus tyrannus 4, 59
Imbros *insula* 2, 443
Inachus *numen fluvii* 5, 209. Inachius 1, 107; 3, 666; 4, 357. 397. 8, 125. 148. Inachis *Io* 4, 350
Inarime *insula* 3, 208
Indi 6, 117
Ino 8, 21. Inous 1, 280. 521; 2, 608
Inopus *fluvius* 5, 104
Io 4, 346. 392. 416; 7, 111
Iolcos 1, 171
Ionius magister 7, 83
Ionium *mare* 1, 24; 4, 512.
Iphiclus *Argonauta* 1, 370
Iphiclus alter *Argonauta* 1, 473
Iphinoe *Lemnias* 2, 162. 327
Iphis *Argonauta* 1, 441; 7, 423
Iphitus *Argonauta* 1, 363; 3, 480
Ira 5, 137
Irae 2, 205
Iris *dea* 4, 77; 7, 186. 189
Iris *fluvius* 4, 600; 5, 120
Iron *Cyzicenus* 3, 111
Iron *Scythes* 6, 201
Issedoniae phalanges 6, 750
Isthmos 8, 23
Itys *Cyzicenus* 3, 189
Iuli 1, 8
Iuno 1, 73. 96. 215; 2, 3. 85; 3, 184. 487. 509. 534. 611. 665; 4, 3. 7. 27. 55. 359. 392. 416. 682; 5, 183. 280. 286. 363. 401; 6, 429. 450. 578. 590. 650. 680; 7, 154. 190. 442; 8, 318. Iunonia Hebe 8, 231. Iunonia consilia 8, 383
Iuppiter 1, 82. 133. 156. 247.

303. 344. 372. 466. 663. 690. 788. 795; 2, 52. 84. 305. 358. 363. 416. 434. 560; 3, 19. 89. 91. 131. 225. 385. 401. 465. 578. 620. 667. 697; 4, 28. 61. 70. 75. 122. 127. 219. 256. 313. 327. 352. 360. 365. 391. 414. 479. 520. 542. 551. 560. 580. 684. 708. 757; 5, 110. 147. 163. 204. 280. 304. 478. 550. 572. 623. 653; 6, 49. 53. 91. 137. 170. 391. 463. 608. 621. 636. 653. 730; 7, 568; 8, 266
Iuppiter *stella* 5, 371

Lacaena *Clytaemestra* 7, 150
Lacon *Pollux* 1, 421; 4, 254. 340; 6, 255
Lagea novalia 6, 118
Lampsacus *urbs* 2, 624
Laomedon 2, 552. Laomedontei penates 2, 474
Lapithes 5, 515; 7, 606. Lapithae 4, 280; 5, 652
Latagus (Latacus) *socius Colchorum* 5, 602; 6, 572
Latiae urbes 1, 21. Latii fasti 2, 245
Latmius venator *Endymion* 8, 28
Latona 4, 60; Latonia 3, 415; 6, 159
Latris *Scythes* 6, 121
Laurentes terrae 6, 410
Learchus 1, 280; 3, 68
Ledae genus 1, 562
Leleges 3, 204
Lemnos *insula* 1, 392; 2, 79. 90. 95. 101. 108. 164. 198. 311. 323. 401. 431; 4, 440
Leodocus *Argonauta* 1, 358
Lerna 1, 35; 2, 496; 3, 511
Lesbos *insula* 3, 7
Lethe 2, 483. Lethaeus 8, 84
Letum 2, 206; 8, 74
Lexanor *Scythes* 6, 686
Liber 1, 567
Libya 1, 588; 7, 607. Libycum latus 2, 620, litus 6, 411. Libys 1, 512
Lipare *insula* 2, 96
Lucifer 6, 527
Luna 1, 284; 3, 196; 7, 330; 8, 30
Lyaeus 1, 411; 2, 365; 5, 74
Lycaeus deus *Pan* 6, 533
Lyce *Amazonis* 6, 374
Lycormas *fluvius* 3, 544
Lyctius 3, 729
Lycurgus 1, 729
Lycus *rex Mariandynorum* 4, 173. 589. 737; 5, 8. 62; 8, 215
Lycus *fluvius* 4, 719
Lyda nurus 4, 369
Lynceus *Argonauta* 1, 462. 467
Lyrceia tellus 4, 355

Macetum *pro* Macedonum 1, 96
Macrones *gens Pontica* 5, 151
Maeotia aequora 4, 720, pubes 6, 38. Maeotis *nympha mater Peuconis* 6, 565. Maeotis *lacus* 6, 154
Magnes campus 2, 9
Malea *promunturium* 4, 261
Mariandyni 4, 171. 733
Mars 1, 223. 810; 2, 100; 3, 90. 151; 5, 130. 228. 276. 598; 6, 28. 39. 156. 336. 436. 602. 751; 8, 395. Martius 1, 319; 2, 388; 3, 53. 83. 635; 5, 640; 6, 66; 7, 62. 610

Digitized by Google

Massagetae 5, 125
Massylus 3, 728
Mater *Cybele* 7, 635
Mavors 5, 667. 671; 6, 178. 280. 694; 7, 519. 544. 645. Mavortia 2, 208; 5, 89. 612
Maurus 3, 587
Medea 5, 239. 257. 330; 6, 44. 157. 276. 439. 575. 667. 757; 7, 252. 409. 589. 632. 637; 8, 92. 142. 203. 312
Medi 5, 125. 601.
Medon *Cyzicenus* 3, 118
Medores *Scythes* 6, 211
Medusa 6, 396
Melanthus *Cyzicenus* 3, 203
Melas *Phrixi filius* 5, 461; 6, 196 sqq.
Meleager *Argonauta* 1, 435; 6, 719
Melie *nympha* 4, 119
Memphis 3, 361; 4, 407
Menippe *Amazonis* 6, 377
Menoetius *Argonauta* 6, 343
Messeides undae 4, 374
Methone *urbs* 1, 388
Minerva 5, 504; 8, 203
Minoia manus 1, 706, uirgo 7, 287
Minyae 1, 184. 274. 310. 439. 519. 621; 2, 15. 324. 370. 437; 3, 74. 219. 256. 272. 284. 347. 363; 4, 6. 82. 98. 246. 298. 423. 433. 529. 693; 5, 28. 47. 167. 290. 298. 455. 507. 620. 634. 679; 6, 4. 16. 116. 427. 436. 482. 595; 7, 26. 90. 115. 189. 474; 8, 175. 212. 227. 307. 319. 328. 371. 378. 385. 415
Moesi *gens Scythica* 6, 162. luci 2, 360
Moneses *Colchus* 6, 189
Monesus *Colchus* 6, 651
Monychus *Centaurus* 1, 146
Mopsus *Argonauta* 1, 207. 234. 384; 3, 98. 372. 378; 4, 546; 5, 9. 95; 8, 248. 398
Mossyni *gens Pontica* 5, 151
Mulciber 2, 315; 5, 433
Musa 3, 213; 6, 34. 516. Musarum chorus 5, 693
Mycaei (?) *gens Scythica* 6, 129
Mycenae 1, 552; 3, 655; 5, 645. Mycenaea uela 1, 481
Mygdon *rex Phrygius* 3, 320
Mygdonia mater 3, 47. Mygdonii planctus 8, 239
Myrace *fluvius* 5, 50
Myraces *Parthus* 6, 690. 717
Mysia 3, 484

Naubolides *Iphitus Argonauta* 1, 362
Nauplius *Argonauta* 1, 372; 5, 65
Neaera *Lemnias* 2, 141
Nealces *Cyzicenus* 3, 191
Nelides *Periclymenus Argonauta* 1, 388; 4, 224
Nemea 2, 495; 3, 511; 8, 125
Nephelaeum pecus 1, 56
Neptunus 1, 212. 456. 641; 2, 26. 491. 497; 4, 109. 114. 150. 209; 5, 478. Neptunius 1, 363. 415; 2, 618; 4, 209. 256; 5, 164
Nereus 1, 450. 658
Nessus *Centaurus* 1, 147
Nestor *Argonauta* 1, 145. 380; 3, 143; 6, 569
Neuri *gens Scythica* 6, 122
Nilus 1, 20; 3, 361; 4, 346. 409; 7, 607; 8, 91

Nisaeus *Cycicenus* 3, 198
Nonacria proles *Echion* 4, 141
Notus 1, 612. 640; 2, 506
Novas *fluvius* 4, 719; 6, 100
Nox 3, 211. 252; 5, 398; 6, 752
Nyctelius *Bacchus* 6, 755
Nympha 3, 181. 522. 536. 542. 561; 4, 23. 27; 5, 110. 381. 478; 8, 217

Oceanus 1, 589; 3, 404; 4, 91; 5, 411. 565
Ocheus *Scythes* 6, 200
Ochus *Cyzicenus* 3, 148
Ocreus *Colchus* 6, 251
Odrussa *socius Colchorum* 5, 591
Odrysius Orpheus 1, 470, dux 5, 99. Odrysium carmen 5, 439. Odrysia ora 4, 467
Oeagrus 4, 348
Oebalides *Pollux* 4, 294. Oebalius 1, 422; 4, 228. 272; 6, 220
Oebasus *Colchus* 6, 245
Oenides *Meleager* 3, 690; 4, 33; 6, 343
Oenotria 1, 589
Ogygius Bacchus 2, 624. Ogygiae arces 8, 446
Oileus *Argonauta* 1, 372
Olbus *Colchus* 6, 638
Olenius *Lemnius* 2, 163
Olenius *Tydeus* 3, 106. Olenides Phoceus *Cyzicenus* 3, 204
Olympus 1, 4. 199; 2, 38. 66. 85; 3, 380; 5, 1. 378. 691; 7, 158. 378. *mons* 1, 25
Oncheus *Colchus* 6, 256
Opheltes *Cyzicenus* 3, 198
Ophiusa *urbs* 6, 85
Orcus 1, 784
Orestes 7, 148
Orion 1, 647; 2, 62. 508; 4, 123
Orithyia 1, 468
Ornytus *Cyzicenus* 3, 173
Orpheus 1, 187. 470; 2, 426
Ossa *mons* 2, 16; 5, 496; 7, 606. Ossaea quercus 1, 448
Ostia *portus Romae* 7, 85
Otaces *Scythes* 6, 121
Otaxes *Scythes* 6, 529
Othrys *mons* 1, 24; 6, 392
Otreus *Mariandynus* 4, 162

Padus *fluvius* 1, 527; 8, 90
Paeones 4, 280
Pagasae 5, 191; 8, 451. Pagaseia puppis 1, 422. Pagasaea iuventus 7, 556, puppis 8, 378, pinus 5, 435
Pallas 1, 73. 87. 126. 215. 530. 642; 2, 53; 3, 489; 4, 238. 555; 5, 183. 293. 345. 626. 649. 652; 6, 173. 740; 8, 224. Palladius 1, 457. 478; 5, 206; 6, 408; 7, 624; 8, 292. 462
Pallene *paeninsula* 2, 17
Pan 3, 47. 48; 6, 538
Panchaia *regio Arabiae* 6, 119
Pangaea *promunturium* 2, 359
Pangaea arx 1, 575. 598; iuga 4, 631
Panope *nympha* 1, 134; 2, 590
Parcae 1, 502; 5, 531; 6, 693
Parium *urbs* 2, 622
Parius lapis 2, 466. Parium marmor 5, 187
Parnasus *mons* 6, 392. Parnasia vox 3, 618
Parrhasius galerus 4, 138
Parthenius *amnis* 5, 103
Parthi 6, 691
Pavor 2, 204; 3, 89

Digitized by Google

Pelasgi 2, 658. 660; 3, 45. 126. 221; 4, 352; 5. 474. Pelasgus dux 5, 682. Pelasga puppis 5, 116
Peleus *Argonauta* 1, 131. 144. 264. 266. 403; 3, 138
Pelias 1, 22. 154. 162. 200. 700. 849; 2, 4; 4, 555; 5. 483. 493; 7, 40. 92. 98. 316. 447; 8, 155
Pelion *mons* 2, 6. Peliacus 1, 95. 406; 3, 335; 8, 417. 451
Pella *urbs* 1, 365
Pelops 1, 512; 7, 284
Pelorus *promunturium* 1, 579
Peneia laurus 1, 386
Pentheus 3, 264. Penthea aula 7, 301
Percosia coniunx 3, 10
Percote *urbs* 2, 622
Pergama 2, 489. 571; 3, 513
Periclymenus *Argonauta* 1, 388
Perseis *Hecate* 7, 238. Perseia Hecate 6, 495. Perseia proles 5, 581. Perseae vires 7, 450
Perses *frater Aeetae* 3, 493. 502; 5. 266. 271. 284. 529. 634. 678; 6, 15. 26. 30. 34. 75. 605. 725. 741
Perseus 1, 68; 5, 497; *sidus* 2, 63
Peuce *insula* 8, 217. 293. 376; Peuce *nympha* 8, 256
Peucon *Scythes* 6, 564
Phaethon 5, 429; *nomen Solis* 3, 213
Phalces *Scythes* 6, 88. 245. 554
Phalerus *Argonauta* 1, 398; 4, 654; 6, 217
Pharus 4, 417; 5, 423. Phariae carinae 1, 644. Pharia terra 4, 408. Phariae matres 7, 113. Pharia antra 2, 318
Phasiades Thydrus 6, 640
Phasis 1, 2. 43. 78. 87. 518; 2, 379. 589; 3, 306. 501. 662; 4, 545. 616. 706; 5, 51. 179. 299. 342. 421. 440; 6, 319. 641; 7, 220. 564
Phasis *numen fluminis* 5, 205. 208. 427; 6, 295. 643
Pheraei campi 1, 444
Philyra *nympha* 5, 152
Phineus 4, 425. 433. 444. 467. 473. 500. 629; 5, 5. 127. Phineia tecta 4, 504
Phlegethon 1, 735
Phlegra 1, 564; 6, 169. Phlegraeae pugnae 5, 692
Phlegyas *pater Coronidis* 2, 193
Phlegyas *Cyzicenus* 3, 125
Phlias *Argonauta* 1, 412; 3, 149
Phlogius *comes Herculis, postea Argonauta* 5, 114
Phoceus *Cyzicenus* 3, 204
Phoebe 4, 361; 7, 366
Phoebus 1, 5. 230. 311. 383; 2, 76. 316; 3, 437. 481. 541. 559; 4, 76. 98. 468; 5, 331. 403. 483; 6, 468; 8, 116. Phoebeius 1, 228. Phoebeus 3, 37
Pholoe *mons* 1, 140; 3, 66
Pholus *Centaurus* 1, 338
Phorcys 3, 727
Phrixus 1, 41. 272. 279. 291. 328. 377. 520; 2, 600; 4, 556; 5, 186. 194. 197. 225. 229. 256. 263. 461. 474. 476. 499. 509. 510. 525; 6, 11. 70. 446. 542. 593. 598; 7, 14. 38. 120. 136.

Phrixeus 1, 391; 2, 586; 5. 632; 6, 150; 8, 75. 119. 267
Phrontis, *filius Phrixi* 5, 460
Phryges 2, 485. 551. 579; 4, 78; 7, 635. Phrygia 2, 634. Phrygius 1, 9. 549; 2, 417. 625; 3, 6. 23. 512; 4, 164; 5, 501. 694
Phylace *urbs* 1, 474
Picus *Circes maritus* 7, 232
Pindus *mons* 5, 496
Piresius 1, 356
Pisa 1, 664
Pitya *urbs* 2, 623
Pleiades 2, 67; 5, 46
Pleione 1, 738
Plias 1, 647; 2, 357. 406; 4, 269; 5, 305. 415
Poeantius *Philoctetes* 1, 391; Poeantia corda 3, 722
Poena 1, 797; Poenae *Furiae* 7, 147
Pollux 1, 220; 3, 149. 330. 667. 723; 4, 190. 225. 271. 299. 303. 312. 331. 757; 8, 245
Polyphemus *Argonauta* 1, 457
Polyphemus *Cyclops* 4, 107
Polyxo *vates* 2, 316
Pontus 1, 716; 2, 630; 4, 318. 561. 590. 712. 723; 5, 165. Ponticus 1, 800
Porthaonides *Meleager* 3, 705
Priamus 2, 572
Prion Geticus 6, 619
Procnesos *insula* 3, 34
Prometheus 5, 154. Promethea fibra 7, 356
Propontis 2, 646
Proserpina 5, 345
Proteus 2, 318
Protis (?) *Cyzicenus* 3, 158
Psamathe *oppidum* 1, 364
Pylia hasta 6, 202
Pyragmon *Cyclops* 1, 583
Pyrnus *Cyzicenus* 3, 112
Pyrois 5, 432
Pyrrhae genus 6, 390

Rabies 2, 206
Rambelus *Scythes* 6, 529
Rhadalus *Scythes* 6,
Rhebas *fluvius* 4, 698
Rhoas *fluvius* 4, 719
Rhodope 1, 664. 728
Rhoetus *Centaurus* 1, 141; 3, 65
Rhundacus *fluvius* 3, 35
Rhyndacus *Scythes* 6, 220
Riphaeus 2, 516; 5, 558. 599; 6, 33. 119; 7. 562
Ripheus *Scytha* 6, 558
Romanus miles 6, 55; Romanae legiones 6, 402

Sabaei 6, 138. Sabaeus flos 6, 709
Sages *Cyzicenus* 3, 182
Salmoneus 1, 662
Salmonis nympha 5, 478
Samothraca 2, 439
Sarmatae *gens Scythica* 6, 162. Sarmaticus 2, 176; 5, 424; 6, 232; 8, 207. 217
Satarchae *gens Scythica* 6, 144 sq.
Saturnus 3, 226; 5, 153. Saturnia *Iuno* 1, 112. 305. 530; 2, 364; 4, 543; 6, 458. 477; 8, 324. Saturnia sidera 2, 364
Sauramatae proci 7, 235
Sciathos *insula* 2, 8
Scylaceon *oppidum* 3, 36

Scythia 1, 43. 745; 4, 617; 5, 525; 6, 7. 34. 115. 350. 647. 728; 7, 424; 8, 209. Scythicus 1, 2. 59. 345. 442. 503. 716; 2, 379. 575. 596. 649; 3, 307. 496. 617; 4, 9. 728; 5, 224. 325. 516; 6, 49. 319; 7, 42; 8, 185; Scythides 5, 342
Sepias *promunturium* 2, 9
Sesostris 5, 418
Sestos *urbs* 1, 285; 5, 201
Sibotes *Colchus* 6, 249
Siculus 1, 136. 589; 2, 24. 620; 5, 344; 7, 648. Sicanium fretum 2, 29
Sidones *gens Scythica*: Sidoniae habenae 6, 95
Sidon *urbs* 1, 20
Sidon *Scythes* 6, 69
Sigeus 2, 446. 498. 557
Sindi *gens Scythica* 6, 86
Sinope *urbs* 5, 108. 109
Sirius *stella* 1, 683; 5, 369
Sol 1, 44. 504; 3, 401. 730; 4, 92; 5, 224. 263. 456. 567. 581; 6, 442. 518; 8, 282. 350. 459. Soligena *Aeetes* 5, 223. 317
Somnus *deus* 8, 70
Strophades *insulae* 4, 513
Strymon *Colchus* 6, 193
Styrus *sponsus Medeae* 3, 497; 5, 459; 6, 266. 275; 8, 299. 329. 335
Styx 1, 464; 4, 401. Stygius 1, 730. 781; 2, 106. 173. 602; 3, 398. 446. 450; 6, 155; 7, 364; 8, 87
Suetes *Scythes* 6, 550
Syenes *Scythes* 6, 74. 703
Symplegas 4, 221; 5, 299
Syrtes 4, 716; 7, 86

Taenaros *promunturium* 1, 365. Taenarius 1, 427; 5, 512
Tages *Scythes* 6, 223
Talaus *Argonauta* 1, 358; 3, 471. 478; 5, 366; 6, 720
Tanais *fluvius* 1, 538; 4, 719
Taras *fluvius* 6, 102
Tartarus 4, 258; 7, 312. Tartareus 1, 730. 828; 3, 212. 665; 4, 393. 579; 6, 435; 7, 632; 8, 83
Taulas *Scythes* 6, 221
Taurorum loci 2, 301
Taurus 1, 647; 2, 620
Taxes *Scythes* 6, 252
Taygetos *mons* 1, 429; 4, 229. Taygeta 4, 329
Tegeaeum limen 1, 375
Telamon *Argonauta* 1, 166. 353; 2, 384. 451. 540; 3, 198. 637; 6, 345. 364
Telecoon *Cyzicenus* 3, 140
Tempe 8, 452
Terror 3, 89
Tethys 2, 36; 5, 431
Teucer 1, 511
Teucri 4, 58
Teutagonus *Scythes* 6, 97
Thamyris *dux Pelasgorum* 3, 128
Thapsus *Cyzicenus* 3, 191
Thaumantias *Iris* 7, 398; 8, 116
Thebae *urbs Boeotiae* 3, 69
Thebae *urbs Aegypti* 5, 420. Thebe 6, 118
Thermodon *fluvius* 4, 601; 5, 121
Theseus 2, 193; 3, 65; 4, 701
Thespia moenia 1, 478. Thespiaca moenia 1, 93. Thespiades

Argus 1, 124. Thespiades *Tiphys* 2, 368; 5, 44
Thessalia 5, 474; 6, 598; 8, 170
Thessalus 7, 40. 437. Thessalus (adi.) 1, 607; 2, 445; 3, 13; 5, 277; 8, 380. Thessalis 1, 737. 780. Thessalicus 1, 244. 380. 424; 3, 173; 5, 218. 480. 530. 622. 683; 7, 1. 146. 198. 220; 8, 161. 421
Thetis 1, 131. 190. 658; 2, 286. 590
Thoas *rex Lemni* 2, 418. Thoantea Diana 8, 208
Thoe *Amazonis* 6, 375
Thraca *Thracia* 2, 202
Thraces 2, 107. 251. 406. Thraces equi 1, 611. Thracia proles 3, 705. Thracius vates (sacerdos) 1, 277; 4, 85. Threicia sacra 2, 432. Thressae 2, 132. 165. Thressa manus 2, 239. Threissa 2, 147
Thybris 6, 406
Thydrus *Colchus* 6, 639
Thyias 3, 265; 5, 81; 8, 447. Thyiades 6, 757
Thynea litora 4, 424
Thyoneus 1, 726
Thyotes *sacerdos* 2, 438
Thyrsagetae *gens Scythica* 6, 135. 140.
Tibareni *populus* 5, 147
Tiberinus 7, 84
Tibisena ostia 6, 50
Tiphys *Argonauta* 1, 419. 481. 649. 689; 2, 390; 3, 2. 37. 259. 483. 614; 4, 695; 5, 15. 25. 42. 102; 8, 181
Tirynthius 1, 107. 253; 2, 373. 575; 3, 133. 161. 485. 565. 590; 4. 5; 6, 462; 7, 623; 8, 125
Tisaea Diana 2, 7
Tisiphone 2, 194; 3, 214; 4, 394. 410; 6, 403
Titan *Sol* 2, 37. 57. Titanius 4, 91; 5, 463; 6, 79; 7, 347. Circe Titanis 7, 212
Titan *Prometheus* 4, 79; 5, 169. Titanius 5, 156; 7, 449
Tithonia 1, 311; 3, 1
Tityus 3, 226
Tonans 2, 560; 4, 119. 428. 474-529
Toryni *gens Scythica* 6, 144 sq.
Trinacria 2, 32. Trinacrium aequor 1, 579
Triton 1, 679
Tritonia *Pallas* 1, 93; 2, 49; 7, 442
Trivia 3, 68. 321; 5, 103
Troia 1, 552; 2, 558. 574. 579; 4, 58
Tuscum mare 7, 234
Tydeus *Argonauta* 1, 387; 3, 103
Tyndareus puer 1, 167. Tyndarei fratres 1, 571. Tyndarides 3, 187; 4, 247. 290; 5, 367; 6, 207. 212
Typhoeus 2, 24; 4, 236
Typhon 3, 130; 4, 516; 6, 170. Harpyiae Typhonides 4, 428
Tyra *fluvius* 6, 84
Tyres *Scythes* 6, 201
Tyriae carinae 1, 17. 644. Tyrium ostrum 2, 342
Tyrrhenus 4, 715. Tyrrhenus piscis 1, 130. magister 7, 83. Tyrrhena antra 1, 576
Tyrus 4, 632

Vanus *Scythes*, *vates* 6, 115
Venus 2, 68. 98. 126. 175. 187. 196. 209. 315. 324. 331. 355. 626; 4, 13; 6, 455. 528; 7, 158. 171. 193. 210. 223. 252. 254. 373. 394. 399; 8, 232
Vesvius 3, 209. Vesevus 4. 507
Vmber edax 6, 420
Voraptus *Scythes* 6, 288
Vulcanus 2, 88. 336; 6, 433. Vulcanius 2, 78; 4, 440. 686

Zacorus *Scythes* 6, 554
Zelys *Cyzicenus* 3, 152
Zephyrus 1, 190. 350. 611. 640
Zetes *Argonauta* 1, 469; 4, 465. 466
Zetes *Colchus* 6, 572

Digitized by Google

ADDENDA.

Praef. p. 13. Exemplis medii graeci Valerianis adicienda verba I, 34 seq. *Cleonaeo iam tempora clusus hiatu Alcides*: sua tempora clauserat; II, 249 *illa pias armata manus.*

I, 39. Versus Leoninos hos addidit Hosius: Prop. I, 17, 5 *quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti*; Ov. artis I, 59 *quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas.*

I, 211. Multa neque levia, quae postea narravit Valerius, hoc loco Mopsus non commemorat, velut commorationem Lemniam, bellum inter Argonautas et Cyzicenos atque inter Aeetam et Persen gestum, qua ex re concludit Pignataro Politini, C. Valerio Flacco e Apollonio Rodio, saggio critico p. 192, non ab initio poetam in mente iam absolutum narrationis argumentum informatum habuisse.

I, 335. Sane cum totam discessus Argonautarum descriptionem consideramus, palmam sine dubio in hac quidem parte carmini Apolloniano tribuere debemus propter vehementiam sensus et vere epicam narrandi rationem; cfr. Pign. Pol. p. 64.

I, 351. De signo, quod militibus ter tuba datur, cfr. Polyb. VI, 40.

I, 355. Cfr. Stat. silv. I, 2, 109 *tellure cadentem* (i. e. nascentem) *Excepi.*

I, 611. Euro equos tribuit Verg. Aen. II, 417.

I, 671. Bury the classical review X, p. 35 proposuit *sic stare et opus tollique vicissim pontus habet* i. e. etiam pontus opus habet stare, ubi collocatio *et* particulae valde displicet.

I, 675. *fuerit* pro eo, quod est *erit*, invenitur etiam Verg. Aen. II, 77; Prop. I, 19, 15; Cic. Tusc. V, 4, 10; Liv. XXX, 30, 4.

I. 782. Ad verba *retro carmen agens* Seyffertus cum Koestlini explicatione consentiens haec adnotavit: „noch heute herrscht der

Aberglaube, dass die rückwärts gelesene Beschwörungsformel den Beschworenen entfernt“:

II, 136. Traditam scripturam tuetur Hosius coll. Luc. VIII, 343.

II, 431. *crescitque Electria tellus* scribendum suspicatur Hosius.

II, 488. *castra levat* legitur Luc. IV. 18; locum monstravit Hosius. Sed ibi idem esse puto atque castra movere, quod accuratius explicare hic non est locus.

tracto saxo defendit Seyffert explicando ‘der Stein wird hin und her gezogen’.

II, 451 seqq. Cfr. quae de hac Hesionae liberatae narratione eiusque elegantia poetica exposuit Pign. Polit. p. 84 seqq.

II, 481. De collocatione praepositionis, non pronominis videndus locus VI, 595.

II, 515. Confer accuratam omnium comparationum, quae apud Valerium reperiuntur, enumerationem institutam a Pign. Polit. p. 145 seqq.

II, 516. Ex auctoritate cod. Vat. scribendum videtur, ut Baehrens scripsit, *Riphaea per ardua*; similiter V, 558; 599; VI, 33; 119; VII, 562.

II, 528. De sententia confert Hosius Verg. Aen. XII, 684 seqq.

III, 354. Similem locum Verg. Aen. X, 177 monstravit Hosius.

III, 487 seqq. Immerito mea quidem sententia Pign. Polit. p. 89 Valerium vituperat, quod Iunonem auctorem rapinae Hylae induxerit, neque rectius iudicavit p. 87 de ratione, qua auctore Cybele pugnam inter Argonautas et Cyzicum ortam esse poeta narravit: III, 20 seqq.

IV, 61. De notione plusquamperfecti *steterat* vide v. 225 *steterat iam — Pollux*: ‘P. hatte sich bereits hingestellt’ et v. 282 *vix steterant*: ‘kaum hatten sie sich hingestellt’.

IV, 326. Cfr. nunc etiam Bury the classical review X, p. 37.

IV, 633. Seyffert verba tradita servat interpungendo hac ratione *exactae — verumne? — abiere volucres?*

V, 37. *talia — gemit*; cfr. etiam VIII, 9 *haec gemuit.*

V, 48. Seyffert poetam culpa, quam ego in eum contuli, liberat suspicando pro accusativo *Aesona* scribendum *Aesone* et post 48 versum excidisse, qui inciperet a vocabulo *natum*.

V, 207. *defuerit* pro eo quod est *deerit* legitur etiam Verg. Aen. IX, 298.

V, 282. Perfectum *petīmus* legitur Luc. IX, 430; locum monstravit Hosius.

V, 306. Fortasse praestat, versus Homerici Il. X, 7 ratione habita Burmanni explicationem in adnotatione mihi non probatam sequi.

VI, 223. Eadem ratione atque ego verba explicavit Summers.

VI, 457. Infra VII, 171 Venus mater nominatur *aligerum Amorum*.

VI. 558. Pro *Rhipea* ex auctoritate cod. Vat. nunc scribere malim *Rhiphea*.

VI, 573 seq. Verba satis obscura recte videtur Hosius interpretatus esse.

VI, 730. *omina* cum editione Aldina videtur scribendum pro eo quod in Vat. traditur *omnia*.

VI, 751. Locum Lucani attulit Hosius.

VII, 55 seq. Hosius defendit, cum interpretatur, quod est *descendet*, idem valere atque *decrescet* coll. Luc. V, 338 *non magis ablatis umquam descenderit aequor, Quam nunc crescit, aquis*.

VII, 169. Bury the classical review X, p. 39 scripsit *insomnem in somnos ingenti* e. q. s. ratus prius *solvat* interpolatum esse ad versum mancum supplendum.

VII, 343. Pro tradita in codicibus scriptura haec proposuit Hosius: *qui rogat te, quam primam in litore vidit*.

VIII, 371. *clausos* intellegit Seyffert Minyas, quod Absyrto aditus ad eos non pateat; sed ne sic quidem perspicitur, cur Argonautae adverso flumine non fugerint atque cfr. etiam v. 387.

Libenter hac occasione utor ad gratum animum testificandum Oscari Seyfferto et Carolo Hosio viris doctissimis, qui non solum in plagulis corrigendis ultro me adiuverunt, sed etiam de locis difficilioribus quid sentirent, amice mecum communicaverunt, atque hanc operam multo latius patuisse, quam appareat ex eis, quae supra nominibus eorum appositis prolata sunt, libere profiteor.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

Ad postremum peto, ut corrigantur non ita pauci operarum errores, quos primo paene innumerabiles radicitus exstirpare non contigit. Legendum est in verbis scriptoris ipsius

p. 103 v. 4 640
171, 4 Tirynthius
438 in titulo FLACCI

in adnotationibus

p. 27, v. 26 mittitur e
32, 12 lapsu
36, 21 sub
44, 11 Bury
46, 3 Bury
58, 15 complexibus
71, 24 Actoridae
89, 12 Sandstroemi
95, 10 565
104, 24 654
134, 10 656
183, 2 Apollod.
231, 1 lumine
235, 4 futurum
243, 21 Stygiae noctis.
278, 1 questus
281 extr. 339 (pro 393)
311, 13 am. II, 13, 13
360 extr. quam
373, 5 receptus
375, 8 penetralibus
412, 20 Vani
413, 13 Otaces
441 extr. hoc
464, 10 pha-
11 tapetis.

Digitized by Google

Typis expressit Maximilianus Schmersow (Zahn et Baendel) Kirchhainii in Lusatia.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google